




Pico
1569










N ive
5022 | A[16]
Joh Pico de Mirandola




K

Erste Ausgabe.

s. Töchea III, 1550 f.f.
Caillet III, 2784





CABALISTARVM SELECTIORA, OBSCVRIORA'QVE DOGMATA,

A IOANNE PICO EX EORVM COMMENTATIONIBVS PRIDEM EXCERPTA,

ET AB ARCHANGELO BVRGONOVENSI Minoritano, nunc primùm luculentissimis interpretationibus illustrata.

In quibus non pauca adinuenies, quæ mirè faciunt ad pulcherrimam illam abditamq; per numeros, & Mathematica philosophandi rationem.

Cum amplissimo Indice rerum omnium insigniorum.

CVM PRIVILEGIO.



Cum approbatione Superiorum.


VENETIIS, Apud Franciscum Franciscium Senensem. M D LXIX.

BERNARDINVS AIANVS.

REVEREN. PATRI ALOISIO RELIGIONIS MINORITARVM

GENERALI DIGNISSIMO. S. P. D.





ON ab re futurum duxi, Reuerende Pater Aloisi, quid de hoc fratris tui Archangeli libello sentiendum putem, tibi hac epistola significare, & simul ostendere, ne & mortui honestissimam petitionem contempsisse, & mihi parum viderer consuluisse; quicquid mihi im-

positum fuerit effecisse. Itaque scito me nullis impensis (quod & è re studiosorum duxi futurum) pepercisse. Tuiq́ fratris doctissimi hominis voluntati morem gessisse, atq; eius sanctissimas lucubrationes archana Cabalistarum subinde retegentis typis æneis èdendas curauisse, idq́ me eò libentius fecisse, quòd tibi viro eruditissimo, qui frater eius fuisti, gratissimum fore putaui. Præsertim cum id doctissimorum virorum hortatu fecerim. quorum fidelissimis oculis, prius quàm ederentur, hæc obieci. Phrasin tantum horrebant non admodum Ciceronianam, multaq́ barbariei, quàm latinitati propiora. sed, quæso, cui nobis hæc impedimento? Nonne vidimus Agiographos lenocinium verborum passim contemnere? & quicquid in

buccam

buccam (quod aiunt) venerit, in edendis suis conceptibus, expromere? Quamobrem, cum nec stylus piorum aures sit offensurus, & sensa non paruam cunctis vtilitatem sint allatura; par est, vt & de libello tibi bene sperare iubeam, & mihi, fratriq; tuo recte consultum putem. Itaque liber hic felix prodeat, recipiatur, relegatur, ametur. Tu interim bene vale. & me, quod quidem facis, ama.

DOCTISSIMO, AC OMNIVM LITERARVM GENERE CONSVMATISSIMO VIRO,

Domino Bernardino à Ianno patritio Parmensi,

FRATER ARCHANGELVS Minorita, Salutem.



IVINVM prouidere, omnia fortiter attingens, ſuauiterq́ue diſponens, clariſſime Bernardine, ſtatuit, religionem ſanctam, non ſolum Prophetis ſacriſq́ue firmare Doctoribus Chriſtianis; verumetiam via quadam elegantiaq́; ſecretiori Theologia ſingulariter exornare: vt ipſa Pietas omnium origo bonorum, tam tandem inter omnes ſapientiæ profeſſores ſecura incederet, quàm tuta penès conquieſcit domeſticos: Oportebat enim religionem (quæ vnica eſt ad fœlicitatem via) non modo dogmatibus tantum Chriſtianis, verumetiam hebraicis communem forè. Qua quidem comite ac duce, omnes ad beatitudinem, cuius gratia conditi ſumus, & ad quam conſequendam communi ſtudio laboramus, facilius, tutiusq́; peruenire poſſimus. Itaque Deus omnipotens, ſtatutis temporibus diuinum

Cabaliſticum

Cabalisticum animum ab alto demisit, religionem sacram apud omnes gentes illustraturum. Cum verò ad hæc vsq; sol Cabalisticus nondum palàm Latinis nec Græcis gentibus oriretur: Picus ille Mirandula Italiæ decus, & insigni pietate vir cabalisticam lucem, religioni admodum salutarem ab Hebræis ad Latinos propagare contendens, quamplurimas cõclusiones cabalisticas ad mentem propriam destinauit. (quas nuperrime exposui, & ad communem vsum impressas vulgo dedi) multa insuper dicta notatu digna secretiorum Theologorum in suis conclusionibus nongentis interseruit, quæ intacta reliquit: Ego autem & si à multis annis nominis Cabalæ cultor fui, rem tamen adeò grauem non meis quidem sed tuis auspicijs sum aggressus, ea commentans, diuinam sperans opem tam necessario, tamq; pio officio non defuturam. Sed qui noua proferunt, protinus mille in eos scyllæ rabies latrant, mille charibdes. non iam vacant æmulis, qui huiusmodi, quinimo isti maliuoli ore lacerant, venena in eos fundunt, blasphemam per vniuersum orbem de eo opinionem disseminant: Qui sanè quantum irridendi hereticis & Iudæis occasionem præstent, contemplari debuissent, cum eos quos Christiani dogmatis assertores & defensores putabant, confutari nunc videant & refelli, qui quidem à suis impugnatos gaudent, quos

ipsi hostiliter vincere non poterant: Quænam doctrina constat ad iudaicam perfidiam deuincendam, & ad hæreticorum os compescendum magis concinna, quàm scientia quæ Cabala dicitur? O' nefas quod satis nunquam (vt par est) quisque exhorruit, fleo tantam gloriam secretiorum Theologorum (tanquam flosculos) marcescere. Ipsi enim olim misericordia moti, præclaros hortorum fontes altosque aquarum viuentium puteos, indefesso spiritu ouibus Messiæ Christi parauerunt. Verum cui hos præsidi deuoueam, cui horum res curæ sit nescio, nisi tu clarissime Bernardine te illis clementem, piumq; præstiteris: Et sic aura Parmensi frui se gloriari valebunt secretiores Theologi. Hæc itaque dicta peritiorum Cabalistarum qualicunque nostra expositione in lucem restituta, & tibi dicata, perhumanè suscipito, eorum frequenti vtere colloquio: sintque tibi semper comites fidissimi, & tibi suppetant: qui iam ex pauperibus diuites (velut Iob) effecti, & humilibus insignes (tanquam Mardocheus) innumeram cum seruo Abraham iocalium supellectilem suis gerunt in loculis, vnde tua insigniri & exornari Rebecca queat anima. Quod igitur Christo Zachæus, tu exoro sis sacris secretioribus Theologis, vt tuæ Domui per eorum dicta sit salus in Christo Iesu.

ARCHANGELI MINORITAE DE BVRGONOVO AGRI PLACENTINI, IN ENARRATIONES dictorum præcipuorum secretiorum Theologorum, idest Cabalistarum.

Præfatio Apologetica ad Lectorem.



NTER tam varia multipliciaque munera, quæ à Deo optimo maximoq; bonorum omnium largitore accepimus, charissime Lector, nemo qui rectè sentit, nobilius aut salubrius mortalibus aliquod contigisse, quàm sapientiam putabit. Hæc enim vitam hominis totam moderatur. Nam quomodo formandus ad Deum sit animus in primis docet, ac deinde quomodo tota instituenda vita. Siquidem est diuinarum humanarumq; cognitio rerum prior quæ circa diuina versatur, solo excipitur corde per fidem formatam: posterior autem quæ humanas internas, & externas actiones respicit in membranis ad posteros transmittitur. Hæc exteriorem, & ciuilem hominis vitam disponit, animamq; circa creaturarum consideratione distrahit, illa autem viuacissimus quidam est spiritus, qui occidente litera exprimi nequit, sed Dei digito in fidelium cordibus scribitur, iuxta illud Hieremiæ testimonium: Ego Dominus dabo legem meam in interiora eorum, & super Cor eorum scribam eam,

&

& ero eorum Deus, ipsiq; erunt populus meus, pro capessenda hac sapientia inter alia, quæ exquiruntur, nihil optatius, nihil vtilius, nihil sanctius item animaduerto, quàm quod ita nunc passim vetustissimorum orthodoxorum ac secretiorum Theologorum monumenta in lucem emergunt. Quid enim ex re Ecclesiæ, aut in studiosorum commoditatem, ac profectum magis necessarium fuerit vnquam? Siquidem & illa huiusmodi operibus, seu minutissimis quibusdam præsidijs tutior firmiorq; subsistet, & horum ingenia ad meliorem semper frugem instituuntur. Habet namq; vetustas ipsa, nescio quid peculiaris muneris in tractandis arduis rebus, ac diuinis negocijs peruestigandis, quod & Marcus Cicero intellexisse videtur. cum in quæstionibus suis de grauibus causis disserens, ait: Homines qui priscis illis seculis extiterunt, quo propiores nascenti mundo erant, eo ingenio ac mente fuisse beatiores: Quod ille, si aptè dixisse videtur, de ethnicis hominibus, quanto id nos rectius affirmare possumus de nostris? quin etiam de secretioribus Theologis, qui in sacrarum literarum explicatione non varijs & argutis quæstionibus morantur legentem non inutilium verborum pugnas & superuacaneas conflictiones (ex quibus inuidia, contentio, & maledicentia pullulare solent) sectantur. Sed in eo prorsus versantur, vt spiritum intra legis literam veluti corticem quendam latitantem, diligentius enucleent, quo sic mentem adficiant, sensum immutent, animum sursum afferant, & ipsum denique hominem quantus quantus est totum transforment: Atq; in hoc præstando non aliena subsidia anxiè comparant, verùm Apostoli sententiam sequentes spiritualibus spiritualia conferunt, atq; ingentem scripturarum vim vndique è sacris literis tanquam fontibus (non sine magno iudicio) conseruatam miscent: Quod

enim

enim ad literæ ſenſum attinet, is ab Hebræis plurimũ petendum eſt, cum ipſi hoc negotio dediti eum curioſè obſeruauerint: Et propter hoc Lyra, Rabbi Salomonem ſemper ferè ſecutus eſt. vt enim oculi clariſsimæ luci aſſueti minus exquiſitè, (vt Plato ait) in tenebroſis læſi vident: ſic noſtrorum Theologorum oculi in ſpiritali luce myſtici ſenſus diuerſati, minus quandoque perſpiciunt difficultates tenebricoſas, q̃ hi qui ſunt tenebris aſſueti. Licèt enim id ab Hebræis procurauerimus, vt fidei noſtræ myſter a ex ꝑis probaremus, & cum nobis diſſentiunt eos oppugnaremus: Multa tamen, quæ ſunt digna cognitu, tanquam ab iniuſtis poſſeſſoribus, noſtris adnotabimus locis. impertientes veris Iſraelitis: vt nihil ſe habere boni iactent, quod Eccleſia non habeat. Feciſſet hæc omnia Hieronymus (credit Mirandula) in introductorio in Pſalmos, niſi ita in transferendo fuiſſet occupatus, vt neq; ocium fuerit interpretari legem Moſis. cæteri literaturam hebraicam non attigerunt. Allegoricus ſenſus (vt alibi ſcripſimus) ita ad literam ſe habet, ſicut materia ad formam, & quædam eſt quaſi eius ſpecies, quæ proprie, & peculiariter ſacris conuenit literis, vt videlicet res de quibus agitur, ipſæ etiam ſignificent. Et quemadmodum forma à nobis non videtur, ſed materia accidentibus veſtita, quorum conſideratione formas contemplari nobis datur: Non ſecus ad allegoricum ſenſum quem carneis oculis non intuemur ope literali prouehimur. Finis ergo intelligentiæ allegoria conſtituitur: quapropter in omnibus eam querere non conuenit, non enim omnia omnium finis ſunt, ſed & propter finem, & propter neceſsitatem multa orta ſunt, & conſtituta. Huius veræ, & cœleſtis ſapientię initium definitur eſſe timor Domini: Nam in maliuolam animam non demittitur hoc donum Dei, nec vaſi fictili Theſaurus ille cœ-

leſtis

lestis committitur, aut ante Porcos proijcitur: Solis filijs Dei, & Ciuibus regni cœlestis, qui ex corde clamare possunt Abba pater, hic traditur spiritus, vni quidem sic, alteri autem sic, solus Christus in quo & plenitudo diuinitatis habitauit, hunc sine mensura accepit: Hac sapientia caruerunt Philosophi, & quotquot à Deo alieni fuerunt. Ideò euanuerunt in cogitationibus suis, & obtenebratum est cor eorum contrectantes velut cœci parietem, & veluti qui oculos non habent palpantes, impingentes in meridie, quasi in tenebris, vt Esaiæ vtar verbo. Hi soli prudentia & seculari sapientia contenti fuerunt, quæ licet magna sit, & pro huiusmodi domestica & pacifica conuersatione apprimè necessaria: ad consecutionem tamen vitæ futuræ, nisi accedat cœlestis sapientia nullum præbet adminiculum. Scientia enim inflat, charitas autem ædificat: Quòd si scientia charitate subnixa fuerit, iam sapientia terrena commigrat in cœlestem, & tenebrę conuertuntur in lucem. Accipe proinde optime Lector, ex eorum numero, quos antiquitas commendat, dicta præcipuorum Cabalistarum, quæ quasi sunt diuina eloquia, intellectum perspicacem illuminantia, & bonum odorem Christi reddentia: Nolo tamen hic arrogantius vel meam operam, vel autorum ingenium prædicare, ipse nempè si diligentiusculè introspexeris, nostram industriam, credo minimè accusabis, & autorum dignitatem magnopere admiraberis: Hæc omnia ponderanda sunt ne erremus: tum etiam ne præbeamus hostibus Ecclesiæ ansam nos, tanq̃ ignorantes, irridendi: Vnde sapientissimè decretum fuit in Concilio Vienensi. (vt Clemens in Clementina vnica de Magistris) vt in plerisque gymnasijs, Bononiensi, Parisiensi, Salamantino, atque Exoniensi: et præcipuè vbique contigerit Romanam Curiam residere, erigantur studia diuersorum

diuerſorum Idiomatum. Hebraici, videlicet, Chaldei, Græci, & Arabici. Et rationes aſſignat ipſe dicens: Vt ſciant, docti, videlicet, transferre fideliter in Latinum, & alios docere, atque vt diuerſorum Idiomatũ homines faciliùs & melius inſtrui poſſint, candidius enim decerpuntur ſenſa ſacræ ſcripturæ, & facilius alijs perſuadentur in propria & materna lingua (vt aiunt) q̃ in peregrina: Nec fruſtra Deus Opt. Max. excitauit tot & tantos viros noſtra hac tempeſtate Hebraicè ſtudentes: Quod opinor facit, vt educantur in lucem ea quæ huculque latuerunt ſacramenta. Vnde huiuſmodi ſpernere non debemus, niſi fortè velimus videri ignorantes, vt præbentes ſpernendi occaſionem eos, qui vera ſcripturæ ſenſa decerpere volunt: Nunc autem candidiſſime Lector tempus eſt, vt veritatem ipſam, nec dicta hominum defendamus: Nouit enim quàm optimè bonitas tua: quòd in multis Hieronymus ab Auguſtino diſcrepat, Scotus à Thoma, & Henrico. Hinc oracula ipſa diligenter inſpicienda ſunt, & recto examine conſideranda, à quibus (vt Plato rectè ſentit) de diuinis edocere debemus. Eſt etiam notãdum quòd in interpretandis ſcripturis nulli addicti eſſe debemus, nec iurare in verba alicuius Magiſtri, niſi ſanctiſſimę Eccleſię, & ſcripturæ ſacræ, cuius loca (vt moris verorum ſapientum eſt) vnum per alium declarare debemus: non autem per philoſophiam, vel per dicta eorum qui philoſophiæ addicti ſunt: ait enim Paulus: Videte ne quis vos ſeducat per philoſophiam, & inanem fallaciam ſecundum hominum traditionem: In his, & in omnibus dictis meis ac ſcriptis ſemper ſacro ſanctæ Eccleſiæ Romanæ, & peritorum hominum cenſuræ me ſubmitto, & nihil vltra, vel citra credo, quàm credit ipſa, mater mea Eccleſia. Vale & pro me Deum exora.

INDEX.

LOCVPLETISSIMVS tum vocum, tum sententiarum insigniorum, quæ in hoc opere continentur.

A

BRAHAM, quorsum tetendit tabernaculum suum. 68
Abrahæ profectio omnis, versus quam cœli plagam fuerit. 68
Abraham per quam viam adeptus est finem suũ. 68
Abrahæ hospitalitas & clementia, quãta fuerit. 68
Abrahę benignitas in Pharaonem. 68
Abrahæ vxor, quæ fuerit. 69
Abraham, cur adeo Aegyptijs gratus. 69
Abraham fuit bonorum spiritualium largissimus distributor. 69
Abraham, cur magis voluit argento emere speluncam duplicem, q̃ gratis accipere. 69
Abrahæ pietas, quæ. 69
Abraham, vnde hauriebat influxum. 69
Abrahæ benedictio aliqua data est, vt alijs communicaret. 71
Abraham, quare dictus pater fidei. 71
Abrahæ posteritas, debebat esse sine numero. 71
Abraham & Moses, cur à Deo in Aegyptum descendere iussi, antequam daretur lex. 70
Abraham, fuit à Deo electus in patrem fidei, & iussus exire de cognatione sua, & quare. 71
Abrahæ decor, quantũ Deo placuerit. 71
Abraham suscepit benedictionem à Deo. 71
Abrahã, vbi fauorem supercœlestium sensit. 74
Abraham fuit tot electorum princeps, vt eorum numerus ignoretur. 72
Abraham profuit electis, & reprobis. 72
Abraham preces ad Deum ꝓ Ismahele, exauditę. 72

Abraham

Abraham posteritas futura, quæ. 72
Abraham, quos populos in Astrologia erudierit. 76
Abraham, dictus perfectus, quia obseruauit præcepta affirmatiua. 75
Abrahæ nomen, quantum leuet in numeris. 76
Abrahæ, & Sarræ, cur mutatum nomen. 75.76
Abraham, à quo diuinus vocatus. 76
Abraham & Sarra perfectiores omnibus se præcedentibus. 76
Abraham, fuit primus, qui de materia sephiroth tractauerit. 80
Abrahæ filij duo, in sacris paginis, allegoricè qui vocati. 90
Abraham, quomodo iustificatus. 143
Accessus ad menstruatã mulierem, quare vetitus. 20
Accidentia omnia innitũtur substantiæ. 13
Adagium de mendacio. 219
Adam fuit collocatus in medio Paradisi. 46
Adam, qua via didicit vnicuiq; rei accommodatum nomen imponere. 121
Adę peccatum, quotupliciter considerari queat. 15
Adæ peccatum, nisi fuisset voluntarium, non fuisset peccatum. 15
Adæ, an Euæ deceptio maior 17
Adæ peccatum necessarium, secundum quosdam. 18
Adam magnus in medio Paradisi situatus, quem præfiguret. 53
Adæ peccanti succurrere volens Deus, per quam cœli plagam dicitur deambulasse. 68
Adæ peccatum, cur totum genus humanũ polluit. 20
Adæ peccatum vnde sumpserit remedium. 25
Adæ peccatum, per quem reparatum fuerit. 164
Adoratores veri, qui. 170
Adulteria, quo pacto in lege veteri puniebantur. 139
Aemulatio est & inter beatos, & Angelos 205
Aerimantia, friuola est ars. 204
Aeternitas, nobis ignota. 60
Aeternitas, quid sit. 60
Aethiopes, cur nigerrimi, siccissimi, breuisq; staturæ sint. 48
Agareni & Ismaelitæ populi, qui sint hoc nr̃o æuo. 72

Agens primum, & formarũ primus dator, qui ſit. 29
Agni offerendi, alter veſpertino, alter matutino tempore, in vet. lege, quid denotabat. 2
Agni offerendi, vnus hora matutina: alter verò veſpertina, quid ſignificabant. 171
Agnus figuratus in Apocalipſi, habens cornua ſeptẽ & oculos ſeptem, quid importet. 61
Albedo, quid prætendat. 68
Alæ, cum quibus ad cœlum tendimus, quæ ſint, ſecundũm Platonem. 134
Alæ ſex Seraphinorum, quid denotent. 135
Aleph, quid denotet. 112
Aleph, quem numerum importet. 218
Alphabeti hebraici notæ, & declaratio. 219
Altercationes, quæ fiant in cœlo. 205
Altercatio de corpore Moſis inter Michaelem, & Diabolum: & cuius fuerit victoria. 193
Amen, quid ſignificet. 218. & 219.
Amen dictione, vbi vſus fuerit Chriſtus. 219
Amen dictione, cur Deus in principio; nos autem in fine orationis vti conſueuimus. 219
Amici veri, qui ſint. 158
Amicos ſuos non permittit diu tribulari Deus. 186
Amon, quid denotet. 120
Ammominus, cur à Moſe colliſus. 207
Amore, creauit Deus oĩa. 58
Amor ſupra intellectum eſt, ſecundum Orpheum & Platonem. 84
Amor, cur fingatur cæcus. cur item puer. 84
Amor, omnibus Dijs antiquior, ſecundum Orpheũ: ſecundum verò Agathonem, iunior. & quid ambos ad ita credendum mouebat. 84
Amor, ſecundum Dionyſiũ, quõ intelligendus. 86
Amoris encomium. 86
Amoris vnio, quæ. 85
Amoris virtus, quæ. 85
Amoris, & timoris vſus eſt neceſſarius. 171
Amor & timor ordinati ducunt ad omne rectè factũ. 171.
Amor & timor inordinati, quid operentur. 171
Amores, & timores duo ſũt,
&

& qui. 172
Amor filialis, & timor filialis adæquantur. 176
Amor & pietas omnes excedentes, qui ſint. 187
An futurum contingens neceſſario futurum ſit, probatur. 62. 63
Angelicæ mentes, in quot, & quas diuiſæ ſint. 131
Angelus Moſi, cur multoties dicatur Adonai, vel Deus. 136
Angelos cuſtodes fieri nobis quandoq; familiares, quibus exẽplis probetur. 129. & 130.
Angeli alati, quot alas habeant. 134
Angelus, qua forma apparuit beato Franciſco in monte Aluernæ. 134
Angeli alati, non poſſunt ſe trãsformare in diuerſa corpora. 144
Angeli, non ſunt ſtabiles. 128
Angeli referunt Deo omnia noſtra & verba & opera ſiue bona, ſiue mala 128. & 130.
Angelorũ in nos amor. 129
Angeli venerunt in adiutorium Eliſæi. 129
Angelus Gabriel, cur quandoque vir dictus. 190
Angeli cuſtodes, quomodo defluent. 207
Angeli maxime curant noſtram ſalutem: & summopere deflent noſtram perditionem. 128
Angeli, quo pacto poſſint nos tueri, & videre faciem patris. 128
Angelis, an data ſint diſtincta tempora. 168
Angelus, quomodo nobiſcũ loquatur. 131
Angeli noſtri cuſtodes, quæ erga nos agant. 205
Angeli, an poſſint percipere noſtras cogitationes. 171
Angeli, qũo dicantur. 130
Angelorum materia minimè ſubiecta corruptioni. 7
Angeli, quomodo à Salomone vocati. 134
Angelorum, & Archangelorum in nos gratiæ, & dona. 127
Angeli volatiles, qui ſint, & quibus præſint, quo die creati, & quæ eorum munia. 127
Angelorũ diuerſæ cuſtodiæ, diuerſo tempore. 128
Angeli, cui materię immixti ſecundũ Dioniſium. 7
Angeli primi ternarij, repreſentant diffuſionem ſummæ eſsẽtiæ in Trinitate. 7
Angeli quid ſuſcipiant à nõie tetra-

tetragrammaton. 37
Angelorũdiſtinctiones Theologis quot,& quæ. 9
Angelorum exercitus,quo pacto ſecretioribus Theologis diſtincti. 10
Angelorum cohortes, quot numero. 10
Angelorum officia. 10
Angeli beneuoli,qui.& quod eorum munus. 94
Angeli lucis,ſuſcipiunt incrementa virium in luce,& etiam ſolari. 35
Angeli terrifici & horrorem incutientes, qui. 94
Angelos quidam aſſeruerunt habere corpora:vnde haud temere animalia dici poſſunt. 7
Angelos eſſe corporeos, quomodo probetur. 7
Angeli cęli cuſtodes, mutant & ipſi vigilias. 93
Angelorum ſumma, ſecundũ Thalmudiſtas; quæ mera imaginatio eſt. 71
Angeli proprij ſemper nobis fauent. 73
Angelorũ, & electorũ numerus,nobis incognitus. 72
Angelorum Hierarchię quot ſint,& qũo nuncupentur. 6
Angeli,ſtellæ ſunt. 71
Anima, cur in corpus venerit. 198
Anima hominis, quid ſit ſecundum Ariſtotelem. 196
Animæ,an vna nobilior altera. 31
Aĩa qua purgatione indigeat, vt debitum finem ſortiri queat. 199
Anima eſt vitę fons. 30
Aĩa,ab initio cui aſsimilet̃. 40
Anima eam induit naturã, p cui⁹ diaphanũ pertrãſit. 31
Animarũ omnimoda redemptio data eſt Chriſto tm̃. 6
Animarum origo vnde,ſecũdum Peripateticos. 28
Anima intellectiua,quæ. 29
Animarum omnium cõis origo & ortus:& vnus eſt omnibus ad vitam ingreſſus et exitus. 40
Animas in ſphæris collocari, quo modo intelligendũ. 33
Animæ, quo pacto vniantur poſt mortem cum Deo. 6
Animas qũo dicatur Deus tranſubſtantiare. 6
Animæ à quo prius ſacrificatæ,à Michaele Archang.an à Chriſto. 5
Animæ, quomodo dicantur deſcendere à tertio lumine ad quartam diem; inde ad quintam,&c. 38
Animæ oẽs a quo veniant. 31
Animæ,quam lucis ſortem ſuſcipiant. 31

Animæ, an differant ab inuicem. 183
Animæ nostræ, vbi collocentur. 32
Animę quo pacto inter se differant. 31
Animę, à quo primo pendeāt. 38
Animæ, vbi accipiant suam originem. 34
Animę, quomodo productæ fuerint, & producantur, iuxta Peripateticos. 153
Animæ, vtrum de nouo creentur à Deo. 184
Animæ, in quo distent. 32
Animæ, an æqualem gradum sortiantur. 32
Animæ definitio, secundum Aristoxenum. 177
Animæ, an ab initio fuerint creaturæ simul, an distinctè. 196
Animalia, q̄ in vet. lege offerebant, debebant esse integra, & sine oī macula. & quare p̄cipuè iubebatur ne essent absq; aure, vel cauda. 2
Animalis anima, quid operetur in homine. 81
Animasticus ordo, qui sit. 9
Animalia per quos ang. Deus procreet. 9
Animalia offerebantur in sacrificijs iuxta personarum gradus. 114
Animalia, an tempus obseruent. 168
Ante Mosen, nō legitur quenquam miracula fecisse. 82
Anno septimo, apud Hebręos, cur indicta quies nedum hominibus sed ēt humo & alijs rebus. 67
Annus placabilis, q̄ fuerit. 64
Annus sabbatarius, qui fuerit. 66
Apex, quid sit. 163. Apocalipsis loca declarata de. 12. Angelis præsidētibus. 12. portis cęlestis ciuitatis: & de 7. spiritibus p̄sidentibus septem planetis. 107
Apollo, cur dictus Medicinæ Deus. 100
Apollo, quid denotet secūdū Chrysippum. 99
Apostoli, cur linguę dicti. 131
Apostolorū dignitates, q̄. 78
Aqua purior, quæ. 118
Aqua, cur apponat in vino, cū celebrat altaris sacramentum. 108
Aqua vitę, quos irrigabat ante Christi aduentū: & quos post. 54
Aqua, in nuptijs, cur à Christo in vinū conuersa. 108
Aquarū collectio, quotuplex, & quæ. 123
Aq̄ supramūdanæ, q̄ sint. 75
Aquila, quo alio nōie vocata,

& quid denotet secundum secretiores Theologos. 135
Arbor vitæ, quę. 24
Arbor vitæ, quare in medio Paradisi plantata. 26
Arbor boni & mali, cur ab initio prohibita ne tangeretur. 27
Arbor vitæ, quid nos doceat. 27
Arbor vitæ, cur arbor boni & mali dicta. 27
Arbor mala nō potest bonos fructus producere. 103
Arbor vitæ, quinam sit. 109
Arbor vitæ, cur sita in Paradisi medio. 109
Arborem boni & mali, quæ peccata detruncarunt. 164
Archades, qua ratione moti adorabant Solem, siue Pana. 49
Archāgelorum ordo, cui præsint Potestatui. 8
Archāgeli, quibus in vniuersum procreationibus præsint. 8.9
Argētum, vnde proueniat. 69
Argentum Abrahæ, vnde. 69
Asinam, cur equitarit Christus. 151
Augustini dictum, ꝙ volūtas nō fertur nisi in pręcognitum, & ꝙ incognita amare nequimus, quomodo intelligendum. 84
Aurora, quando fiat. 87
Auxilium diuinum inuocaturus, quid debeat prius agere. 180
Azima, cur iussum fuerit comedi mense primo. 148

B

Beatitudinis definitio secundū Speusippum. 50
Beatus, qui propriè sit. 50
Beati, an cognoscant temporis successionem. 169
Behemot, quando & cum quib. à Deo ꝓductus. 44
Benedictionem in oratione vt consequamur, quæ requirantur. 170
Benedictiones Ioseph, quot & quales fuerint. 187
Beracha, cur Abraham dictus. 77
Beth, quot numeros importet in arte Arithmetica. 207
Binah est fons omniū animarum. 77
Binah sigillum, quod. 79
Binah, quot portas & gradus habeat. 195
Bonum, est principium & finis mali. 164
Bresith opus, quale sit. 42
Bresith, & cocmah interpretatio. 45

C

Cabala lex, quæ fuerit. 54

Cabalistarum & Talmudistarum munia. 42
Cabalistæ, in quo beatificandos nos asserant. 53
Calor, quibus de causis alicubi excessiuus, & alicubi non. 46
Calor, cur nobis sentiatur intensior, diebus æstiuis, post meridiem, quàm ante 47
Cadauera, cur dantur aduersarijs nostris in cibum: & cur eadem terrorem nobis incutiant. 4
Candidus & rubicundus color, quid denotent. 145
Canibus sancta non committenda. 6
Cauda quid denotet. 2
Causæ rerum quarumlibet, quot, & quæ secundum Aristotelem. 120
Causa agens in particulari, parum cognita Aristot. & de ea parũ aut nihil egit. 120
Cedria, dentibus vtilissima. 4
Cedrus, Hebræis, quæ sit, & quomodo nuncupetur. 42
Cedrus arbor, cur à Dauide celeberrimè decantata. 42
Cedrus, quæ dicta Theoph. Diosc. & Plinio. 42
Cephas, quid denotet. 75
Certamen inter Iahacob & Esau, super qua re fuerit. 206
Ceruæ vnicornis interpretatio. 81
Cerui, hinnuli, & capreæ, in sacris litteris multum celebrati. 81
Cerui spirituales, qui sint. 81
Cerui, & Capræ, quæ numina repræsentent in Archetypo. 81
Chanaã erat terra, in qua fluere debebat lac & mel. 70
Character spiritus sancti, qui sit. 65
Characteres Hebræorum nõ immutandi; & quare. 177
Characteres cæteris præstantiores, qui. 177
Characteres, quidam boni, quidam mali. 177
Cherubim alas habere, cur iusserit Deus. 130
Chitimi, qui à scriptura appellati. 80
Chobar fluuius, fert influxũ prophetandi. 190
Christus est via, & scala, per quã ascendimus ad Deum Patrem. 64
Christus, cur Mosis frater dictus. 90
Christus præuidit omnia de seipso futura: & qualiter Elias debeat venire ad p̃dicandum secundũ eius aduentum; & ꝙ erat occidendus ab Antichristo. 83

Christus, cur missus ad prędicandum annum domino placabilem. 65
Christus, volens dare Apostolis authoritatem peccata relaxandi, cur insufflauit in eos, dicens: Accipite S. Sanctum. 65
Christus ingressus est venieś quinquagesimam portam, tribuendo peccatorum remissionem, quod non fuit concessum Moysi. 64
Christus ostendit sese Iacob in figura scalæ. 64
Christum, non legitur baptizesse quenquam, nisi Iohannem. 78
Christus, cur in infantia sua Aegyptum transierit. 70
Christus, cur docuit nos, vt orantes dicamus patri: Dimitte nobis, sicut nos dimittimus cæteris. 66
Christus tenet medium inter diuinas personas. 53
Christum, esse perfectum mediatorem, quot modis probetur. 53
Chrisma, quid denotet. pag. 1
Chrismate, quare vngebātur sacerdotes veteris legis. 1
Christus fuit ex semine Abrahæ. 77
Christus, cur dictus caput nostrum. 52
Christi nomina plura. 23
Christus fuit sacerdos Regalis, non legalis 5
Christus, cur noluit loqui in defensionē sui, coram Herode & Pilato. 140
Christus, cur solus tulit pro nobis crucem. 140
Christus, cur in eius passione fuerit à patre derelictus. & cur eius preces, tūc temporis non fuerint exauditæ. 140. 141
Christus omnia communicat spiritui sancto. 59
Christus, pro quibus potissimum venerit. 74
Christus, quod nomen sibi comparauit crucis virtute. 178
Christi gens, cur nullo seruitutis iugo oppressa. 173
Christus dicitur panis vitæ, lignū vitæ, & ipsa vita. 26
Christus, cur posuit initiū nostræ salutis in aqua baptismali. 113
Christus, quot effectus sit pro nobis. 113
Christus, cur sol dictus. 101
Christi sacerdotium est sempiternum. 5
Christus, cur nasci voluit in medio animalium; & in omnibus tenere medij viā. 109

Christus, cur sese transfigurauit ante discipulos 114
Christ⁹ tm̄, & nemo alius fuit beatus, simul & viator. 28
Christus solus sciuit bonum à malo discernere. 27
Christus, qn̄ suscepit iniquitates omnium nostrum. 117
Christi prima concordia, qn̄ fuerit. 115. 116. & 117. itē secunda. 117
Christi sanguis p̄ualet oībus veteribus sanguinibus. 21
Christus subuexit pacem in cœlum, 115
Cristus est cōgregatio aquarū. i. materiæ & gratię. 126
Christi cum Iona, in quibusdam collatio. 116
Christus effectus est ꝓ nobis omnimodū sacrificiū. 114
Christiani, & sapientes omnes concordant de Idæarū positione. 119
Christus, quo nomine expressus in veteri lege. 118
Christus, quomodo se se ostenderit esse principium, medium, & finis rerum omnium. 219
Cibi à Deo nobis præparati, post vitam nobis infusam, qui. 52
Cibus solidus, quibus datur: & quibus item cōicatur sapientia perfectorum. 79
Circuli lineæ exeuntes à centro in circumferentiam, & ab ea in centrum, quid denotent. 13
Circuncisio non erat sufficiēs pro toto homine redimendo. 138
Circunçisio, quare instituta. 138
Circuncisio, qua ratione peccatum tollebat. 143
Circuncisiò, quę signa figurabat. 143
Circuncisionis fœdus, cur à Deo institutum. 144
Circuncisio, erat arrabo vitæ æternæ: incircuncisio verò erat arrabo dānationis. 144
Circuncisio, cur fiebat octauo die. 144
Circūcisionis pactū, vbi Gentibus primo datum. 188
Clementia, quomodo mensuretur in mensa iustitię. 162
Cœlum, in quot portiones distinctum. 93
Cœlum, an sit animatū. 210. 211. 212. 213. 214
Cœlum & terra, ante rerum omnium creationem, quomodo fuerint. 44
Cœlum, an sit præstantius homine. 212
Cœli materia, quo pacto differat à materia generabiliū & corruptibilium. 7

Cœli, quo verbo firmati. 22
Cœli, quid suscipiant ab Angelis. 37
Cœli materiales, vnde suscipiant vim. 74
Cœli, quando faueant nobis. 73
Cœli, ex qua materia compositi secundũ Hebræos. 115
Cœli sunt instrumenta, quibus Deus agit nobiscũ. 178
Cœlorum regnum, cur nuptijs comparatum. 91
Cœlorum concentus, quid operentur in nobis. 35
Cœlorum regnum, quibus nominibus vocatum. 187
Cœlorũ in hoĩes, dona. 102
Coeuntes cũ bestijs, qua pœna puniendi. 166
Collium desiderium, quale dicatur in scripturis 188
Color viridis, nullius coloris respuit mixtionem. 38
Columba, quare offerebatur in purgatione mulieris maledictæ & condemnatæ ob originale peccatum. 116
Columbæ sacrificiũ, quid figuret. 116
Consonantia in rebus, quid sit. 177
Concentus proportionati virtus, quæ. 176
Consonantia, vnde resultet. 149
Contemplaturus Deum, debet habere oculum purgatum. 160
Contẽplationis definitio. 157
Copula carnalis, quando cessabit. 92
Cor hominis, quam imaginem referat. 100
Corona suprema, quæ dicatur apud Hebræos. 111
Cornu tantum vnico prophetasse Prophetas ante Mosen, cur dictum. 82
Cornua ceruorum bifaria, quid in sac. paginis denotent. 82
Corpora nostra, quando fortiora & melius disposita. 167
Corporum effigies per quos angelos Deus effingat. 8
Corpus, licet temperatissimum, quo pacto quandoque maximam sentiat dissonantiam. 16
Creare & facere, quid inter se differant. 184
Creaturæ, quot mensurentur modis. 60
Creaturæ, vnde habeant esse. 196
Creatura omnis, refert vestigium sui opificis. 202
Creaturæ omnes vnde habeant esse. 51
Creaturæ ad Deum relatio, quo

quo modo sit. 163
Culpa, vnde fiat. 163
Cur magis timetur à Meridie vsque ad matutinum, quàm antea. 94
Custodum nostrorum officium, quale sit. 73
Cyromantia, secundum Albertum magnũ, circa quæ versetur. 204

D

DAnielis verba, de Angelorum numero, quomodo intelligenda. 72
Dauid proph. fuit litterarum ignarus. 40
Dauid in qua profecerit mansione. 74
Dauid, quo fauore est hostes persecutus. 133
Dauid fugabat Saulis spiritũ malum, cithara. 176
Decima omnium bonorũ plenissima, quę. 69
Delictorum in lege veteri animaduersio, quæ. 172
Dæmon, quomodo interpretetur. 102
Dæmon, in quæ se transferat animalia in nocte. 106
Dæmonum genera, quot, & quæ. 103
Dæmones, cur præualeãt magis in die, quàm in nocte. 104
Dæmonum differentia, quotuplex sit. 102
Dæmones mali, quibus artibus nos capiant 131
Dæmonum malorum natura, quæ. 133
Denarius diurnus, in Euangelio, quid denotet. 148
Dei scientia non imponit in rebus necessitatem 59
Dei nomina, & virtutes, quæ. 110
Dei intentio in lege, quæ fuerit. 148
Deo, quomodo possimus cõformari per omnia membra. 159
Deum, esse fontem, quibus locis testetur scriptum 53. 54.
Deum habere, prout nos, omnia membra, quibus exemplis probatur 161
Deum esse vestitum more humano, quãdo dicatur 161
Deus, cur se humanitate vestiuit 162
Deus, quos peccatores omnino relinquat 165
Deus, qua ratione dicatur delitiari in nobis 50
Deus quieuit sup Abrahã. 80
Deus, quomodo creaturæ inhæreat. 80
Deus, dicens: Ego sum resurrectio & vita, de qua vita inferat. 57

Deus, quomodo nobiscum agat. 60
Deus, quibus mediantibus viuificet & regat mundum. 61.
Deo, nullus locus incognitus. 61
Deus inspicit omnia 61
Dei potentia describitur. 61
Deus, licèt sit tãtummodo vnus, diuersa tamen sortitur nomina. 132
Deus est vbique, secundum omnem Theologorũ scholam. 128
Deus, quam regionem inambulabat post Adæ transgresсionem. 125
Deus ponderat, non numerat nostra opera 198
Deus, cur pluerit super Sodomam, & Gomorrham, sulphur & ignem. 165
Deus non mensuratur ea, qua nos mensura. 60
Deus, quomodo mensuretur.
Deus, quot modis nos portare dicatur. 135
Deus, cur dicatur principium & finis. 148
Deus, an vbique sit. 216. 217
Deus, dicatus est hominibus, & sibi ipsi in seipsum. 148
Deus, cur in nube apparere solitus 158
Deus, quomodo mensurat vitæ nostræ progressum. 169
Deus, quando nudus dictus. 161
Deus vult omnes saluos fieri. 188
Deus est plena vita. 30
Deus, quo pacto agat, & coniungatur nobiscum 111
Deus est circulus quidam. 30
Deus, est mare excelsum, & pelagus substantiæ infinitæ. 173
Deus punit in tertiam, & quartam generationem. 20
Deus, quomodo videri, aut contemplari posſit. 104
Deus, non mutatur 21
Deus, quomodo cognitus à Moyse. 195
Deus, cur supra omnia diligendus. 173
Deus dat esse omnibus 8
Deus est omnium bonorum influxus. 38
Deus, cur dicatur esse linea viridis. 38
Deus semper oblectatus est duplici familia. 72
Deus nouit & facta, & facienda. 59
Deum non imponere necessitatem rebus, & futura scire contingentia, quomodo probetur. 59
Deus

Deus habet infallibilem notitiam de futuris contingentibus. 59
Deus, qua hora in Paradisum descendat, seque Angelis ostendat. 94
Deus dedit ordiné reb. à quo nunquam discedit nisi rerum necessitate. 64
Deus præsens est ad omnia nostra negocia. 85
Deus, quando dictus aperuisse sinistram manum in punitione: dextram verò in misericordia. 82
Deus, quid à nobis potissimũ exquirat. 86
Deus, cur dicatur uita. 57
Dextra & sinistra, quid denotent. 145
Diabolus, & immundi spiritus, quibus pascantur cibis. 3
Diabolus habet potestatem super carnem, & cadauera. 193
Diabolum, qua virtute possimus superare. 205
Diaboli natura, quæ. 103
Diaboli astutia, secundũ Leonem Papam. 103
Diapason, quid denotet. 50
Diaphanum lucis spiritualis, quodnam sit. 31
Dicere, & facere, quas referãt personas, in diuinis. 112
Die septimo, interdictum fui Hebræis omne opus seruile. 66
Dies remissionis in lege vet. quando institutus. 2
Dies sex, in quibus fabricat us est Mundus, quid nobis denotent. 41
Dies ac noctes augeri, vel diminui, quando facilius dignoscatur. 47
Dierũ diuisio in rerum creatione, non ad tempus, sed ad ordinem productionis refertur. 44
Dissonus omnino, nequit harmoniam ferre. 176
Diues, qui propriè dicatur. 95.
Diuina, per quem sensum potissimum capiantur. 2
Diuinitas, omnibus est ex æquo. 155
Diuitiæ, & veræ voluptates, vbi reperiantur. 49
Diuitiæ, vnde dictę, secundũ Marcum Varronem. 52
Dixit, verbo, quare non vtẽdum, cum volumus obtinere peccatorum veniam. 112
Doctrinam suam totam, vbinam efficacius tradiderit Christus. 52
Doctos, & sapientes euadere, vnde aliquib. detur. 39

Dogmata

Dogmata fidelium Christi, cur sæpius commemorent dilectionem, quàm timorem. 173
Domicilia Deorũ, quę sint. 32
Domus diuina, quot habeat portas. 65
Dominorum ꝓprium, quod sit. 173
Dona naturalia, quæ sint. 104
Dona spiritus sancti, quot, & quæ. 174

E

ECclesia, quid denotet. 77
Ecclesia, dicta est coniunx Christi, & generatrix nostra. 77
Ecclesia, in quot partes partita sit. 93
Ecclesia, cur prohibuit dierũ et horarum obseruationes, in precibus ad Deum fundendis. 168
Echo, quid propriè. 50
Echo, quæ sit. 202. & 203
Electio temporis in oratione & operatione, laudabilis est. 170
Elementa per quos Angelos à Deo deprompta. 8
Elementa, naturæ principia, & tota Mundi pulchitudo, vnde emanarit secundum Mercurium. 44
Elementaria principia, quot, & quæ iuxta nonnullos. 121
Elias, præuidit eius raptum in duplici spiritu. 83
Elisæus, in cœlum ascensurus, quid petijt. 82
Elisæi miracula quæ. 82
Elisæi verba ad Eliam, cum ferretur in Paradisum. 83
Elohim, quid denotet. 206
Emolumenta, quæ à luce consequimur, quæ sint, & quot. 106
Enoch multa scripsit de dimensionibus. 80
Ensoph, quomodo interpretetur. 57
Entium vnumquodque tantum accepit de bonitate ac perfectione, quantum iustè decuit. 58
Error, quid sit. 163
Essendi munus, per quos Angelos Deus largiatur. 8
Essentia vera, quæ sit. 96
Eua, quomodo fuerit prius filia: deinde coniux, Adæ. 77
Euphrates fluuius vnde originem trahat, & per quas transeat regiones. 56
Exercitus & cœlestes militię, sunt intelligentiæ & formę spirituales. 32

Extra

Extra Deum, nihil est. 155
Extra sphæram Mundi, an quicquam sit. 50

F

FAcies Dei multiplex; sicut & posteriora, & quæ. 194
Fames, est flagellum quoddam. 170
Fatum, à quibus spiritibus pendeat. 62
Fatum, quid importet. 59
Fauor, quo modo impetretur. 155
Fides est ex auditu. 2
Fideles veteris testamenti, quomodo iustificati. 142
Filij Dei, qui proprie. 88
Filij diaboli, qui dicti. 88
Flumina quatuor Paradisi, quid denotent allegoricè. 56
Flumina currunt in mare sempiterno fluxu. 55
Fluuius aquarum viuentium vnde emanet, & in quot diuidatur alia flumina. 55
Fœderis legalis ex obseruatione, quid consequamur. 191
Fœtus supremus, dat esse omnibus. 60
Fons & origo omnium riuulorum, qui sit. 51
Fons primus misericordiæ & pietatis, qui sit. 157
Fons animarum, qui sit. 30
Fontes diuini, quot, & qui. 30.31
Fons quatuor Paradisi fluminum, qui sit. 56
Fontes Dei, quando dicantur in nobis exiccati. 54
Forma, quomodo datur secundum Aristotelem. 33
Forma, secundum quam detur dispositionem. 39
Formam fluxæ materiæ per quos angelos ministret Deus. 8
Formarum particulariũ vis, vnde. 23
Frater, in veteri lege, tenebatur suscitare semen fratris defuncti absque liberis. & cum hoc facere renueret, qua pœna puniebatur. 91
Fructus terræ, quando meliores fuerint, ante diluuium, vel post. 196

G

GAb. Angelus, cur ad Ioseph missus. 191

Gallus,

Gallus, cur Soli dicatus. 99
Gamon Pythagoreis, quid sit. 44
Garganus mons, à quo electus. 189
Generatio nostra prima, & secunda, ad quæ Idola effictæ. 51
Genij nostri, quot, & qui sint. 74
Genij nostri, quid operentur in nobis. 74
Genij nobis deputati, q. sint. 129.
Genius hominis custos nunquam eum deserit, quousque sit in termino. 34
Genius custos, an semper vnus & idem vni præsit. 129
Geon fluminis origo, & rami. 55.56
Geomantia, circa quæ versetur. 204
Ghedulah, gheburah, tiphereth, malchuth, sunt ea quatuor, quæ requirebãtur ad perfectum esse rerum. 58
Ghedulah, quid significet. 58
Gheburah, quid denotet. 58
Ghedulah pietas, quæ sit. 175
Ghebulab, quæ pars sit. 89
Ghebura est aquilo magnus à quo proueniunt animę omnes. 38
Gratias, quando de facili assequamur à Deo. 94
Gratiæ spirituales, à quo emanent, & in quo demandentur. 58
Gratiam aliquam à Deo cupientes, quod nomen Dei à nobis inuocandum. 12
Gratiæ pro interiori homine, à quo efflagitandæ. 52.
Gyrum, quomodo efficiant creata omnia. 155

H

Habitatio temperata, an sub æquinoctiali circulo, opiniones variæ. 46
He littera, est character spiritus sancti. 65
Hebraicè scripta, cur nonnulli in linguam Chaldaicam vertere. 118
Hebræi ægrè tulerunt orationem efficacem Abrahæ pro Ismahelitis & Agarenis. 72
Hebræorum numeri, quotuplices sint, & vnde ornantur. 96
Hierarchia superior, quos Angelos habeat: & quale

corum

eorum munus ſit. 9
Hierarchiæ mediȩ Angeli, qui: & quibus præſint. 9
Hierarchiæ Angelorum, quot, & quomodo vocatæ. 6
Hierarchiæ inferioris Angeli, qui: & quid curent. 9
Hieruſalem, quem typum gerat. 35
Hinnuli, in ſacris paginis, quid denotent. 82
Holocauſtum, quale ſit, & quid denotet. 113
Homo nominatur Angelorum illorum nomine, à quibus influxum recipit. 126
Homo ſuſcipit ab Angelis purgationes, illuminationes, & profectus. 127
Homo habet conuenientiam cum omnibus Angelis. 126
Homo, quid ſit ſecundum Sapientis doctrinam. 126
Homo habet ſymbolum cum omnibus. 126
Homo, cur de puluere, ſeu limo terræ plaſmatus. 4
Homo, quomodo poſsit cognoſcere omnia. 30
Homo, cur dicatur paruus mundus. 1 99
Homo, imago Dei. 30
Homo, quid hauriat à Planetis. 34
Homo ab igne remotus, cur quandoque magis caleſit, quàm alius, qui propè ignē ſit. 47
Homo eſt circulus à Deo procedens. 30
Homo, quo pacto Deū æmuletur. 30
Homo eſt nodus rerum omnium. 8
Homines per quos gradus à Deo diſtincti. 18
Homo poteſtate & virtute continet omnia. 14
Homo habet ſymbolum & peculiarē imaginem vtriuſque ſolis. 100
Homo, eſt arbor inuerſa. 18
Homo eſt vinculum omniū, & omnia continet. 3
Homo, eſt imago Chriſti. 26
Hominum genus, per quos angelos curet Deus. 9
Homines plures, qua ratione dici poſsint vnus homo. 196
Homines, vnde ſuſcipiant varios mores, & vitam multigenam. 35
Hominis vita, poſt Diluu. ad quem terminum ſuccisa. 197

Homines, quo pacto posſint, & Angeli fieri. 130
Horror, cur mortales inuadat quibuſdam noctis horis 167
Horti voluptatis delitiæ, quæ 146.
Hoſtia, quæ dicatur 113
Hoſtis humanus debellari nequit, niſi prius debellato eius tutore ſecundum priſcos Theologos 205
Humanæ vitæ ſpatium, quale fuerit ex decreto Dei ante diluuium 196
Humorum diſtemperatio, vnde. 66
Hydromantia, in quibus conſiſtat. 204

I

Iacob, verſus quam cœli plagam fixit tabernaculum ſuum. 68
Iacob, quot modis pugnauerit cum Angelo Eſau 206
Iacob, in pugna cum Angelo, quo membro fuerit plagatus. 206
Iacob, cur tãtopere diligebat Ioſeph. 185
Iahacob, quomodo prius vocatus. 74
Iah eſt nomen diuinisſimum, ex quo compoſitum eſt Halleluiah. 65
Ianuas intelligentiæ, quis primus nouit 76
Ideæ quæ ſint 29.147
Ideæ in ſummi archetypi mente quo modo ſint. 120
Ieiunium & animæ afflictio Iudæis, quo indicta tempore. 2
Ieſus Chriſtus penetrauit cœlos, vt nos introduceret illuc, & præſentaret Patri. 64
Jeſus, ubi locutus cum Samaritana. 188
Ignis in legali ſacrificio, quomodo dabat ſignum diuini beneplaciti. 6
Ignis comedens, & non deuorans, quid ſignificet. 6
Ignis, cur requiratur in ſacris peragendis. 105
Ignis ſupramundanus, quid operetur. 135
Ignis, quem venit mittere Chriſtus in terram, qui intelligatur. 136
Imagines Crucifixi, & ſanctorum, cur permiſſæ. 108
Imaginaria viſio, quæ ſit. 202
Inclinationes hominum, vnde. 33
Indumenta, per quæ Deum poſsimus dignoſcere, quæ ſint. 161
Infirmitatum ortus, vnde. 17
Influxus bonus, à quibus nobis conceſſus 36

In-

Influxus cœlorum, quando aperiantur. 94
Intellectualis, rationalis & animalis uirtus in homine, quid differant inter se. 181
Intellectus separati, qui propriè. 7
Intelligentia Dei rerum causatiua, quid sit. 120
Intelligendi modi, quot, & qui. 79
Intelligentia nō errans, quæ sit apud Auerroem. 168
Intelligentiarum mentio ex quibus sacræ scripturæ locis hauriatur. 9.10
Ioannes cur fuit dictus vox 131
Iobeleus, vnde dictus. 65
Iobeleus, cur institutus. 65
Iobilei tempore, cur restitue bantur dominis pristinis possessiones. 66
Iobileum, quo anno celebrar solitum. 64
Iobileum maximum, quando erit. 66
Iobilei maximi tempore omnia in pristinum reducentur, sed meliori sorte. 66
Iobilei tempore, cur serui manumittebantur. 66
Iobilei remissio, quo die fiebat. 64
Iobileus, & peccatorum remissio, quo dabatur tempore. 64
Iod littera, est diuinitati patris ascripta. 65
Ionæ pro Niniuitis apud Deum intercessio. 116. 117
Ionæ exemplum, de trina dierum permansione in ventre ceti, cur à Christo adductum. 116
Iona, quid interpretatū. 11
Ionatha Vzielis filius, conuertit totum vetus testamentum in Chaldæam linguam; quæ traductio, est omnium melior. 118
Ionata, hebraicè quid significet. 119
Ioseph, à quibus adoratus. 186
Ioseph, cur sic vocatus à matre. 185
Ioseph pulchritudo, quæ fuerit. 186
Ioseph triumphauit de omnibus inferioribus. 186
Ioseph, cur bis venditus. 186

Ioſeph, cur præcepit vt eius oſſa conderentur in Sichem 190
Ioſeph, quam effigiem referebat. 185
Ioſeph, cur fuit ſepultus oſſibus tantum, & non corpore in Sichem. 191
Ioſeph, cur ſortitus fuit partem extra fratres ſuos 188.
Ioſeph, cur denominatus iuſtus. 191
Ioſeph benedictiones, quæ fuerint. 187
Ioſeph, vbi ſepultus. 188
Ioſue, vſque ad quam portam intelligentiæ Binah peruenerit. 194
Iota, quæ littera ſit. 153
Ira Dei, adhuc apparet ſuper locis, vbi erant vrbes Sodoma, & Gomorrha. 165.
Iſaac, quomodo ſplenduit coram domino. 67
Iſaac, in qua regione effectus fuerit diues, & fœlix. 74
Iſrael, ſecundum Hieronymum, quomodo interpretatum. 74
Iſraelitæ veri ſi erimus, quē locum aſsignabit nobis Chriſtus. 53
Iſrael populus, quot annis fuerit in captiuitate. 151
Iudex, in quorum medio ſedere debeat. pag. 110.
Iudex optimus, quis ſit. 109.
Iudæorum gens, cur duræ ſeruitutis iugo adacta. 173
Iulij, & Auguſti menſibus cur in Septentrionalibus regionibus eſt intenſior calor, quàm in menſe Maij, vel Martij, licèt menſe Iunij Sol ſit eis magis propinquus. 47
Iuſti, quomodo alias nominati. 186
Iuſtitiam ac iudicium obtinere cupiens, quale Dei nomen inuocare debeat. pag. 12

L

Lais, quid denotet. 106
Lampades ſeptem, ardentes ante thronum Dei, & figuratæ in Apocalipſi, q̄d denotent. 61
Latro bonus, cur à Dextris Chriſti conſtitutus. 52.
Lauretum, fuit locus electus

ctus à gratiarum matre. 189
Lea, quid significet. 169
Legatio facta à Christo, latroni, quę fuerit. 52
Legis proprium, quod 148
Leonum catuli, quid theologis interpretentur: & cur quærant à Deo escam. car. 4
Lætitia, quando facilè in nobis adinueniatur. 167
Legis sapientia Hebręis cōcessa, vnde emanarit secundum Paulum. 54
Lex, quoties Hebræis data. 54.
Lex scripta perfectior extitit, quam lex naturæ. car. 3
Lex euangelica omniū perfectissima. 3
Lex amoris & filialis timoris, quæ sit, & quid operetur. 3
Legem obseruantibus, promittuntur multi fructus. 149.
Lex vetus, quanti fuerit. pag. 149
Litterarum quarundam hebræarum declaratio. carte. 150
Lex, nulla est merè voluntaria. 166
Lex euangelica, dicitur lex amoris: Mosaica verò terroris, & quare. 172
Lex, quid pollicebatur cum euangelio, & quid sine illo. 148
Lex, si non esset, peccatum non imputaretur. pag. 164.
Lex, est ipsa veritas, & regula agendi. pagi. 165.
Lex, quantæ sit dignitatis, & quanta nos doceat. 147.148.
Lex vetus, cur digito Dei scripta. 149
Lex vetus, quibus in tabulis perhibetur scripta. 149
Lex Dei, quibus præcedentibus signis data sit. 172.
Lex, vt verè hominem iustificet, quæ requirantur. 138
Lex antiqua, cui primò data: & à quo postea in melius conducta. 153
Lex vetus quid operabatur. 139
Libanus, quid denotet. 42
Liber vitæ, qui 24
Liber vitæ, qui propriè. pag. 49

Liberum arbirrium, an ſit in nobis. 60
Lignum primum parentibus vetitum: quale. 15
Lilit, quod animalis genus, ſecundum quoſdam. 106
Linea viridis, quid denotet. 210
Linea viridis, quot modis à Cabaliſtis vocata. 217
Lingua, cur nobis data. 130
Lingua adminiſtrat cibum corporalem nobis, & ſpiritualem cæteris. 130
Lingua, vnde dicta. 130
Litteraria cõmutatio apud Cabaliſtas, quomodo fiat. 132
Litteræ hebraicæ, cur punctis ſignatæ. 152
Litteræ hebraicæ, cur punctis, & accentibus inſignitæ. 153
Loca à Deo electa, quæ. 189
Loca habent particulares influxus. 189
Locus particularis diuinæ adorationis, Prophetis ante Moſen fuit ignotus. 81
Locus maximè confert in re fęliciter gerenda. 73. 74
Locus Dei, cur indeterminatus, ante aduentum Chriſti. 180
Locus & Tempus, pari ambulant paſſu, iuxta Iureconſultos. 190
Logici arguentes à poſteriori, dicuntur arguere ab effectu. 79
Loth erat à Deo alienus. 70
Loth, cuius meritis fuit ereptus ab incendio Sodomorum. 70
Loci mutatio multum confert. 190
Lucifer, quare ſuperbia motus. 23
Luciferi verba, propter quę fuit è Paradiſo eiectus. 23
Lucis beneficium, omnia creata ſentiunt. 105
Lumen, quot modis capiatur in ſcriptura. 104. & 105
Lumina, cur cadaueribus accendantur: item in omnibus ſacris peragendis. 105
Lunæ qualitates, quæ. 97
Luna, cur dicta magis Planeta. 97

Luna

Luna deifera, est vltima inter archetypos Planetas. 97
Lunæ deiferæ effectus. 98
Luna, non lucet à se. 87
Luna, cur aliquando plena, aliquando semiplena, & aliquando obscura. 88
Luna, cur à quibusdam dicatur alter sol. & quas à planetis dotes accipiat. 98. & 99
Luna deifera, cur catena vocata. 98
Lunæ deiferæ nomina. 98
Luna non lucet à se, nisi à sole respiciatur. 99
Lux, est malè operantibus aduersa. 34
Lux vitra pertransiens, diffundit radios iuxta colores, quos in vitris comperit. 31
Lux diuina superat omnem intelligentiam. 79
Lux, fugat tenebras, & malè operantes. 102
Lux, cur Dæmonibus inimica. 105
Lux, vbi remaneat. 106

M

MAlchuth, quid importet. 58
Malchut luna archetypa, dicitur cerua vnicornis. 81
Malchut, quare Antiquis vnicornis dictus. 82
Malchut, quando est quòd non possit creatis communicare bonum influxum. 87
Malchut sponsa, cui se comparet. 87
Malchut, cur prima sephiroth dicta. 98
Malchut est ianua introitus sephirot. 99
Malcha, quid sonet. 213
Malchut cognominatur etiam, mare. 123
Malchut est opifex omniũ, quæ ponuntur in esse reali. 124
Malchut, dicitur etiam iustus; & quare. 124
Malchut ampla potestas. 132. & 133
Mali origo, vnde. 27
Mansiones Dei, quæ sint. 67
Mare, quid sit. 123
Maris infimi conditiones. 123

Martius mensis, est primus anni, secundum veterem legem. 67
Masculus & fœmina sunt etiam in diuinis; & quo pacto ijdem vocentur. 76
Matrimonium, an à Deo institutum. 91
Matutinæ horæ, cur media nocte decãtari institutæ. 94
Maumethici adeò prosperãtur, vt quodammodo nobis Christianis pualeant. 72
Mazpaz, quid designet apud Cabalistas. 132
Medium, quid propriè. 214
Melchisedech, quomodo interpretatus. 5
Membra Dei, quæ sint. 161
Mendacium habet curtos pedes, ac debiles. 219
Mense septimo, cur ordinatus fuerit Hebræis dies remissionis. 67
Mensis primus mundanus, qui. 67
Mensis legis primus, qui. 67
Mentes angelicæ ministrantes Deo, dicuntur bipartitæ. 61
Mercanæ opus, quodnam dicatur. 42
Mercuriales puri, quandiu viuant, secundum Astronomos. 197
Meridionalis proprietas, quæ. 68
Messias, est principium, medium, & finis omnium creaturarum. 219
Metalla per quos angelos Deus producat. 8
Metalla, vnde formentur. 123
Michael arch. dum viuimus, sacrificat Deo nostra bona opera: post mortem verò nostram offert illi nostras animas purificatas. 5
Michael, quomodo à Cabalistis vocatus. 5
Michael contra serpentem antiquum pugnauit pro animabus omnium, & eiectus est draco. 4
Michael, cur vocatus sacerdos magnus. 4
Michael, qua lance ponderet animas. 5
Michael altercationem habuit cum Diabolo pro corpore Moisi. 3
Michael fuit dux Moisi contra

contra multigenos hostes. 5
Michaelis officium, quale sit. 5
Michael datus fuit Christo in principem militiæ, nõ tutelæ. 129
Michael est princeps super animas suscipiendas. 183
Michael & Diabolus, quid sibi vendicent in morte hominis. 193
Millenarius numerus, cur Deo conueniat. 20
Minerua inuita, nihil agendum. 72
Miracula vt subsequatur, quæ præcedere debeant. 82
Miraculorum perpetratio, ad quid spectet. 82
Miracula, quando quærenda. 108
Misericordia ghedulah excedit gheburah iustitiam, & quare. 174
Mittatron, quid denotet. 5
Mittatron Angelicæ munus, quod. 203
Montes excelsi ceruis, qui sint, quid fluxerint; & quando incuruati. 188
Monumenta prophetarum, quæ sint. 201
Mortales, sub qua præsidentia somniant. 191
Mos Dei, secundum Cabalistas. 20
Mors preciosa, quæ dicatur. 200
Mosis claritas, vnde. 4
Moses vnde obtinuit gratiam loquendi cum Deo facie ad faciem. 5
Moses, qua virtute suos hostes superauit. 6
Moses, cur per legem suam, neminem potuit beare. 64
Moses non promisit Iudæis in lege nisi temporalia. 64
Mosi, cur nõ permissum ducere populum in terra promissionis. 64
Mosi, melius innotuit veritas cũ intellectu adæquata, quàm Aristot. & cæteris Philosophis. 79
Moses, quorum regum tempore fuerit. 79
Moses, docuit suos omnem sapientiam. 79
Moses, cur non duxit populum in terra promissionis. 90
Moses defunctus est sine
 salutis

salutis semine; & quare. 91
Moses cognouit naturam rerum. 79
Mosi, diuina reuelata sunt à Deo. 79
Moses, cur cum Deo loqués, abscondit faciem suam ab eo. 159
Moses, cur non potuit intro ducere populum in terra promissionis. 178.179
Moses, quando peccauerit in spiritum sanctum. 192
Moses, cur mortuus in monte Nebo: & cur dictus obijsse corpore, non autẽ spiritu. 193
Moses, vbi, & à quo sepultus, secundum Hebræos. 193
Mosis corpus, cur non in propatulo sepultum. 103
Moses fuit omnium mitissimus. 194
Moses assecutus est 13. pietatis mensuras; quod nulli alij datum fuit. 194
Moses, vsque ad quam intelligentiæ portam peruenerit. 194
Moses, cur non potuit videre faciem Dei, sed tantummodo posteriora. 194
Moses, cur non peruenit ad omnes intelligentiæ portas: 195
Moses, quo lumine legem tulit. 203
Moises, cur prohibuit Israelitis cultum syderum. 212
Motus de loco ad locum est solius corporis. 7
Motus, maximè cooducit ad sanitatem. 177
Mundus, quot diebus à Deo creatus. 38
Mundus, cur à Deo creatus. 21
Mulier, quam partem significet. 25
Mulier est imago viri. 26
Mundi secundum Cabalistas, quot, & qui. 42
Mundi fabrica, quot diebus absoluta fuerit. 43.44
Mundus, cuius sit figurę: & quas habeat extremitates. 45
Mundus, cur dicatur creatus in sex diebus: & vnde ꝓcedant eius extremitates. 45
Mundus fundatus est in sapientia. 45
Mundus, quo mense fabricatus. 67
Mun-

Mundus, & eius partes, qua ratione à Deo fabricatæ. 50
Mundum creando Deus, quot, & qbus fuerit vsus. 59
Mulieres, quando amisere perfectionis partem. 76
Mundum esse æternum, qua ratione nititur probare Aristoteles. 121
Mulier vna ab initio vnicuique deputata. 146
Musica & cantus operantur aliquid. 176
Mundi à Cabalistis recepti, quot, & qui. 207
Mundus & Deus, quomodo apud veteres philosophos definiti. 216
Mundi anima, cur linea viridis vocata. 217

N

NAris domus, quæ sit. 180
Nationes, cur multoties p̄ualebant aduersus Israelem. 108
Naturæ vis, potẽtior quàm artis. 35
Naturalia, quomodo à Peripateticis definita. 39
Natura, & spiritus noster sentiunt cœli instinctum & fauorem. 73
Natura quomodo ab Auerroe vocata. 168
Nebo mons, quid interpretatus. 192
Nemo dat quod non habet. 29. & 59
Nemo attingit quicquam boni, nisi id superna concedente virtute. 39
Nemo, antiquitus saluabatur per legem. 90
Nerui & ligaturæ in corpore humano, quot sint. 192
Nilus, quomodo olim vocatus. 70
Noe, præuidit diluuium. 80
Noe, quos populos docuerit sacros ritus & astrorum cursas. 80
Nomen tetrag. connectit & gyrat omnia. 36
Nominum mutatio, multa operatur. 74.75
Nominis immutatio Abrahæ et Sarrę, quod signum fuit. 76
Nomina Dei p̄cipua, quot, & quæ eorum virtutes. 12
Nomina Dei multa sunt: & vnumquodque corũ suũ

habet

habet proprium influxum. 11
Nomen Dei est idem quod eius virtus. 13
Nomen domini, quando inuocari cœperit. 36
Nomina, & agnomina diui na, à quo pendeant. 101
Nomina diuina à quibus habita: & quantæ excellentię sint. 152
Nox naturalis, quot horas, & vigilias contineat. 93
Nox, quomodo interpretata. 163
Numeri, quibus indigemus ad percipiẽda Dei & Naturæ archana, qui sint. 45
Numerus septenarius, cur dicatur numerus remissionis. 64
Numerus omnis, seu omnis multitudo est ab uno. 56
Numerus vltra denarium cur dari nequeat. 51
Nuptiæ carnales, quæ figura sint. 92
Nuptiæ carnales, decernuntur in cœlo; sed celebrantur in terra. 92
Nuptiæ cœlestes, quæ. 93
Nuptiæ cœlestes, per quem initiatæ. 93

O

OBlatio sacrificij à Deo instituta, & quare. 3
Obseruatio, quando opus sit incipiendum, an non, vnde fieri melior possit. 167
Oculus debet esse lucidus, si in aliquod lucidissimum inspecturus sit. 160
Omen fęlix cupienti in rebus agendis, quid obseruare debeat. 73
Omnia, proueniunt ab vno. 58
Omnia habent suum tempus. 169
Opera omnia in Christi nomine facienda. 177
Operantes malè, odio habẽt lucem. 106
Operari cupienti, quid magis necesse sit. 12
Operari rectè volenti, quæ necessaria sint. 179
Operatio omnis vnde fiat. 177
Operis de Bresith & de Mercana differẽtiæ apud Cabalistas. 42
Ophaninorũ munus quod. 135
Opinio Antiquorum nonnullorum de anima. 40
Opinio Theologorũ circa animarũ productionẽ. 40

Ora-

Oracula, quomodo interpretanda. 201
Oranti, quæ dignoscenda requirantur, secúdum Proclum. 156
Oratio, quibus magis conueniat. 155
Oratio, cur in abscondito agenda. 159
Oratio, quomodo ascendat in conspectu Dei. 157
Oratio, cur nobis necessaria. 154. & 155.
Oratio requirit tẽporis obseruationem. 168
Oratio efficacior, qnæ sit. 170
Oratio matutina, cui tribunali offeratur, et quid operetur. 171
Oratio vespertina, quid operetur. 171
Orationis efficacia, quanta sit. 157
Orationem assumpturi, quibus præditi esse debeant. 178
Orbis vnusquisque vnam saltem intelligentiam possidet. 33
Ordines Intelligentiarum, cur nouem. 9
Ordo Archang. quomodo Hebræis vocati. 8
Ordo mundi archetypi, quis. 88
Osæas, assumendo fornicariá vxorem, & ex ea fornicationum filios suscipiendo, non incurrit dedecus. 139
Ossa magistralia, quot sint in humano corpore. 75. & 191

P

Pœnitẽtiam, cum agimus, ad quem debemus recurrere. 112
Pallas, quid sit. 96
Palma, cedrus, & hysopus, inter plantas celebrantur multum in sac. paginis. 41
Pan, quare à Poetis sic vocatus. 48
Pan Deus, cur figuratus cũ Hebride stellata in pectore. 50
Pan, cur effictus sonare fistulam septem calamorũ. 50
Pan apud Poetas quomodo figuratus. 50
Panis meridionalis & matutinus, quid importent. 5
Paradisus, qua cœlorum regione constitutus. 46
Paradisus terrestris, quare à Deo nuncupatur Paradisus voluptatis. 46

Para-

Paradisi temperatissima regio. 46
Paradisi amœnitas, non ex qualitate vel regionis illius natura, sed ex situ. 48
Paradisus terrestris, an sit Paradius, de quo scriptura loquitur. 48
Paradisi cœlestis ingressus, quando detur nobis. 48
Paradisus, cur vnus dicatur. 51
Paradisi hortus verus, qui. 51
Paradisi, quot, & qui. 208
Paries, qui interponitur inter nos & Deum, quis sit. 158
Pasio Christi tãtummodo', fuit sufficiens ad redimendum hominem ab omni peccato. 139
Pater verus, qui sit. 29
Pater neminem iudicat, sed omne iudicium dimisit filio. 112
Pater quem deserat. 113
Patres sancti, in quorum signum à Christo in sua resurrectione de Purgatorio educti. 64
Patres antiqui, cur diu vixerint. 196
Paulus Apost. cur optabat dissolui. 198
Peccatum, qua ex parte oriatur. 3
Peccatum, quomodo vet. lege expurgabatur. 3
Peccatum est causa omnium malorum. 17
Peccatum tam in Angelis, quàm in hominibus quãdo fuit, & est. 163
Peccati proprium esse, quodnam sit. 163
Peccati totam summam, vbi complectatur Deus. 163
Peccatoris morte non delectatur Deus: sed magis vita et conuersione illius. 13
Peccatorum remisio vnde fiat. 111
Pellicea vestis, qua Deus induit Adam, ex qua pelle desumpta fuerit. 68
Pellicea vestis, qua indutus fuit Adam post transgressionem, quid denotet. 165
Petra, quomodo hebraicè dicta. 179
Petrus Apost. cur Cephas vocatus. 75
Petrus, sola vestimẽtorũ vmbra sanabat infirmos. 181

Pha-

Pharao, cur à Deo flagellatus. 69
Pharisæi, cur fimbrias suas dilatabant. 110
Philateria, quæ nam sint. 107
Philateria, quot, & quomodo delata à sacerdotibus Hebræis. 110
Philosophis causa prima, idem est quod apud Poetas, Pan. 50
Physon, siue Ganges fluuius Paradisi, vnde oriatur. 56
Physon fluuius aurum producit. 55
Picem & sulphur, cur pluerit Deus super Sodomam & Gomorrham. 165
Piscina & benedictio Hebræis idem sonant. 71
Piscina, quid sit. 147
Planetæ, cum quibus conueniant. 36.37
Planetæ, quibus induunt se sacerdotes in sacris celebrandis, cur cruce insignitæ sint. 107
Plato, vbinam fecerit mentionem de Paradiso deliciarum. 26
Plato, cum dicit cœlum esse omnium bonorum causam, quomodo id intelligat, 38
Platonis opinio circa formas rerum, & doctrinas hominum. 40
Platonis opinio, circa animas. 198
Plutharchi & Porphirij verba de Christo. 118
Populi, quando à Deo penitus deleantur. 165
Porta cœli, & inferni, quæ sint secundum Cabalæos 165
Porta intelligentiæ, qua caruit Moses, quæ fuerit secundum Cabalistas: & quæ secundum alios. 195
Portæ cœli, quæ. 11
Portæ Binah, siue intelligentiæ quot sint. 63
Portæ quinquagesimæ ingressus, cur Moysi negatus. 63
Potestates, quare dictæ. 8
Potestates tenebrarum nobis aduersantes, cur sic dictæ, & cur nobis aduersæ. 94
Potestates tenebrarum, quādo magis præualeant. 167
Precationum verarum optimus finis, qui sit. 15.

Præce-

Præcepta affirmatiua, quot. car. 75
Præcepta affirmatiua, quot sint. 191
Præuaricationis Adę occasio, vnde 23
Primogenituram, cur potius obtinuerit Iacob, quàm Esau. 206
Principatibus regnorum & Prouinciarum quos præfecerit Deus. 8
Principes tenebrarum, fiũt in tenebris robustiores. 35.
Præcepta negatiua, quot dederit Deus nobis. 192
Probus & integer est Deo similis. 55
Profectio Abrahæ semper fuit versus Austrum; & quare. 73
Prophetiam per quos Angelos largiatur Deus. 9
Prophetæ ante Mosen, in quo prophetatunt. 80
Prophetæ ante Mosen prophetabant per ceruam vnicornem. 82
Prophetę, quomodo fuerint. 200
Prophetæ, quæ lactarint vbera. 202
Prophetię donũ, vbi cõferatur, secũdũ Hebræos. 190
Prophetarum munus quale esse debeat: & cur ænigmaticè loqui studuerint. 201.
Prophetæ, magno honore habendi sunt. 201
Propitiatio, qua virtute agebatur. 148
Prouidentia, an sit in Deo. pag. 60
Psalmus, Qui habitat, cur dæmones terreat. 96
Pulchritudo mulieris, quid operetur. 147
Puncti, in hebraicis literis, quid operentur. 152
Pyromantia, in quibus consistat. 204

Q

Quadriliteri hominis virtus quadruplex, quid subindicet. 56
Quãtum mutatio nominis nobis prosit, probatur ex sac. scrip. 75
Quassatio infantib. à nutricibus in cunis facta, quid illis conferat 177
Quatuor in Ezechiele visa animalia, & Euangelistis ascripta, quid denotẽt. 56

R

Rachel, quid denotet. 169
Radix omnium numerorũ, quæ. 50

Ra-

Rami & fructus arborum sequuntur radicem. 20
Regeneratio nostra, quomodo fiat: & quid in ea requiratur. 77
Regio, in qua Deus omnia nobis tribuit charismata, vbi sit 68
Regiones, quæ calidiores: & è contra. 47
Regnum cœlorum, quomodo dicatur vim pati 75
Remissio, quãuis à Christo impetrata, non tamen datur ab eo nisi per spiritũ sanctum. 65
Renouationes fiunt in cœlo 65
Rerum vnio, vnde proueniat. 35
Res creatæ in quod tendãt. car. 13
Res nõ poterant à Deo produci, nisi verbo 22
Rubedo, quid denotet 68
Rumphæa versatilis cherubin, quæ sit. 49

S

Sacerdos veteris testamenti, quid tenebatur portare in pectore, Deo volens sacrificare. 1
Sacerdos legalis offerebat animas animalium irrationalium: Michael verò Sacerdos superior sacrificat animas nostras 3
Sacerdos veteris legis ingrediebatur sanctuariũ Dei, volens sacra peragere, & propitiationem pro populo impetrare. 2
Sacerdos, quare vngatur. pag. 18
Sacerdotes Christi, qua vice fungantur. 4
Sacerdoti, cur vetitum pluribus mulieribus coniungi. 90
Sacerdoti, cur non permissum pluribus mulieribus copulari. 146
Sacramenta, vnde dicta. pag. 78
Sacramenta Dei, & arcana naturæ, quibus data sint sub velaminibus, & sensibilibus signis. pag. 79
Sacramentorum nouæ legis, potestas, & vis. pag. 142
Sacramenta veteris legis, cur non poterant hominem iustificare. 142
Sacramenta nouæ legis, quid contineant. pag. 142

Sacramenta nouæ legis, quæ ſint. & eorum effectus. 142
Sacramentum ſcripturæ p̄cipuum, quale ſit. 185
Sacrificium veſpertinum, & matutinum, qua de cauſa agebantur. 2
Sacrificia legis naturæ, quæ. 3
Sacrificia habent ſymbolum cum eo, cui offeruntur, & cum his, qui expiantur. 2
Sacrificium eſt intermediũ quoddam inter Deum, & hominem. 2
Sacrificare, eſt homini proprium, ſicut mugire Bobus, & latrare canibus. 2
Sacrificia contemnens, non meretur in mundo degere. 2
Sacrificiorum ritus, qui. 114
Sadai, eſt vnum ex principalibus cognominibus Tetragrammaton. 96
Sadai habraicè, quomodo latinè interpretatus. 95
Salomon infuſionem ſapientiæ à Deo accepit in ſomnis. 41
Salomon, vbi dicit Exaudi ò cœlum, quomodo intelligi debeat. 34
Salomon, quando loquitur de duplici Amore, de quo intelligat. 87
Salomonis doctrina eſt, ꝙ qui creauit ſimul omnia, maneat in æternum. 43
Salomonis ſapientia, quot gradibus fuerit inferior illa Moſis. 194
Sancti, cũ ſpiritu Dei aguntur, horrenda concutiuntur formidine. 175
Sanctis patribus vnde conceſſum miracula facere. 181
Sanctus, quot modis poſsit quis effici. 148
Sanctus, quomodo à ſancto dicatur differre. 187
Sanguis animalium, quid operabatur in ſacrificijs. 3
Sanguis animalium in ſacrificijs, cur effundebatur. 138
Sanguinis Chriſti meritum, quantum & quale ſit. 114
Sanguis, qui fundebatur in maiori quantitate ad baſim altaris, quàm in cornu, quid denotet. 114

Sapientia, an proprijs viribus acquiri posit. 39
Sapientiam, quis det nobis. 39
Sapientiæ & doctrinæ profectum, qui facilius adipiscantur. 39
Sapientia non habitat in corpore peccatis subiecto. 69
Sarrah, quando cępit vocare Abraham, Dominum suum. 76
Sarrah, quomodo prius vocabatur. 76
Scala, quam vidit Iacob in Betel, quæ fuerit. 134
Scala, de qua D. Augustinus particularem egit tractatum, quot gradibus ascendatur. 134
Scala Dei, quot modis ascendi posit. 135
Scotus Theologorum maximus. 210
Scripturas vt scrutemur, cur à Deo nobis præcipiatur. 185
Scriptura semper petit altiora, q̃ præseferat littera. 187
Sedes à Deo, Filio concessa, quæ. 7
Semen animalium currit ad locum, vbi formatur in corpus. 55
Semitæ, quibus Deus creauit Mundum, quot sint. 122
Senario numero consonantior non poterat inueniri in Mundi fabrica. 44
Senarij numeri perfectio. 44
Senarius, quare Arithmeticis, primus numerus perfectus habitus est. 44
Sephiroth dicuntur lumina, fabricæ & dies bresit, & quare. 38
Sephiroth superiores Malchut, nõ fuerunt cognitę ab antiquis Prophetis. 81
Sephiroth ordo erat ignotus Prophetis ante Mosen. 82
Sephiroth septẽ inferiores, apud Cabalistas, qui sint. 120
Sephiroth nominãtur diuersis cognominibus. 123
Sepulchrum Mosis, cur à nemine potuit adinueniri. 194
Seraphicus & Cherubicus ordo cui correspondeat. 7
Seraphim alæ, quomodo accommodatæ. 135

Seraphinis, cur sex alæ attributæ. 135
Seraphini, cur incendentes dicti. 128
Seraphini, cur dicãtur sedere. 128
Seraphinorum officium, quod. 135
Seraphini, quomodo interpretati. 135
Seraphinorum alæ, quid denotent. 134
Seraphini tenent aliquando vicem spiritus sancti. 136
Seraphinorum cognomen, iuxta Dionysium Areopagitam. 136
Seraphini, cur conueniant cum primo mobili. 136
Serpentum cibus, qui. 4
Seruus quando dimittebatur tempore Iobilei, debebat dimitti eo habitu, quo intrauerat ad seruiendum Domino; & quare. 66
Sexus duplices, cur dicatur Deus habere. 57
in Symbolum habentibus facilis est transitus. 126
Sid, nomen, quid denoret, & cuius idiomatis sit. 96
Signa, apud Platonem, quid denotent. 11
Signa cœlestia, quotuplicia sint. 11
Signum & figura quando cessent. 92
Similitudinem Dei, quomodo acquirere possimus. 107
Simile complicari simili natum est. 155
Sion arx, cur à Dauide electa. 189
Soboles prospera, quando procreari posit, secundũ Cabalistas. 94
Sodomitæ, qua pœna puniendi. 166
Sodomiticum vitium, cur dicatur contra Naturam. 166
Sol, quare cum in æstate sit à nobis remotior tamen magis calefacit nostram regionem, quàm in hieme. 47.48
Sol, quando velocius agitetur. 47
Sol verus, qui sit. 50
Sol, est cœlestis ignis, secundum Platonem. 99
Sol, cur dictus Vulcanus; & candidus. 101
Sol, cur vocatus Apollo. 99
Sol, quomodo vocatus apud Asyrios, & Hebræos 99.100
Solis lux habet simulacrum Dei. 34
Somnia interpretari, cuius

Angeli proprium. 191
Somnium, quando bonum comprobemus. 202
Somnia, quæ omnino spernenda. 202
Somniorum gradus, quot, & qui. 202
Species quomodo se habeât, secundum Aristotelem. 31
Species, quomodo se habeant. 183
Specula æterna à quibus videantur. 201
Sphæras repletas esse intelligentijs, & animas in eisdẽ locatas esse, probatur testim. script. sacræ. 32
Spirare cuius proprium sit. 38
Spiritus administratorij, ad cuius beneplacitum mittantur. 10
Spiritus administratorij semper assistunt Deo. 10
Spiritus propheticus simplex, quid attingebat. 83
Spiritus propheticus duplex, quid prȩuidebat. 83. 84
Spiritus proph. duplex, non fuit concessus prophetis ante Mosen. 84
Spiritus opifex & artifex, qui sit. 62
Spiritus, rerum dispositores, & sphærarũ gubernatores, non semper assistunt Dei ministerio, sed aliquando mittuntur. 62
Spirituum administratoriorum diuisio, & munera, quæ. 62
Spirituum Deo administrãtium officia multifaria non possunt ab humano capi intellectu. 62
Spirituum administrantiũ Deo est infinitus numerus. 62
Spirituum septem Deo assistentium niunus. 61
Spiritus sanctus, cur à Christo Apostolis missus post quinquagesimũ diẽ à Resurrectione eius. 64
Spiritus hominis, quid sit. 180
Spirituales qui, & vnde dicti. 180
Spiritualis homo, cur non poterat per legem expiari. 149
Spiritus sanctus omnia docet. 181
Spiritus sanctus cur Apostolis apparuit in linguis igneis. 131
Spiritus Dei in quod corpus intret. 192
Spiritus noster, quando cum diuino vniatur. 202

Sponſa ſpiritualis, quæ ſit. 90
Sponſus & ſponſa in cœleſti Regno, qui ſint. 93
Sponſa vniuerſalizata, quæ. 147
Sponſus, de quo canit Salomon, cur candidus, & rubicundus. 145
Statuarum exprobratio, vbi. 211
Stellæ habent vim & influxum in inferiora. 33
Stellæ præſunt corporibus inferioribus. 71
Superius omne, reſpectu inferioris, maſculus dicitur: & è conuerſo, omne inferius habet rationem fœminæ. 146
Synagoga, licet cum multis fornicata, in ſponſam tamen à Deo accepta, quid typicè denotet. 89

T

TAbernaculum Dei, ante Chriſti aduentũ, fuit in triplici differentia: & qua. 80
Tabernaculum Dei, Moſis, & Salomonis tempore, quomodo fuerit. pagi. 80
Tabernaculum Chriſti, quale ſit. 80
Tabernaculum cedar, quale fuerit. 85
Tabulæ, in quibus erat ſcripta lex Dei, quare ſublatæ. 149
Talenta, ſecundum Greg. quæ ſint. 31
Talenta, de quibus Chriſtus in euang. mentionem habuit, quæ ſint. 32
Talmudiſtarum & Cabaliſtarum opinio de ſex creationis Mundi diebus. 43
Tardemah, quid ſit. 202
Targum, Hebræis, quid denotet. 118
Temporis definitio, ſecundum Ioſippum. 166
Tempus, cur partitum à Solomone per binariũ quaterdenum. 166
Tempus, cur à Simonide laudatum. 167
Tempus, cur dicatur ſemper incedere: habere talos geminæ naturæ: nouaculam in manu: & comam in fronte. 167
Tempus, eſt menſura motus & quietis. 167
Tempus, an omne aptum ſit ad ſuſcipiendum fauorem à ſupernis. 169
Tempus, cur damnatum à

Parone

Parone Pythagoræo. 167
Tempus fauſtum, vel infauſtum, quando ſit. 170
Tenebræ, quid interpretentur. 163
Ternarius & quaternarius numerus, quibus rebus addicti. 55
Terra, quando maledicta. 196
Terram promiſſam, vbi oſtendit Moſi Deus. 192
Thau, quem numerum denotet. 218
Theologorum cum Philoſophis diſſenſio de Angelorum corporibus. 133
Theſauri, & diuitiæ Dei, quæ ſint. 52
Throni, cui ſeruiant. 7
Tetragrammaton, quo pacto dicatur origo & fons omnium influxuum. 38
Tetragrammaton nomen, quam ſortiatur proprietatem. 12
Tigris fluuij, ortus, & tranſitus: & cur ſic vocatus. 55
Timor legis Moſaicæ, qui fuerit. 172
Timor euangelicus, cur ſuperior amere. 173
Timor, ad quam pertineat menſuram. 173
Timor quotuplex, & qui. 172
Timore Dei vacans nemo iuſtificabitur. 175
Timoris definitio iuxta ſapientem. 174
Timorem Dei multæ conditiones præoccupant. 174
Tintinabula 72. & mala punica totidem, in chlamidis fimbrijs veterum ſacerdotum Hebræorum, quid denotabant. 107
Tipheret cuſtos, qui nam ſit. 6
Tipheret, quid denotet. 58
Tipheret in Malchut, quando non influat. 89
Tipheret in Malchut, amor: & vice verſa Malchut in Tipheret. 145
Tribunal diuinæ iuſtitię gheburah, quibus animalibus placabatur. 114
in Tribunali diuinæ Iuſtitiæ omnia ſubtiliſsimè diſcutientur. 5
Trigona figura optimè conuenit mundi fabricæ. 45
Trinitas in quibus repreſentetur. 30
Triſmegiſti morientis verba

ba. 14
Tunica Iacob polymata, quid denotet 138
Tya, quod genus arboris ſit. 42

V

Vates, ſunt Philoſophis præferendi, & quare. 200
Vates veri, quomodo procedere debeant. 201
Vbera, quæ lactauerunt Prophetæ, quid ſignificent. 82
Vegetabilia quorum angelorum munere Deus producat. 8
Venus, cur ſic dicta 65
Venus, cur Lucifer dicta. pag. 86
Venus, cur ab Ariphane, aphrodite vocata 86
Venus, quomodo apud Cyprios depicta. 86
Veneres geminæ, ſecundum Cabaliſtas, quæ ſint. pag. 87
Veneres duas, ſeu Amores duos, cur poſuit Plato: & quæ illæ ſint. 85
Verba Domini ad Adam: In ſudore vultus tui, &c. quomodo intelligenda. pag. 40
Verba Domini ad Moſen, quando dixit: Videbis poſteriora mea; quomodo intelligenda. 79
in Verbo Dei omnia condita ſunt. 29
Verbum Dei, quale ſit. pag. 206
Veritas, vnde. 181
Veſtimenta Dei, quot, & quæ ſint. 161.162
Viam Dei nemo ſcit. 201
Vigilia quælibet, quot horas habeat 93
Vinum Aquilonare, & veſpertinum, quid denotent. 5
Vinum, quid ſit 108
Vir perfectus non remanſit vſque ad Abraham. 76
Viridis color, eſt omnium colorum capax 217
Virtutes, quomodo perficiantur 191
Virtus diuina connectit, & vnit 35
Virtus finita exquirit tempus in agendo: infinita verò minimè. 43
Viſio intuitiua, quæ propriè. 203
Viſio matutina, Auguſtino, quæ dicta: & quomodo Hebræis voçata. 203
Viſio fieri nequit niſi cum lumine, ſecundum Ariſtotelem. 122
Viſiones Prophetarum, cur certiores rationibus naturali-

turalibus. 200
Visiones, quot sint generũ. 202.& 203
Vita hominis, cur aliquibus longior, quibusdam breuior. 197
Vitam ęternam, à quo habeamus 57
Vitæ spiritus, quis dicatur. 57.
Voluptas satians, vbi nam reperiatur. 51
Voluptas, dicitur sustentaculum creatarum rerum. pag. 58
Voluptas, vnde fiat. 149
Vox, cur à Deo interdum geminaretur. 203

Z

Zebedei filij, cur à Christo reprehensi. 180

FINIS.

SELECTIORA CABALISTARVM DOGMATA, EX COMMENTATIONIBVS IOANNIS PICI EXCERPTA.

Sicut homo, & Sacerdos inferior ſacrificat Deo animas animalium irrationalium; ita Michaël Sacerdos ſuperior ſacrificat animalium animas rationalium.



SACERDOS veteris teſtamenti volens Deo ſacrificare, tenebatur ex lege portare in pectore doctrinam, & veritatem: vel vt habet veritas literæ ואת התומים האורים haurim veet hatumim, quod recte interpretando dicimus illuſtrationes, & puritates, vel innocentias, aut immunitatem ab omni macula. vt doceamur, quòd Sacerdos debet eſſe illuſtratus. maxime in doctrina legis. & ideo in Oſea dicitur, Quia tu ſcien-

tiam repulisti ego repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi. debet quoque præ se ferre puritatem, innocentiam, & immunitatem ab omni macula. iussu etiam Dei tenebatur portare in fronte laminam auream, quam Hebræi צִיץ זָהָב tzitz zahab nominant. in qua sculptum erat nomen magnum tetragrammaton יְהוָה, & ligabatur super pileolo lineo omnibus sacerdotibus communi. Pontifici autem astringebatur lamina illa vitta hyacinthina in fronte: & hoc vt intraret ad sacra peragenda in nomine magno Dei, vnde omnis influxus, & propitiatio. & pallium deferebat, cum septuaginta duobus malogranatis: quia cum solus ipse inter sacerdotes totius mundi legalis esset verus, & legitimus sacerdos, ipse etiam solus poterat rogare non tantum pro populo Israelitico, sed pro omnibus mundi populis, qui sunt septuagintaduo. deferebat etiam septuagintaduo tintinnabula alternatim cum illis malogranatis, vt illis excitaret septuaginta duos principes, qui præerant septuagintaduobus idiomatibus, & vngebantur vnctione virtutis nominis Dei: quod nomen Dei oleum, vel chrisma dicitur, propterea, quòd homines leues faciat. sicut de Iahacob, & Dauid dicitur. significat etiam misericordiam, & propitiationem: quę vir-

tute Diuini nominis tribuitur. & ſacerdos uolens Deo ſacra peragere ingrediebatur in ſanctuarium, ſiue in ſancta ſanctorum. & hoc, quando uolebat procurare pro populo propitiationem, in die remisſionis, quem Hebræi יום כפרים iom hachepurim uocant. qui dies ordinatus fuit menſe ſeptimo, numero quidem remisſiuo, & in decima die lunæ ipſius menſis, quo tempore indictum fuit ieiunium, & afflictio animæ: vt inde populus remisſionem facilius cõſequeretur. & animalia quæ offerri tenebantur; debebant eſſe munda, integra, & ſine macula: niſi uoluntariè offerrentur, ut in Leuitico habetur. & hoc quia immaculato Deo immaculata debentur: iubetur autem præcipue, ne careant aure, uel cauda. nam animal quodcunque offerimus, ſignificat animal noſtrum Deo offerendum in hoſtiam immaculatam, Deoque placentem ſicut docet Paulus Romanos. cui animali noſtro ſolicite proſpiciendum eſt, ne deſint aures. nam per nullum alium ſenſum homo, dum eſt in corpore animali, capere poteſt Diuina, niſi per auditum. quia fides, in qua de diuinis docemur, eſt ex auditu. ut ait Paulus. debent quoque huiuſmodi animalia habere caudam: quæ perſeuerantiam in bonis operibus ſignificat. & iubet lex of-

ferri duos agnos: alterum vespertinum, matutinum alterum. Sacrificium uespertinum fiebat ad placandos accusatores coram tribunali iustitiæ comparentes: qui incircuncisos accusabant tanquàm reos culpa originali nódum expiata. Sacrificium uero matutinum fiebat ad comparandam gratiam misericordię & pietatis à tribunali in austro locato, & istos duos agnos offerri exquirebat Deus in perpetuum. & multa alia fiebant sacrificia, habent enim sacrificia cum eo, cui offeruntur, & cum his, qui expiantur, symbolum quoddam: adeo tamen occultum, ut ipsum capere nequeat humanum ingenium; licet omnes necessaria sacrificia confiteantur. Est enim intermedium quoddam quasi naturale inter Deum, & hominem. Deo enim sacrificare (inquit Aristoteles ethicorum quinto, & Proclus in de orationibus & obsecrationibus libro, itemque Plato, Plotinus, & Porphyrius) est homini proprium, sicut mugire bobus, & latrare canibus. & his præterea addunt, quòd qui hoc peragere contempserit, extra hominis naturam depelli meretur, eiq; hominis nomen denegari. est enim homini quarto modo proprium. omni nanque soli ac semper ei competit. huius autem, uel illius sacrificij oblatio pro hac uel illa expiatione, quamuis ordine naturali conuenientissima

sit,

ſit, à Deo tamen ſunt inſtituta: cum ad hæc humana indago non ſit ſatis inuenienda, quæ Deus in particulari pro noſtra expiatione exquirat ſecundum rerum cœleſtium ordinem cum ipſis expiandis, & ſacrificijs expiantibus ut placatæ reddantur cœleſtes uirtutes; & ſe ſe ab executione punitionis abſtineant, quam delicta perpetrata merentur. Sanguis enim animalium expurgare uidetur peccatum in carne contractum ex ſanguine animalis noſtri iuxta illud Apoſtoli omnia penè mundantur in ſanguine. penè, inquit, quia uaſa terrea, & ænea aqua mundabuntur. nec enim ab re homo, qui eſt omnium uinculum, & omnia continet, & ſymbolum habet maximum in parte inferiori, in qua, & per quam contrahitur initium peccati; cum animalibus expurgabatur per animalium ſanguinem immaculatorum; quæ à ſacerdote legali offerebantur. prius tamen extabant quędam alia ſacrificia; ut puta terrę fructus, & primitiæ, ut de Abele patet, & de legis naturę obſeruatione. & de his pro delictorum expiatione ſatisfactus reddebatur Deus, teſte Paulo. Ipſi ſunt ſibi lex, qui legis opus in ſuis cordibus ſcriptum oſtendunt, & quæ ſequuntur. & ſicut lex ſcripta perfectior lege naturæ extitit, ita Deus in illa perfectiora animalium ſacrificia uidelicet inſtituit; ſunt enim animalia fru-

gum primitijs perfectiora, & quoniam euangelica lex cæteris perfectior existit; hinc Deus nobilius sacrificium instituit. est enim lex amoris, & filialis timoris, sacrificium scilicet agni immaculati Christi, uices omnium, quæ offerebantur supplentis. Hic enim tanto perfectius omnium peccata tulit, & expurgauit; quanto ipse est celebrius uinculum omnium creaturarum rationabiliũ, & irrationabilium, insensibilium, & cœlestium. fusus itaque sanguis animalium suscipiebatur in sancta simul cum peccatis eorum, pro quibus fundebatur, quousque ueniret ille, qui per proprium sanguinem introiuit semel in sancta æterna redemptione inuenta. Ad rem igitur, unde digressi sumus. Sicut igitur sacerdos legalis offerebat animas animalium irrationalium; sic Michael, qui est sacerdos, & princeps super animas suscipiendas, nec minus super corpora, offert illa Deo. Nam & pro corpore Mosis altercatus est cum Diabolo, ut refert Thadeus in epistola sua canonica. Diabolus enim (ut asserunt Hebræorum Doctores) & virtutes illæ immundę his crassioribus ex terrea materia confectis cibis pascuntur. Sicut antiquo serpenti fuit a Deo indictum. vt in Genesi legimus. Terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ. & per Isaiam etiam, quando dabitur perfecta requies electis, dicitur. &

ſerpenti puluis panis eius. puluis autem eſt animal noſtrum, ſicuti ſcriptum eſt: formauit Deus hominem puluerem de terra, pro quo nos habemus, de limo terræ. Qui puluis eſt animal, non quidem in melius tranſmutatum, & ſurgens ſpirituale; ſed corruptioni derelictum, & dimiſſum, aut terra, & puluis, atque fœx derelicta demiſſaque in cibum ſerpenti, quia inquit Paulus. & ſi omnes reſurgemus, non omnes immutabimur, remanentibus videlicet aliquibus in cibum ſerpentis: quos etiam in hac vita comedere ſtudent, ut decantat propheta. Catuli leonum rugientes, ut rapiant, & quærant à Deo eſcam ſibi. Catulos enim leonum omnes communiter interpretantur aduerſarios noſtros, qui (vt Petrus ait) circumeunt quærentes quē deuorent. & dicuntur quærere à Deo eſcam, cum nihil ſibi poſsint aſſumere, niſi quantum Deus permittit. Dantur ergo cadauera his ſerpentibus in cibum. & hæc eſt cauſa, ob quam talia terrorem incutiunt mortalibus, ex præſentia videlicet ipſorum id fit. Nam & pro corpore Moſis (vt dixi) altercatus eſt Michael cum Diabolo. Diabolus enim volebat illud auferre, tanquam peccato obnoxium: ſed Michael ex aduerſo Deo illud pręſentare volebat, tanquam lege purgatum, & purificatum ex diuino conſortio: unde ad tantam

claritatem deduxerat faciem, vt filij Iſrael non poſſent in eam intendere, ob ſplendorẽ vultus eius. Pugnauit itaque Michael tanquam verus ſacerdos, & angeli, id eſt, miniſtri eius cum eo, pro animabus omnium contra ſerpentem antiquum: qui eas continuè quærit, vt deuoret, ſed præualuit Michael. & eiectus eſt draco. Nec minus nunc, & continuo eſt eſt in adiutorium populo Dei, vt in Daniele legimus. Michael princeps magnus, qui ſtat pro filijs populi tui, id eſt pro electis. fungitur itaque Michael perpetuo ſacerdotio tanquã magnus Dei ſacerdos. vnde ſecretiores theologi vocant ipſum כהן גדול coſhen gadol, id eſt ſacerdotem magnum. nam ſicut ille ſacerdos magnus offerebat (vt dixi) animaliũ animas; ita Michael ſacerdos offert Deo animas rationales. ſacrificat enim tanquam vicarius in cœlo: ſicut ſacerdotes communes tanquam vicarij Chriſti ſacrificant, vel offerunt corpus Chriſti, quod iam ſacrificatum, & oblatum ab ipſo Chriſto fuit. Et in hoc ipſi funguntur ea vice, quam dedit illis ipſe Chriſtus, dicens. Hoc facite in meam commemo rationem. Ipſe enim Michael eſt princeps militiæ Chriſti conſtitutus ſuper omnes animas ſuſcipiendas. ponderat nempe illas, non lancibus, vel ſtateris corporeis, anima enim pon

dus

dus nullum habet. Sed librat eas ſtatera habente ſymbolum cum menſura, qua menſuratur ſuperna ciuitas. *I*pſe enim ſacerdos cœli coęquat ſumma iuſtitia vniuſcuiuſque merita cum præmio ſibi dando: ne plus aut minus detur, quàm ſit remunerandorum meritum, non quidem in arithmetica, ſed geometrica proportione. Omnia nanque ſubtiliſſime diſcutiuntur in tribunali diuinæ iuſtitiæ. Cuius loci inter angelos ibi aſtantes Michael principatum tenet. Veruntamen animæ antequam ſacrificentur à Michaele, iam primò ſacrificatæ fuerunt à Chriſto uero, & ſummo ſacerdote ſecundum ordinem *M*elchiſedech. Melchiſedech enim ſignificat regem meum iuſtum: Et Chriſtus fuit ſacerdos non legalis, ſicut Aharon, ſed Regalis, ſicut Melchiſedech: qui erat Rex Salem. Hinc Petrus alloquens chriſtianos, qui ſacerdotium chriſti ſequuntur, ait. Vos eſtis gens ſancta, regale ſacerdotium. Et ſicut Melchiſedech erat Rex Salem, id eſt Ieruſalem, & pacis inferioris; ita Chriſtus eſt rex Ieruſalem, & pacis ſupernæ. *E*t per panem meridionalem, & matutinum intelligitur omne ſacrificium matutinum: per vinum verò Aquilonare, & veſpertinum, intelligitur omne ſacrificium veſpertinum. Quorum alterum, veſpertinum videlicet, fiebat (vt dixi) pro placandis accuſato-

ſato-

ſatoribus : alterum vero, matutinum videlicet, pro beneficijs impetrandis, vt dicunt veri ſapientes. Quę omnia Chriſtus vno ſacrificio complexus eſt, ſicut Melchiſedech præcedens figurauerat : cuius ſacerdotium manet in ęternum. Vnde Paulus. Alij quidem plures facti ſunt ſacerdotes, eo quod morte prohiberentur permanere : hic autem, Chriſtus videlicet, eo quòd maneat in ęternum ſempiternum habet ſacerdotium. Vnde & ſaluare poteſt in ęternum, accedens per ſemetipſum ad Deum : ſemper viuens ad interpellandum pro nobis. Sacrificat igitur Deo archangelus, dum viuimus, bona opera noſtra Deo. Poſt mortem vero noſtras animas, iam purificatas illi offert. Iſte Michael dicitur à Cabaliſtis Mittatron. Vnde dicunt ſecretiores Theologi, quòd mittatron eſt שְׂרַפִּים ſarapfacierum princeps. Nam eius officium eſt introducere amicos Dei ad faciem, & pręſentiam ipſius. Hinc Moſes habuit gratiam loquendi Deo facie ad faciem : ut in Numeris legitur. Fuit etiam dux eius contra multigenos hoſtes. Dedit enim Deus ipſum Michaelem in ducem Moſi, ut pugnaret contra eius aduerſarios : & quando opus foret, introduceret eum ante faciem eius. Ideo ſcriptũ eſt. quod Deus cũ Moſe loquebatur facie ad faciem.

ciem. In quo quidẽ angelo fuit nomen Dei, id eſt virtus diuini nominis: vt in Exodo legimus. Cuius nominis virtute, ipſe Moſes omnes hoſtes colliſit. Et officium eius eſt introducere benemeritos ad faciem principis Dei, quod propriè eſt ſacrificare animas: & ſi animas Deo offerre Chriſti eſt propriũ: eſt enim (vt dixi) verus, & ſummus ſacerdos, cui eſt data omnimoda ipſarum animarum redemptio. Et qui ſuo ſacrificio oblato continuè, & perpetuò pro nobis æternam inuenit redemptionem; debet æterno fungi ſacerdotio, interpellans continuè vultui Dei pro omnibus animabus, pro quibus ſe ipſum obtulit ſacrificium, & hoſtiam. Quoniam tamen archangelus eſt Chriſti angelus, & cuſtos tiphereth: ideo vices Chriſti habens, animas, & corpora (ſi in vita in ſubſtantiam ſpiritualem conuerſa fuerint) ſacrificat; quod tamen in omnibus conceſſum non eſt, teſte Paulo. Non omnes immutabimur, vt dixi. nam ſicut non offert animas niſi iuſtificatas; ita nec corpora præſentat, niſi in ſpiritualem ſubſtantiam mutata fuerint; & ſicut in ſacrificijs legalibus, à ſacerdote oblatis, in ſignum diuini beneplaciti, ignis è cœlo deſcendebat, & ſacrificia comburebat; & ignis ille diuinus animalium animas ſurſum deferens abſorbebat; ita in morte animã iuſtificatam, & pur-

gatam

gatam ab omni labe peccati, Deo ab archangelo oblatam ignis ille diuinus, eam in ſe transſmutando abſorbet, & ita fit vnum, & idem cum Deo, approbante Chriſto. Volo pater, quod ſicut ego, & tu vnum ſumus; ita & iſti vnum ſint in te. nam vt habetur in Deut. Dominus Deus tuus ignis eſt comedens, non deuorans, vt habet noſtra traductio. Et ad huius propoſitum dari poteſt exẽplum de ramuſculo alias in arbore inſerto: qui cum arbore illa fit vnum, & idem, & ab illa nutritur: impermixtus tamen in ſe manet, nec naturam ſuæ ſpeciei amittit. Sic erit diuina beatorũ tranſubſtantiatio: Nam Deus illas tranſubſtantiat, deuorando per inflammationem. Et ſi hæc tibi obſcena videntur, contra te ſua vibrant fulmina Proclus, Orpheus, atque omnes Cabaliſtæ: qui volentes de his diuinæ ſapientiæ arcanis loqui, aiunt. Procul ite profani: quia ſancta canibus committenda non ſunt.

D. Cab. Nouem ſunt angelorum hierarchiæ: quarum nomina Cherubim, Seraphim, Chaſmalim, Arælim, Tarſiſsim, Ophanim, Iſsim, Malachim, Elohim.

F. A. Secundum enim Dionyſium, Iamblicum, & recentiores theologos, nouẽ ſunt ordines angelorũ, ſiue gradus: qui tam à philoſophis; quàm à ſapientibus Hebræis, intel-

lectus

lectus ſeparati dicuntur: non tamen à materia ſpoliati, vt cõmuni vocabulo dicuntur intelligentiæ ſeparatę. Hoc intelligitur (ſecundũ Cabaliſtas) quòd dicuntur ſeparati à Deo, & non a materia. Nã quicquid diſtat à Deo actu primo, & puriſsimo, neceſſe eſt ſubintrare materiã. Vnde naturales deſcribentes entium latitudinẽ. in eius cacumine eſt actus purus abſq; materia: in imo eſt materia ſine forma: inter media verò omnia admixta demonſtrãtur ex forma, & materia. Quę quidem angelorum materia non eſt phyſica, & corruptioni ſubiecta: ſed ſicut materia cœli differt à generabilium, & corruptibilium materia, per analogiam quandam; ſic etiam materia angelorum ab aliorum materia differt. Vnde antiqui Baſilius, Origenes, & Gregorius, & academici omnes, dixerunt angelos habere corpora. Vnde abſque errore dici poſſunt animalia. Vnde Mercurius Triſmegiſtus, & academici omnes, & multi ex antiquioribus doctoribus noſtris angelos eſſe corporeos, & animales aſſerunt. Inquit enim Baſilius. Angeli corpora habent, veluti ſpiritus quoſdam tenues, aereos atque puros. Quod à Dauide diſcere poſsumus, dicente. Qui facit angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flãmas ignis. Nec enim moueri poſſet angelus de loco ad locũ, niſi cor-

pus

pus haberet: cum motus localis ſit ſolius corporis. Vnde Dionyſius dicit, ipſos materiæ eſſe immixtos: materiæ inquam metaphyſicæ. Attamen quia in ipſis ſunt gradus perfectionis, & Deo cæteris creatis ſunt proximiores primi ternarij angeli, quia expreſsione imaginis trini Dei gaudent, ſummæ eſſentię diffuſionem in trinitate repreſentant. Pater habens eſſentiam omnium intellectui ſuo obiectam ſeipſum intelligendo ſapientiam, aut verbum, vel cognitionem ſui ipſius gignit: qui filius dicitur. Hinc ſibi patris nomen comparat. Producta itaque ſapientia, cum ſit producenti ſimillima, & ab eo naturali progreſſu emanans, filij nomen ſortitur. ex vtriſque vero pullulans amor, Spiritus, nexuſque vtriuſque appellatur. Cui amori parentem cum prole connectenti, ordo correſpondet ſeraphicus, & cherubicus. nam ſapientiæ plenus, & decoris, ſummæ ſapientiæ filio reſpondet, quæ patris complacentia dicitur, & omnium decor, & pulchritudo rerum. Throni verò patri ſeruiunt, in quibus ſedens gloriatur, continua verbi, & ſpiritus productione, & in ipſis mundum dijudicant, teſte pſalmo. Parauit in iudicio thronum ſuum. quam ſedem filio pater concedit, omnimodam ei tribuens poteſtatem iudicandi: vt ipſemet in Apoc. teſtatur, dicens. Ego
vici,

vici, & ſedeo in throno patris mei. Cum autem ſummum illud bonum in alios ſe diffundat, hic alium ordinem triplicem, quo ad creaturas producendas, necnon & gubernandas produxit. Quibus ordinibus, & miniſtris, tanquam opifex magnificus, & princeps operari, & regere ſtatuit. Quia igitur pater Deus dat omnibus, vt ſint, merito dicitur omnium Dominus. De quo in ſacro eloquio dicitur. Dominus vniuerſorum tu es. hinc ei dominationis ordo reſpondet. Et quia præeſt debito ordine, & Poteſtate, quam filio tribuit; qui ait, Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra; poteſtates vocantur. quia exequuntur ea, quibus pręſidere filio datum eſt. Et quia dat vitam, conſtantiam & ſanctimoniam omnibus rite diſpoſitis, per ſpiritum ſanctitatis, & vitæ: alius ordo exquiritur, virtutum videlicet: per quas omnia ad veram vitam, & ſanctimoniam conducantur. Et hoc eſt, quod pſaltes ait. Spiritu oris eius omnis virtus eorum. Et quoniam ipſe Deus eſt trinus, hinc trina ratione communicat: ideo triplici ordine hominem, qui rerum omnium eſt nodus, curare decreuit. Diſtinxit nanque hominum genus per gradus, ſuperiores ſcilicet, & inferiores: partitusque eſt, & diſtribuit regna, & prouincias, quibus iuſsit præ-

ferri

ſerri aliquos in ſpirituali: alios verò in ciuili regimine. Quibus regnis, & prouincijs præpoſuit ordinem principatuum. Principibus, & pręſidibus præpoſuit ordinem archangelorum. Vni verò cuilibet hominum, angelorum ordinem diſtribuit, teſte Chriſto. Angeli eorum ſemper vident faciem patris mei, qui in cœlo eſt. Hebræi verò vocant primũ ordinem היות קדוש haioth kadoſch, id eſt animalia ſanctitatis, ſeu vitas: per quos angelos Deus אהיה eheie eſſendi munus largitur, ſecundo largitur אופנים ophanim, id eſt formæ, ſeu rotæ, per quos Deus אלהים Aelohim chaos diſtinguit. tertio loco ſunt אראלים Arælim, angeli magni, fortes, & robuſti. Per quos tetrag. יהוה Aelohim pronũciatus, ſeu יהוה tetragramus cũ hac cõiunctione ארו formã fluxæ materiæ miniſtrat. quarto loco ſunt השמלם: chaſchmalim ꝑ quos elohe Deus corporũ effingit effigies. quinto loco ſunt שרפים Seraphim: per quos Deus אלהים גבור Aelohim gibor elementa depromit. ſexto loco ſunt מלאכים malachim, i. angeli; per quos Deus אלוה Aeloha metalla producit. ſeptimo loco ſunt אלהים Aelohim, id eſt Dij: per quos Deus יהוה צבאות tetragrammus zauaoth producit vegetabilia. octauo loco ſunt בני אלהים bene Elohim, id eſt filij Deorum: per quos Deus

Deus elohim אלהים צבאות zabaoth animalia procreat. nono loco ſunt כרובים cherubim: per quos Deus ſadai genus hominum curat. Sub iſtis eſt ordo animaſticus dictus אישים iſsim, id eſt heroes, viri fortes, & beati: per quos Deus אדני Adonai prophetiam largitur. Theologi vero noſtri ponunt triplices angelorum diſtinctiones, & harum quanlibet in tres diuidunt ordines, vt ſint videlicet tres diſtinctiones nouem ordines conſtituentes, & eas vocant hierarchias, ſiue choros. In ſuperiori hierarchia ponunt Seraphim, cherubim, & thronos, tanquam ſupercœleſtes ſpiritus, Diuinę prouidentiæ ordinem contemplantes. primi in Dei bonitate: ſecundi in eſſentia: tertij in ſapientia. In media vero hierarchia ponunt Dominationes, Virtutes, & Poteſtates, tanquam mundanos ſpiritus, ad mundi gubernationem concurrentes: quorum primi præcipiunt, quod reliqui exequuntur: ſecundi adminiſtrant cœlos: nonnunquam ad miracula facienda aſpirantes: tertij ea, quæ diuinam legem perturbare poſſe videntur; arcent. In inferiore autem hierarchia ponunt principatus, archangelos, & angelos: hique ad inferiora curanda deſcendunt. Quorum primi curant publica, principes, & magiſtratus, prouincias, & regna ſinguli ſingula.

ſecundi ſacris interſunt: Diuinum cultum circa ſingulos homines dirigunt: precesque hominum, & ſacrificia coram Deo offerunt. tertij minora quæque diſponunt: ac ſinguli ſingulis adſunt; minutisſimis herbis, & lapillis virtutem ſubminiſtrant. Quibus multa cum Deo, multa cũ hominibus ſunt communia, ſuntque miniſtri mediantes. Volentes autem de nouem choris angelorum plenius diſcutere, nimis longus eſſet proceſſus. Ideo nunc aliqua breuiter proferam. Et dico quod, intelligentiarum ordines, vt iam dixi, ſunt nouem apud omnes; nec ſine ratione id aſſerunt. Cum Deus trinus emanauerit in productione ipſorum per quadratum ternarij; qui nouenarius eſt. Secretiores vero, & antiqui theologi, quamuis in numero non diſcrepent, alijs tamen nominibus ipſos ordines vocant; videlicet השמלים chaſchmalim כרובים, cherubim, תרשישים tarſiſsim. Poſteà אראלים arelim, שרפים ſeraphim מלאכים malachim, אופנים ophanim, אישים iſsim, אלהים Aelohim. His etiam addunt בני אלהים bene Aelohim, qui indifferenter tam bonos, quàm malos Iuſtitię Dei miniſtros ſignificant. De quibus omnibus in ſacra ſcriptura fit mentio. Nam de chaſchmalim meminit Ezechiel. De Cherubim in Geneſi, & Exodo, alijsq; pleriſque in lo-

locis fit mentio. De tarſiſsim idem Ezechiel. Pro quibus communis editio habet. Angelos vel nuntios. De ophanim verò meminit ipſemet Ezechiel. Iſsim autem nominantur à Salomone. De Elohim quoque pleriſque in locis habetur, & præcipue in primo Regum volumine: Vbi pythoniſſa Sauli dixit. Elohim vidi aſcendentes è terra. pro quibus vulgata traductio habet. *Deos* bene, id eſt filij. Elohim vero boni à Iob, mali autem à Moſe, & ab eodem Iob memorantur. Et quãquam nouem tantum ſint ordines ipſorum; indiuidua tamen multo plura conſtituunt. Vnde, ſecretiores theologi hunc numerum aſsignare conantes diſtingunt exercitus eorũ in מזלות mizaloth, אל el לניון ligion, רהטון rihaton, חרטון kirton, בשטרא giſtera. mizaloth autem dicuntur eſſe duodecim, iuxta duodecim ſigna Zodiaci. El vero dicunt eſſe cohortes triginta pro quolibet illorum duodecim. Vnde ſunt in numero trecentæ ſexaginta angelorum cohortes. Ligion autem, multiplicat illum numerum trecentorum ſexaginta per triginta. Vnde reſultat numerus decem millium, & octingentorum; & hunc numerum ipſi Cabaliſtæ multiplicant pariter per triginta: & fit rihaton, conſtans ex trecentis viginti quatuor millibus. Et hunc numerũ adhuc ipſi per triginta mul-

tiplicant: & fit chirton, constans ex nongentis millium millibus, & septuaginta duobus millibus. Et hunc numerum pari modo per triginta multiplicant. Vnde resultat gistera; constans ex ducentis nonaginta, & vno millium millibus, & sexcentis millibus. Quorum omnium summa est trecenta, & vnum milliũ millia sexcenta, & quinquaginta quinque millia centum, & septuaginta duo. Qui omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi. Et licet omnes (vt Apostolus ait) sint ministri Dei, & assistant Deo; mittuntur tamen ad beneplacitum principis. Et quamuis mittantur semper, tamen assistunt Deo; iuxta illud. Angeli eorum scilicet in tutelam missi semper vident faciem patris. ipsi enim met aliquando assistunt, aliquando vero mittuntur, nec tamen, vt dixi, ab assistendi officio cessant. Et si de eorum naturali dispositione loquitur Paulus; Daniel autem de illis, quibus iam iniuncta sunt officia, tractat. Quæ officia angelorum sunt, quod alij sunt assistentes Diuino tribunali, videlicet Deum continuè laudantes; alij vero ministrantes ipsi, & nobis scilicet. Quibus ministrantes respondent. Horum autem aliqui præsunt quatuor noctis custodijs, de quibus Christus meminit dicens. Et si venerit in secũda, & tertia vigilia noctis videlicet, &c.

 Alij

Alij quoque prçficiuntur quatuor anni custodijs, per quatuor stationes solis, à cardine videlicet in cardinē distinctis. Alij verò prçsunt planetis. Alij quoque præsident duodecim signis: de quibus Ioannes meminit, dicens, quòd in portis, id est signis, quç (vt Plato ait) sunt portæ cœli, sunt duodecim angeli. Et cum istorum signorum aliqua sint orientalia, aliqua occidentalia, aliqua meridionalia, aliqua vero aquilonaria; hinc ipse Ioannes subinferens inquit. Ab oriente portæ tres, ab aquilone portæ tres, ab austro portæ tres, & ab occasu portæ tres. Alij vero angeli tutelç, & custodiç nostrç addicti sunt. Alij præsident animantibus, alij plantis; alij lapidibus qui pretiosi dicuntur: vt secretiores theologi, & veri sapientes affirmant. Alij quoque præsunt bello, alij paci, alij regibus, & prçlatis. Alij vero præsunt prouincijs, & regionibus: quæ moribus differunt, iuxta differentiam custodum suorum. Et adeo omnibus rebus, & operationibus præficiuntur angeli, vt Deus in mundo hoc inferiori per angelorū ministerium omnia operetur. Ideo Paulus horum sacramentorū non ignarus ait. Omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi, vt iam dixi.

D. Cab. Quamuis nomen ineffabile sit proprietas clementiæ, negandum tamen non

est, quin contineat proprietatem iudicii.

F. Ar. Et si vnicus est Deus, & maxime vnus; multis tamen vocatur nominibus: non quidem, vt illis exprimantur plures essentiæ, aut Deitates eius, sed proprietates: quę licet ab eodem fonte Deitatis emanent, ibidem tamen radicatę sunt semper vnum. Sed plures dicuntur ratione ad nos habita: in quos multa beneficia, diuersaque munera per diuersos canales distillant. Quapropter Deus ipse inuictissimus diuersa nomina sortitur (de quibus per singula declaraui super porta lucis) ita tamen, quòd eorum quodlibet nominum habet influxum sibi appropriatum: vt hoc nomen אל el, quod nos Deum habemus interpretatum; nam omnia fouet, atque omnibus succurrit summa pietate, & clementia, id quod est illi proprium: & ideo illi gratia attribuitur. nomini אלהים Aelohim, quia per ipsum veniunt seueræ punitiones, & strages, belligerique viri; hinc, & Deus exercens potentiam suam puniendo flagitiosos, vir belli dicitur: de quo Ieremias. Dominus mecum tanquam bellator fortis, vel tanquam robustus confractor. iudicium ergo sibi tribuit: & angeli ei seruientes dicuntur bene Aelohim, id est filij Aelohim. Aelohim ergo terrorem significat, ac pauorem. hinc locus aquilonaris ei assignatur: à

quo

quo procedet omne malum culpæ, per legis transgreſsionem, & pœnæ ex peccati punitione. Si ergo rem gratioſam petere volumus, nomen El inuocare debemus: ſicut de Moſe legitur, (vt patet in concluſionibus Pici) qui à Deo Mariæ ſororis ſuæ, ex lepra laborantis, ſanitatis donum exorare cupiens, orando ait. El, na, rapha, na, la. El, id eſt Deus gratiæ: rapha, id eſt ſana: na, id eſt quæſo ſana: la, id eſt illam. Si quis vult influxum iudicii, ac iuſtitiæ, inuocet nomen Elohim: ipſe enim miniſter eſt omnium flagitiorum. ideo ait Proclus, ꝙ à locis rebus appropriatis poſtulare debemus, & inuocare nomina ei appropriata; vt de Moſe diximus: qui meruit ſanitatem ſororis obtinere. Qui vult igitur operari, neceſſaria eſt illi cognitio nominum & proprietatum eorum. De hoc vide, quæ digeſsi ſuper porta lucis. Ad rem dicit concluſio, quod nomen ineffabile tetrag. videlicet, nõ eſt tantum proprietatis clementiæ, quin ſit etiam iudicij. Tria præcipuè ſunt nomina diuina: quorum primum eſt Eheie, nomen ſimplicis, ac totius clementiæ fons primus omnium gratiarum, omnibus parcens, pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis: quem Chriſtus docet nos in neceſsitatibus precari, dicens. Cum oraueritis, dicite, Pater noſter, qui es in cœ-

lis, &c. Et de eodem addit. Pater non iudicat quenquam. Tertium nomen est Aedonai, scriptum per aleph, dalet, nun, iod אדני, quod de se est totius iudicij, nihil gratiæ continens nisi pro vt gratificatur à primo nomine Eheie, mediantibus tamen intermediis dimensionibus. & istud Edonai in vltima locatur sephiraph, sicut Eheie in prima. Secundũ nomen inter hæc duo extrema medians, est nomen tetragr. יהוה ineffabile: quod intiphereth media linea locatur, media inquam inter sephiroth à dextris, & sephiroth à sinistris: Idcirco de vtroq; latere participat, tanquam extrema connectens. Vnde pulchritudo cognomento dicitur: nam proportionaliter influxuum omniũ genera continet. Tetrag. igitur est nomen clementiæ, à sephiroth etiam partis sinistræ defluxum assumit. Ideo iudicii nomen adipiscitur. Et hoc nomẽ tunc punctis Elohim notatur, scilicet perateph, segol, holem, hiric, & sic profertur Iehoi, sicut Elohim; qui tamen, de sui natura proferri deberet. Iehouah, punctis videlicet, seua, holem, & camez. Verumtamen hoc ineffabile nomen, & si de vtroque (vt vidimus) extremo participat; gratia tamen in eo magis elucet, quàm iudicium: plus enim erga creata gratia, & clementia vtitur, quàm iudicio; nam præmiatur vltra

tra condignum; & punit citra demerita. Ideo quandoque hoc nomen ineffabile ſupplet iudicij nomen, quanquoque autem gratiæ. Et quando in iudicio aſſumitur, hoc fit, vt Deus manifeſtet ſe iudicium inferre magna cum clementia; ita quòd puniens doleat, vt dicit propheta. Heu conſolabor ſuper inimicis meis. & alibi. Non eſt voluntatis meæ mors peccatoris: ſed magis vt conuertatur, & viuat. Ineffabile igitur nomen licet ſit gratiæ nomen, negandum tamen non eſt, quin ſit & iudicij. Idem eſt nomen Dei, quod ipſe Deus, & virtus diuina; ſi rectè ſentiunt doctores Hebræi ſic interpretantes. Sicut de angelo miſſo pro tutela, & ducatu Moſi teſtatur Dominus dicens. Ecce mitto angelum meum, qui præcedet te, obſerua eum, & audi vocem eius; quia nomen meum in ipſo eſt, id eſt virtus nominis mei, & diuinitatis meæ, vt ſupradicti exponunt. Et per nomen El ſadai שדי לא fiebát antiquitus mirabilia vſque ad Moſem. &, a Moſe vſque ad Chriſtum in quadrilitero יהוה illo magno nomine. Omnes enim literæ huius ſacratiſsimi nominis ſignificát numeros circulares. Nam י iod, dat denarium ה he, quinarium ו nau ſenarium; qui omnes, & ſoli ſunt numeri circulares, vt ſupra tactum eſt in concluſionibus Mirandulæ; vt innuatur, quòd Deus eſt

est vera sphęra, & in omni progressu sphęrico ordine procedit; reducendo omnia in se, sicut ab ipso processerunt. Quod per Isaiam testatur dicens. Ego sum primus, & nouissimus; manus meæ fundauerunt omnia. Ordinando videlicet eadem in meipsum, vt sphęricum ordinem prosequerentur. Vnde non potest in aliud tendere, massa hæc rerum creatarum, nisi in eum, cuius simulachrum tenet. Omnes insuper lineæ circuli à centro exeuntes in circunferentiam, & ab ea in centrum, denotant, quòd omnes creaturæ emanantes à centro supremæ sphęræ, tendunt in circunferentiam eiusdem sphęræ, tanquam in finem earum. Sicut etiam accidentia omnia innituntur substantiæ, quæ est eorum subiectum, & sustentaculum; sic creata omnia, quæ tanquam accidentia respectu primi, quod est à seipso, innituntur ipsi, à quo dependent; & in quo tanquam in sustentaculo continentur: & in quo errant tanquam in proprias formas explicarentur, & ad ipsum aspiciunt, & tendunt, tanquam ad locum, & domum propriam. Vnde sine ipso, tanquam peregrina non possunt diu persistere, sed ad ipsum redire satagunt, maxime homo; qui omnia virtute continet, & potestate, vt docet Trismegistus. Qui moriens Calcidio referente dicebat.

Hactenus

Hactenus fili pulsus à patria vixi peregrinus, & exul; nunc incolumis patriam repeto; cumque post paulum à vobis corporeis vinculis absolutus discessero, videtote ne me quasi mortuum lugeatis; nam ad illam optimam, beatamque ciuitatem regredior, ad quam vniuersi ciues mortis conditione venturi sunt. Ibi nanque solus Deus est summus princeps; qui ciues suos repellet suauitate mirifica, quo hæc, quam multi vitam existimant, mors est potius dicenda, quàm vita. In hanc sententiam veniunt Didymus, Hiarchas, Porphyrius, Proclus, Plotinus, Iamblicus; qui omnes hortantur ad Deum exorandum cum spe obtinendi, quæ petunt, ex sua magna bonitate. Vnde Proclus docet dicens. Qui volunt numen, aut nomen summi principis assumere in suis orationibus; habere debent cognitionem illius. Necesse est enim, vt inuocans cognoscat inuocandum, si rite ipsum inuocare velit. Vnde Psalmographus canit. Protegam eum, quoniam cognouit nomen meum; non quia inuocauit, sed quia cognouit. Oportet etiam, quòd habeat cognitionem, & symbolum cũ inuocato; iuxta illud Apostoli. Nemo potest dicere Dominum Iesum nisi in spiritusancto, id est nisi naturam, & sortem hominis cœlestis, & spiritualis, sapiat. Postremò requiri-

quiritur; quòd sit vnitus cum inuocato, qui scilicet est caput diuinorum nominum tam in misericordiam tendentium, quàm in iustitiam. Et hæc est ratio, quare Deus Mosi per rubum ardentem nomen suum tetrag. יהוה indicauit, quia ipsum ad describendam mundi fabricam, atque legem elegerat. Vtraque enim ab ipso nomine emanauit. Hinc vt sciret, quæ scripturus erat, nomen illud ei indicauit. Et hoc est factum, quia collisurus erat Ammomino præsidentem Ægypto, qui per solam vim nominis ipsius collidendus erat. Et etiam, vt operaretur signa, & portenta, quæ Deus in Ægyptum mittere decreuerat facienda nominis ipsius virtute. In igne verò existens docere voluit, vt indicaret, quòd ipse Deus ignis, & igneũ habet nomen, & igneam virtutem. cum ipso est operandum: Bonum est tetrag. bonis: vt patet de Mose, quem tanta diuinitate repleuerat, vt Deo plenus, & Deus Pharaonis dictus sit: nam virtutem diuinitatis in ipsum Pharaonem exercere debebat. Hinc fuit verus rex vnctus diuinitate: de qua vnctione loquitur Ioannes, dicens. Vnctionem habetis a sancto, & nostis omnia. Sicut igitur est nomen clementiæ, sic etiam est iustitiæ, vt patet ex supradictis.

D.Cab.

D. Cab. Peccatum Adæ fuit truncatio regni à cæteris plantis.

F. A. Cabaliſtarum docendi modus eſt per parabolas, figuras, & ſimilitudines. parabolà nanque ſignificat iuxta ſententiam, quaſi rerum diſsimilium comparatio: quare ſermo parabolicus eſt bonus. Primò, quia datur de rebus ſenſibilibus, ex quibus tam ignari, quàm docti capere poſſunt. vt patet de parabola illa. Exijt, qui ſeminat ſeminare ſemen ſuũ: omnes enim percipiunt quid ſemen ſit, & quid ager, &cætera. Secundò, quia narrata imprimuntur: parabola nanque artificialis memoriæ vicem gerit. Tertiò propterea, quòd ſcientia noſtra ortum habet a ſenſu: ideo cum parabolis ſenſibilibus ſymbolum habet. Quartò, magna eſt enim ſpiritualis conſolatio ex parabolæ conuenientia cum re ſpirituali per ipſam figurata. Nam Paulus doctrinę huic conformis dicit. inuiſibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. Hic igitur doctor parabolicè, & doctè Adę peccatum pertractans, theologorum noſtrorum modum non obſeruat. Peccatum ergo primorum parentum conſiſtit, quia nõ obedierunt Diuino pręcepto, quod erat, ne comederent fructũ, vel lignum illud: quod lignum eſt lex. Homo.n.cũ eſſet creatura,

tura, legis præceptis dirigenda, videns Adam ſe conſtitutum ſuper omnia creata (ſicut oraculum dixerat, Dominamini volucribus cœli, piſcibus maris, ac beſtiis terræ) exiſtimabat ſe lege non indigere, ſed habere merum imperium omnia ad libitum diſponendi, ſuaſus maxime à muliere parte videlicet inferiori, & animali; quę a malo dęmone ſeducta facile in pręceps ruit. Hinc contempſit legem deuorans, & conculcans ipſam. Peccauit igitur per mulierem: quæ ſiniſtram partem tenet, iuxta illud Ieremiæ. Ab aquilone pandetur omne malũ. & iſtud peccatum fuit voluntariũ; alioqui non fuiſſet peccatum. Vnde Oſeas ait. Perditio tua Iſrael ex te videlicet eſt. Auxilium vero in me tantummodo. Auxilium tamen pręuiſum fuit ab æterno pro hoc peccato, dicente Ioanne. Agnus occiſus eſt ab origine mundi, in remedium videlicet peccati. Sic etiam fuit ipſum peccatum ab æterno pręuiſum; & per conſequens ineuitabile. Quod apertè confirmare videtur Paulus, dicens. Omnia concluſit Deus in incredulitate, & ſub peccato, vt omniũ miſereatur. Quomodo autem illa duo ſimul cópatiantur; nulli adhuc mortaliũ eſt reuelatum. Dicunt tamen theologi noſtri, Adæ peccatum tripliciter conſiderari poteſt; fundamentaliter videlicet, radicaliter.

ter, & finaliter. fundamentum nanque peccati eius inobedientia fuit. nam peccatum teste Augustino est dictum, aut factum, aut concupitum contra Dei legem. aut, est transgressio legis, & cœlestium inobedientia mandatorum, secundum Ambrosium. Radix huius fuit auaritia: quę orta est in terra salsuginis inobedientiæ. Principium autem huius fuit superbia: quæ ex auaritiæ radice germinauit. terminus huius fuit gula. Peccatum igitur Adæ fuit inobedientiæ nisum; radicatum in auaritia, initiatum a superbia, & tandem in gula completum. Cæterum Cabalistę considerantes spiritualia minus nobis nota sensibus: & insuper, quia intellectus noster sensibus alligatur ita, quòd nihil intellectum est, quin prius sub sensu fuerit; idcirco de hac materia sub signis sensibilibus pertractant dicentes. Peccatum Adæ fuit truncatio regni, siue vltimæ plantæ à cæteris plantis: ideo nota quòd corpus temperatissimum aliquando dissonantiam maximam sentit. Quod duplici ex causa fit. Altera est distemperamentum humorum, aut ex superfluitate, aut ex diminutione. aut alteramento intrinseco, vel extrinseco proueniens. Altera quia à cœlestibus disidet, vt influxus aliàs boni ipsi noceant. Dissident quidem, declinante animo ab eo, quod ex-

qui-

quirit cœlestis influxus. Quam deordinationem multæ aliæ subsequuntur, quia statim subijcitur dissidens malo Dæmoni (inquit Proclus) quousque debitis expiationibus expurgetur. Relinquentes humorum distemperamenta medicis, percurremus ea, quæ ad rem nostram, & ad meliorem hominem bene instituendum spectant. Distemperantur enim humores, vnde infirmitates suboriuntur, non tantum ex superflua, diminuta, vel alterata materia, sed sæpius, quia ab animo male regitur corpus. Si enim superfluo cibo pascitur, vnde superflui generantur humores, culpa est animi non frenantis ingluuiem. Et si cibi nociui comeduntur, in culpa est animi imprudentia. Et si homo aliquid perpetrat, vnde oriatur tristitia, & augeatur atra bilis, qua humores inficiuntur, aut magis doleat, & tristetur de occurrentibus quam deceat, vt melancholia comprimatur; hoc est ab animo male se habente, qui tristitia absorbetur: quæ corrumpit potentiam habentis. Si vero animus tanquam dux in toto humano exercitu, cum imperatore, seu rege consentiens, omnes inferiores appetitus, & vires bene moderatur, diligens omnes indebitos hostes, si aliqua tristitia ex pugna, aut labore reportatur, illa euangelica est, non nocens, sed statim vertetur

tetur in gaudium. Nam ſicut diligentibus Deum omnia cooperãtur in bonum, ita diſſidentibus a Deo omnia nocent, omnia vergunt in malum, quia contra huiuſcemodi diſcolos armat ſe creatura omnis in vltionem ſcilicet inimicorum Dei, vt dicitur in libro Sapientię. Hinc Auguſtinus ait. Omnium malorum cauſa eſt peccatum: quod eſt deordinatio, & diſtemperamentum animi, & ducis humani. Quo male regente, rebellant omnia, & diſtemperantur in ſui domini perniciem. Tunc animales ſpiritus, amiſſo freno in pugnam congrediuntur, inſurgunt humores mali, & etiam boni deordinati, viciſſitudine quadam ſegregati abinuicem, corpus vexant, & torquent. Tunc nocent influxus cœleſtes. Tunc Dei lictores, & ipſi in torquendos homines ſeſe expediunt, iuxta illud prophetæ. Et immiſsiones per angelos malos. Tunc (vt inquit Iſaias) percutiet te Dominus aere corrupto. Quod cognoſcens regius propheta dicebat. Miſerere mei Domine, quoniã infirmus ſum: ſana me, quoniam conturbata ſunt omnia oſſa mea, id eſt vires, & virtutes meæ. Nec dicat quiſpiam, quòd infirmitates proueniant ab illis naturalibus cauſis, quas commemorat Auicena, videlicet inanitione, repletione cibi, vel aeris infectione, ſomno, vigilia, exercitio: ſed

potiſsimum ex accidentibus animæ, ſcilicet ira, triſtitia, gaudio, & ſimilibus. hęc enim reguntur ab animo: cum in eius poteſtate (vt dixi) cuncta ſint poſita. Nec criminetur quis complexionem: quia, vt inquit Eccleſiaſtes, Deus fecit hominem rectum, & temperatiſsimum: quo ad corpus videlicet, & animam. Ipſe tamen ſe immiſcuit infinitis quæſtionibus, vel vt (habet veritas Hebraica) ipſe quæſiuit cogitationes multas. Vnde non contentus rectitudine, & ſtatu perfecto, in quo ipſum collocauerat opifex, vagatus eſt circa multa: vnde ſubſequuta eſt perturbatio animæ, & corporis, & omnimoda deiectio a ſtatu, & a rectitudine ſua. Quod in protoplaſte pleniſsime indicatur: qui non contentus recta lege, quam ei conſtituerat plaſmator ipſius, cœpit quærere veritatem, vnde ea perturbatio animi ſequuta eſt. Et in hac tentatione Adam non fuit ſeductus, mulier autem fuit ſeducta, vt dicit Paulus. Et ideo mulier dixit. Serpens decepit me. Adam verò non ſic dixit, ſcilicet decepit me quiſpiam. Dico etiam quòd & ſi Adam deceptus fuit, non tamen deceptus fuit, quantum Eua. Error etiam eſt in parte animali: quæ non percipit, quæ Dei ſunt, non autem in parte ſpirituali: quę (vt Apoſtolus ait) iudicat de omnibus. Hinc peccatum per errorem

rem

rem, ſeu per fragilitatem commiſſum facilè remittitur. Et quia homo non peccauit deceptus; ideo difficillima fuit venia, & a Dei ſolo filio impetranda. Vnde dicunt quidam, quòd ſi Adam non peccaſſet, verbum Dei non fuiſſet incarnatum. Vnde Paulus. Miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege: vt eos qui ſub lege erant, redimeret. Cum igitur Chriſtus venerit tanquam redemptor, videtur, quòd ſi peccatum redimendum non fuiſſet, pater ipſum filium non miſiſſet. Apoſtolus tamen dicit, quòd prædeſtinatus ſit in virtute; & prædeſtinationis nulla ſit ratio; omni ratione, & occaſione ſemota Chriſtus miſſus fuiſſet: pro vt deſtinatus erat. Sicut enim omnia corporis huius myſtici membra ſaluanda prædeſti nata ſunt, & præelecta ab ęterno, iuxta illud Apoſtoli, Elegit nos pater, videlicet in ipſo ſcilicet Chriſto, ante mundi conſtitutionem; ſic & multò magis ipſum caput noſtrum Chriſtum: in cuius perſona propheta canit. In capite libri ſcriptum eſt de me. Vnde & Hebręi aſſerunt, quòd anima Meſſiæ a principio fuit in mente diuina prima, & præcipua ſuper omnes creaturas. Quo ſenſu dixit Chriſtus. Antequam Abraham fieret, ego ſum. Cui Paulus adſtipulans ait. Qui eſt imago Dei inuiſibilis, primogenitus om-

nis creaturæ. Necessaria ergo fuit mors Christi pro satisfactione peccati Adæ. Ideo pueri spiritu sancto afflati decantabant, Osanna filio Dauid, id est salua nos fili Dauid. Stante enim peccato Adæ humanis viribus irreparabili, nemo potest sperare salutem, nisi ab homine Deo. Et ratio est, quia series dispositionis diuinæ sic exigebat. Etiam tota massa humani generis infecta expiari non poterat nisi per hominem cœlestem, è cœloq; venientem. Solius etiam Dei est remittere peccata. Vnde nec Apostolis data fuit potestas remittendi peccata, nisi in virtute spiritussancti. Hinc Christus præmisit. Accipite spiritũ sanctum. deinde subintulit. Quorum remiseritis, &c. Pueri itaque ab hoc spiritu sancto acti (vt ipse Christus innuit) saluari flagitabant ab eo, qui erat homo Deus. Propterea sacerdos, qui vice Dei peccata remittit, antiquitus vngi iussus fuit, chrismate videlicet Spiritussancti, & Diuinitatis. Quod & nunc obseruatur. Nota etiam, quòd homines dicuntur arbores, teste Aristotele dicente. Homo est arbor inuersa. nam Deus os homini sublime dedit: arboribus verò infimum. Et quoniam homo est ad imaginem Dei, iccirco Deus ipse ilan, id est arbor archetypus cognominatur, stipitem, & ramos, ac radicem in se cõtinens. Et huiusmodi co-

ordinatio nuncupatur Ilan Sephiroth: truncus arboris huius eſt tiphereth tetrag. Radix eſt eheie cheter. Rami ſunt reliqua octo nomina, ſcilicet Iah chocmah, Elohim binach, El ghedulah, Elohim ghebura, Tetrag. zeuat nezach, Elohim zeuaoth hod, Sadai ieſod, Edonai malchuth. Ab eheie igitur tanquam a radice ſcaturit defluxus per ordinem in inferiores, & poſtremo in malchuth. Quæ dimenſio tantum gaudet influxu, quantum à ſuperioribus recipit. Sicut igitur radice ab arbore exciſa, flores, folia, & fructus cadunt; ſic per peccatum Adæ fuit exciſa malchuth ab eheie radice cheter, & à tipheret tetrag. ſtipite, & conſequenter ab omnibus ſephiroth; & ſic vacua remanſit malchuth bono influxu, & ipſa dicitur regnum, ſiue quæſtor regis tetrag. creatis diuina ſacramenta diſtribuens. Vacua igitur permanente ipſa dimenſione, nihil boni nobis conferre poteſt. Antea vero quàm Adamus peccaret, malchut à ſupremo prætorio cheter ſibi aſſumebat influxum: & ſic totus ordo ſphriſticus ſiue ipſa gloria funditus ſedem locauit cum imis: omnium enim creaturarum hierarchiæ ſe ſe reſpiciebant ſecundum ordinem graduum, cum ſuperis ſupera, ſephiroth videlicet ad inuicem; & cum imis ima, creata cum creatis. Itaque gloria.

vti cum ſuperis, ita cum imis moram traxit. Cœli cum elementis vinculo quodam mutuum ſortiebantur amplexum: alterumque altero mutuò adimplebatur: & canales ſephiroth adamuſsim opus ſuum exequebantur. A ſuperis vberrimè deorſum migrabant fluxus, vt tam inferiora, quàm ſuperiora altiſsimi nomen repellerent, vt dixit Rab Ioſeph. Dum igitur gloria malchuth cohabitans, ſe non minus terrenis, quàm cœleſtibus inſereret, Adam protinus peccator effectus eſt. Quapropter confuſi ſunt ordines illi: canales anfractum ſubibant: piſcinarum defluxus trahebantur: & gloria ſe abſtulit à malchuth; vinculum illud omnino fuit diſſolutum. Quo facto malchut à cęteris exciſa plantis, gratiæ donum nobis impertire minime poterat: itaque arbor ſterilis remanſit. Hoc œconomico, ſiue politico exemplo oſtendi poteſt de imperatore; qui conteſtabilem ſibi inferiorem habet: & ipſe quęſtorem ſibi habet inferiorem; hicque œconomum habet ſibi inferiorem, & inferior ſuo obedit ſuperiori ordinario immediate. tamen ſi imperator omni inferiori immediate præciperet, œconomo videlicet, ne cuiquam eleemoſynam erogaret; tunc is œconomus ſtatim ei ſupremo domino obtemperaret. Sic Deus tetrag. tanquam princeps glorię ſephiroth,

roth, in Adæ prevaricatione præcepit malchut, infimæ omnium ſephiroth, tanquam diſpenſatrici ſanctorum chriſmatum; ne in Adam bonum influxum influeret, etiam ſi ipſa malchuth boni influxus plena extaret: quod ſemper accidit; & ſi quandoque vacua dicitur, id reſpectu eſt noſtri: nam nihil nobis boni tribuit, ac ſi nuda eſſet. Et hic eſt mos Dei ſecundum Cabaliſtas: qui cùm merita iniuſtis reſpondere procurat, præcipit ſuo regno, ſiue diſpenſatrici malchuth, ne bona in ipſum influat; ac ſi à ceteris plantis preciſa extaret: & hoc dicitur truncare vltimam plantam. Et huius deciſio non tantum ſuper Adam cecidit, ſed etiam ſuper totam poſteritatem ſuam, quam infecit, immo totum mũdum infecit. Et ſi Deus ſit clemens, punit tamen in tertiam, & quartam generationem, vt Moſes ait in Exodo. quia malitia parentum tranſit vſque ad quartam generationem. Priuantur igitur filij hæreditate paterna: ſicut etiam iure ciuili cauetur, quod bona rebellium, & omniũ, qui committunt crimen læſæ maieſtatis, fiſco applicentur. Vnde & filij remanent bonis priuati. Aliquando etiam ex malo ſanguine paterno inficitur filius: & aliquando ex bonitate patris fit mundus, & plenus benedictione. Hinc ſæpius inuenitur, quòd propter pa-

rentes Deus fauit filijs. Et quia filius malo ſanguine parentum inficitur; hinc prohibetur acceſſus ad mulierem menſtruatam, ne proles inficiatur. Secundum vero ſecretiores theologos punit Deus in tertiam, id eſt in animam trifariam, & loquuntur more Platonico, & Cabaliſtico, & in quartam, ſcilicet corpus ex quaternario multiplici confectum: & parcit in millibus, id eſt millenario propter millenarium illum cubum, videlicet denarij, quod Deo conuenit. nam millenarius in eo, quod finis eſt vltimus numeri vltimi, & conſummati; Deo attribuitur, qui omnium eſt finis. Peccante ergo Adam primo parente, peccauit tota humani generis maſſa, quæ in ipſo continebatur: nam rami omnes, & fructus cuiuſcunque arboris ſequuntur radicem. Hinc ſi radix reſperſa fuit aliqua amaritudine vel colore; fructus quoque ſunt amari, & ſimili colore colorati: vt de perſico ſanguineo patet. Vnde Adam, qui fuit radix totius generis humani, infectus, omnes ramos, & folia arboris infecit: ſicut ait Apoſtolus ad Ro. Radix amaritudinis ſurſum germinans impedit, & per illam inquinantur multi. Et de bona radice iterum dicit. Et ſi radix ſancta, & rami ſimiliter: Non tamen ramus a ramo inficitur, neque exſiccatur: ſed qui exſiccatur, exciſus igni

igni traditur, alijs in trunco viuis remanentibus. Et ne apud aliquem remaneat iusta querela de infectione a primo parente contracta, voluit Redemptor omnes renasci in eo, meliori perfectione, & pulchriori radice, quàm fuerat in primo parente: quamuis ipsius radix fœdata non fuisset: vt patet in libro Gen. Rabbi Berachias super illud, Hæ sunt generationes cœli, & terræ in creatione eorum; dicit: Quamuis creatę fuerint secundum plenitudinem suam, atque perfectionem; quando tamen Adam primus peccauit, diminutæ sunt, & corruptæ, atque concussę: & vlterius ad decentem compositionem non reuertentur, donec filius Peres veniat: iuxta illud Ruth vltima, Hæ sunt generationes Peres, quod planè scriptum est: In signum. s. quòd omnia, quæ propter peccatum diminuta erant, per filium Peres (qui à nostris corrupto vocabulo Phares dicitur) perfici, & compleri debebant. & hoc in Messiæ aduentu: in quo vniuersum, quod propter Adæ peccatum penè corruerat, instaurandum erat, & mors ipsa destruenda, siue influxus Samael. Et sicut antiqua in lege bono influxu non potiebantur nisi prius circuncisione purgati, aut oblatione, aut quoquo alio modo; ita nunc illius regni gratia digni non reddimur,

nisi

nisi meritò sanguinis Christi: qui omnibus veteribus sanguinibus preualet. Et sic Agnus ille innocens dignus fuit, ianuas regni aperire: quarum prima est malchuth: quæ à Iudæis sublata est, & bonis Christianis tradita, dicente Christo Iudęis. Auferetur à vobis regnum, & dabitur genti, idest populo Gentili. Et sic influxum illum per septem canales septem sacramentorum in nos fundit abundè. Et quando Deum offendimus, regnum hoc donorum spiritualium nobis aufertur, & truncatur à cęteris plantis, vt diximus.

D. Cab. Cum arbore scientię boni, & mali, in qua peccauit primus homo, creauit Deus seculum.

Fa. Mundum creauit Deus, vt ostenderet suam bonitatem: non enim ab externis causis impulsus (vt Hierocles testatur) ipsum condidit, sed ex mera bonitate sua. Et quamuis mundum creauerit, non tamen propter hoc mutatus est Deus ipse; cum dicat per os Malachiæ. Ego Dominus, & non mutor. Et Dauid. Tu autem idem ipse es, semper videlicet. Boetius quoque ait.

Terrarũ, cœliq; sator, qui tempus ab æuo,
Ire iubes: stabilisq; manẽs das cuncta moueri.

Fuit igitur Deus stabilis in sapientia, qua omnia

omnia ab æterno præuidit, nulla in ea facta mutatione: ſed mutabilitas fuit in re: quæ accepit eſſe ad extra; pro ut in verbo, & ſapientia erat ab ęterno. Hinc Plato ſapientiſsimus ſcriptum reliquit, quòd in Deo eſt prouidentia, & ſapientia ęterna; in cœlis eſt fatum; in rebus verò particularibus contingens, & nouum. Cauſa verò finalis, quæ potiſsima eſt, ea fuit; vt ſapientiam ſuam, quam filium eſſe diximus, extra manifeſtaret. Hinc propheta canit. Omnia in ſapientia feciſti; quæ ſapientia & verbũ idem ſunt, per quod verbum cuncta facta ſunt, ſcilicet a Deo ſolo iuſſu, aut verbo. Et hoc quia non indigebat opifex inſtrumento aliquo, vt produceret; ideo ſufficit ſolum verbum. Factum eſt etiam id miro ordine; cum enim verbo quodam ideali, & intrinſeco omnia productione facta fuerint; quid reſtabat, niſi verbo explicare, quod conceptum erat? Et cũ omnia virtute diuini nominis producta ſint, exprimendo ea, quæ in virtute diuini nominis continebantur, per vocem, aut iuſſum omnia prodibant ex eo nomine, ſicut ex arboris trunco rami, flores, & frondes, & cætera huiuſmodi prodeunt. Verbo etiam hoc, cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum, vt cantat pſal. Verbum eſt vnicum fundamentum omnium; iuxta

illud

illud apoſtoli. Portans omnia verbo virtutis ſuæ. Et id, quia intelligendo, id eſt in ſapientia, Deus omnia fabricauit. Sapientia autem & verbum Dei vnicum eſt, quo intelligit ſeipſum, & creaturam; nec enim poterant res produci a Deo operante per intellectum, niſi verbo. Ideo canit propheta. Omnia in ſapientia feciſti. & quamuis omnia dicantur facta per elohim אלהים, quod eſt nomen iuſtitiæ, & ſeueritatis, & è latere ſiniſtro (vt narrant ſapientes) facta tamen dicuntur in ſapientia, quę eſt a latere dextro, & pietatis. In ſapientia quidem primo, id eſt in verbo Dei locata erant omnia. Iuxta illud Ioannis. Quod factum eſt, in ipſo vita erat. Vnde in Targum Hieroſolymitano, vbi nos habemus, In principio creauit; habetur Bechoemah בחכמה, id eſt in ſapientia creauit Deus cœlum, & terram. De quo Elchana doctor Hebræus, & ſolennis, pulchre, & diffuse pertractat, declarans, quòd principium fabricæ incipit à Beth ב; quod domum ſignificat, & ſigillum, vt in concluſionibus Mirandulæ diximus. In qua ſapientia, tanquam in domo præexiſtebant omnia, antequam per Elohim, vel per ſpiritum ſanctum in formas proprias explicarentur. nam communicatio ad extra, quæ amore fit, per ſpiritum ſanctum

ctum, qui est amor, producta fuit. Omnium igitur formarum particularium vis est a spiritu sancto eas explicante. Sicut ergo hoc verbum Mundum creauit; ita fuit occasio præuaricationis Adæ. Adam enim per intellectum adeptum cognoscens, Deum decreuisse se legem daturum per vnum hominem Mundo; ipseque se futurę generationis humanæ principium esse cognoscens; & mulierem Euam perfectione præcellere; hanc appetijt dignitatem, vt scilicet esset legislator; nam sicut essendi fuit principium; ita, & bene essendi humanæ naturæ per legis dationem existere optabat: & ideo peccauit. Quare perbene dicit Paulus. Nemo assumat sibi honorem, sed qui vocatur. & Christus. Qui se exaltat, humiliabitur. Hinc Adamus illi legislatori subijci nolens, peccauit. cognouit Adamus illum legislatorem hominem futurum: non autem hominem Deum, siue deificatum. Sic enim non appetijsset. Sed quoniam hic gradus debebatur CHRISTO: idcirco de illo dicitur Ionæ. Propter me orta est hęc tempestas in cœlo ab angelo gradus mei, æqualitatem cupiente: & in voluptatis paradiso ab Adamo, honorem meum desideran te. Lucifer enim sui pręcellentiā animaduerten

tẽs hominis perfectione ſatis perfectiorem; & Dei ordinem præuidens, vt ipſe cum ſuis angelis adorare habeant hunc hominem legislatorem; ſuperbia motus renuit huic decreto parere; immo ipſe, vt vniretur in ſuppoſito diuino filiali cum natura diuina, affectatè quæſiuit per deſiderium, & cognoſcens illi homini deificato partem meridionalem eſſe addictam, dixit. Aſcendam ad Aquilonem partem oppoſitam meridionali clementiæ; & ponam ibi ſedem meam, id eſt influxum ſamael oppoſitum influxui legiſlatoris, quo influxu maculauit Adam, & tranſgreſſus eſt legem legiſlatoris. Et ero ſimilis Altiſsimo in danda lege, ſcilicet carnis, oppoſita legi mentis Altiſsimi, & legiſlatoris: quod dicitur lignum, ſiue arbor boni, & mali. Chriſtus enim Meſsias, multigenis myſteriis celebratur, pluribusque vocatur nominibus. Vocatur enim agnus, leo; lapis angularis, Chriſtus, verbum, veritas, vita, & huiuſmodi (Vide in libro de nomine Ieſu) ſic, & arbor vitæ dicitur. quæ collocata eſt in medio horti delitiarum, vt omnibus vitam impartiatur. Eſt Chriſtus arbor radicem habens in terra viuentiũ, vnde primam traxit originem: quamuis corpus tanquam organum ſuæ diuinitatis traxerit à populo iam ſicco, & arido, vt inquit Iſaias.

Aſcendit

aſcendit vt virgultum de terra, & ſicut radix de terra ſitienti. Diuiditur arbor primò in ramos maiores, & pauciores, poſtea in minores quàmplurimos; & Chriſtus pleniſsima virtus, & gratia diffuſa primò fuit in paucos apoſtolos, ſed magnos, & robuſtos virtute, & per illos in quàmplurimos alios; quibus ideo illi meritò præferendi ſunt. Viuit Chriſtus in terra illa diuinitatis, & paterna, ſicut ipſemet perhibet dicens. Sicut miſit me viuens pater, & ego viuo propter patrem. Quam ſuſceptam vitam a patre cæteris impertitur, vt viuãt. vnde ſubinfert. Et qui manducat me ſumendo in cibũ, ſicut ramus à trunco, & radice, ipſe viuet propter me. Viuunt, & pulchreſcunt flores in arbore: ſucciſi continuò areſcunt. ſic cogitatio, loquutio, & operatio viuunt in Chriſto. Vnde ipſe dicit. Sine me nihil poteſtis facere. Matureſcunt fructus in arbore ab ea continua fomenta ſuſcipientes: ſicut ipſamet arbor loquitur, dicens. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum. Hæc arbor radicem habet in paradiſo, vel horto deliciarum. Totus enim hortus, & omnis vera voluptas radicata eſt in antiquiſsimo illo patre æterno, omnium horum origine prima, ſiue plantatus eſt in eſſentia illa diuina: quæ eſt vera terra viuentium: a qua omnis

vita

vita, omnesque deliciæ, & voluptates pullulant; & lignum vitæ erat in medio paradisi: quia verbum diuinum, quod est vera vitæ arbor, est persona media in illa sanctissima trinitate: & carne humana indutum, cum hominibus conuersans semper mediū tenuit: nascens, moriens, resurgens. Quamuis ergo hortus iste plantatus sit in patre, vt dixi; est etiam plantatus in filio, qui omnia accepit a patre. Sicut ergo omnes arbores sacri horti sunt plantatæ in patre; ita sunt plantatæ in filio, & in verbo diuino: quod ait. Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet, &c. Et non solum arbores sunt in verbo isto plantatæ, sed omnia plantata, & fundata sunt in eo: dicente Ioanne. Quod factum est in ipso vita erat. cum quo Paulus. Portans omnia verbo virtutis suæ. quod & liber vitæ a Dauide dicitur. Et in libro tuo omnes descripti sunt sub imaginibus, & exemplaribus æternis. Et in isto sunt veræ deliciæ, & voluptates; vnde merito dicitur paradisus, vel hortulus deliciarum irrigatus ab illo fluuio voluptatis, de quo diuus citharedus ait. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos, ex fonte scilicet, de quo sequitur. Quoniam apud te est fons vitæ. In hoc paradiso pulchro, & iucundo

fuit

fuit collocatus nedum homo; ſed etiam angelus, & quotquot guſtauerunt (vt ait apoſtolus) virtutem ſeculi venturi. Hebræi nanque hortum voluptatis, ſeculum venturum vocant. Quò niſi aliqui intraſſent, non diceret apoſtolus, Qui guſtauerunt virtutes ſeculi venturi. Has enim guſtauerunt omnes illi, de quibus Ioannes inquit, Vidimus gloriam eius. Illuc intrauit Paulus: quando raptus fuit vſque ad tertium cœlum; quò deuenire nequiuiſſet, niſi per paradiſum voluptatis tranſiſſet, vt ſapientes norunt. Illuc quoque intrauit Moſes, & omnes prophetę. Vbi ille legem, quam tradidit; & iſti, quę prædicarunt oracula, didicerunt, huiuſmodi autem error, dum ſuccumbunt, irreparabilis eſt, vt docet apoſtolus: quia per pœnitentiam non tollitur. Hinc ſubinfert apoſtolus. Rurſum crucifigentes filium Dei. Quorum verborum veritas eſt, quòd ſicut Adę peccatum non per pœnitentiam ipſius, ſed per paſsionem Chriſti ſuſcepit remediũ; ſic & error cuiuſcunq; illuc introducti non deletur per pœnitentiam, ſed remedium paſſionis Chriſti ad delendum ipſum opus eſt. Et illuc introducti poſſunt tentari, & impugnari. Nam primus parens illuc tentatus, & debellatus fuit. Et quamuis paradiſus voluptatis ſit cœleſtis; potuit tamen Adam à

Dæmone tentari: & si locus eius non sit inuentus in cœlo, vt ait Ioannes. Fuit quippe Adam mente in paradiso, sicut Moses, prophetæ, & apostoli, qui illuc introierunt; sed corpus, & animalis homo erat in terra. Hinc magno sacramento scriptum est, quòd antiquus serpens accessit ad mulierem, id est partem animalem, quæ erat in terra. Propterea cautè loquitur Moses, dicens, q̃ Deus posuit hominẽ in paradiso voluptatis, nulla facta mentione de muliere: sumpta quippe fuit è viro illic existente. Vnde non fuit ibi collocata, nisi per concomitantiam viri, ibidem collocati. Sicut (Deo faciente) collocabitur corpus, & animalis homo in regno beatitudinis, sequens spiritum illius regni, & beatitudinis capacem. Et hoc si immutabitur, & spirituale surget, vt Paulus docet. Ratio huius fuit, quia paradisus voluptatis est obiectum solo intellectu, & portione superiori, & virili perceptibile. Hinc mulier, quæ partem animalem significat, illuc introducta non dicitur, nisi inquantum est vnita viro, & per concomitantiam ipsius, vt dictum est. Et eo modo quo per virum introducta fuit; eodem modo cum viro eiecta est. Et mulier eo quod mulier, id est quod animalis, quod passiuum quoddam est, non est capax beatitudinis. Sed in eo tantum,
quod

quod de portione superiori participat, & suscipit a viro, cuius ipsa est imago, vt apostolus ait. sicut homo illuc intrat per Christum, cuius imaginem tenet. Potuit tamen ipsa sumere ex ligno scientiæ boni, & mali in horto voluptatis, quamuis illuc non fuerit introducta; quia (vt dixi) fuit ibi per viri concomitantiam. Et si etiam arbor, siue lignum sit plãtatum in paradiso voluptatis; ramos tamen suos quouis extendit. Sicut enim Deus existens in se ipso replet cœlum, & terram; sic & Christus (quem iam diximus esse arborem scientię boni, & mali) quamuis sit homo cœlestis, & in cœlo plantatus; virtus tamen eius quouis diffunditur: dicente Ioanne, De plenitudine eius omnes accepimus. Et in sua Apoc. idem Ioannes loquens de ipso sub metaphora arboris prope sedem Dei plantatæ, dicit, quòd folia eius erant ad sanitatem gentium. Nec enim in cœlo sunt gentes sanandæ: sed virtus eius quocunque extenditur, vsque ad ægrotantes in domibus his terrenis, ac luteis. Hinc & pari modo in ipsis terrenis domibus habitantes possunt deuorare ipsam arborem, committendo aliquid contra ipsam. Eodem modo Plato in Phædone loquitur de paradiso deliciarum. Terram enim describit viuentium sublimem: in cuius comparatione

nos, qui terrã hanc corruptibilem colimus; aſsimilamur ijs, qui in profundo maris, vident ſolem: cæteraq́ue aſtra per aquam: & exiſtimant mare eſſe cœlum continens ipſa aſtra. Si quis autem (quemadmodum piſces emergentes è mari vident hæc aſtra) videret illam veram terram, veramq́ue lucem, & verum cœlum, illorum pulchritudinem hanc noſtram multum excedere cognoſceret. Quia hæc habitacula ſunt, veluti cauernæ, aut arena, vel limus ſordidus. *I*biq; videret arbores, flore, & fructu longe pretioſiores, quàm hic reperiantur. Et verè ſentiens Plato, de vero paradiſo ait. Qui pie præ cæteris vixerint, ij ex histerrenis locis tanquam è carcere, ſoluti ad altiora tranſcendunt, puramq́ue ſupra terram habitant regionem, habitationesq́ue his pulchriores nanciſcuntur; quarum pulchritudo non eſt facilis dictu. Pręmium enim pulchrum eſt, & ſpes ingens: vt ipſe ſubinfert. Quod forte didicerat ab Iſaia, qui ait, Oculus non vidit, Deus, abſque te. arbor plantata in medio horti deliciarum, quæ dicitur arbor ſcientiæ boni, & mali: fuit Chriſtus, qui panis vitæ, lignum vitæ, & ipſa vita dicitur. Plantata autem fuit in medio, vt vnuſquiſque facilius de vitæ eius plenitudine pro captu ſuo ſuſcipere poſſet. Et hæc arbor vitę, diuina

diuina videlicet persona in natura humana insita, est arbor scientiæ boni, & mali: quia ipse solus, vt dixi, viator existens, experiebatur bonum beatitudinis, & malum humanarum passionum. Est insuper arbor boni, & mali, quia ipse præ cæteris nouit discernere bonum a malo: iuxta illud Esaiæ. Butyrum, & mel comedet, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum. Est denique arbor scientiæ boni, & mali, cui datum est iudicium, & cognitio discernendi bonos, & malos in vniuersali iudicio. Hæc autem arbor, ideo a principio fuit prohibita, ne tangeretur, aut probaretur siue de ea comederetur: quia legem, & iudicium in ipso existens experiri, aut probare nemo debebat, sed revereri, & timere, semperque habere ante oculos, vt ad ipsius metam omnes nostras disponeremus operationes. Quo sensu dicitur in lege. Erunt hæc verba, quæ tibi præcipio hodie, in corde tuo: & narrabis ea filijs tuis, & meditaberis ea sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens: & ligabis ea quasi signum in manu tua, & erunt ante oculos tuos. Quod etiam in psalmis dicitur. Beatus vir, qui in lege Domini meditatus est die ac nocte. Et quàm optime hęc arbor legis, & regula diuini verbi, dicitur esse scientiæ boni, &

mali: quia ex illa quid rectum, quid obliquum, quid bonum, & quid malam ſit, perpendere poſſumus. Hæc enim docet nos, quando ſupremo bono frui debemus: & quando, aut qualiter infimo, aut medio potiri licitè valemus. Et ſeruata illa arbore, & regula illæſa, tunc poſſumus de omnibus arboribus comedere, id eſt in omnibus creaturis condelectari, & ipſas appetere appetitu minime obliquato. Sicut ergo ab arbore illa recte, & debite ſuſcepta omnis iuſtitia, omne rectum, omne denique bonum procedit; ſic ab arbore violata omne malum in genus humanum, & etiam in angelos prouenisse comperimus. Malum enim à bono prouenit cum aliunde progredi nequeat, vt apertè diffinit Auguſtinus in Enche. & ante eum Dionyſius dicit. Omnium malorum principium, & finis eſt bonum. & rationē aſsignans, ait. Nihil operatur ad malum aſpiciens, ſed ad bonum videlicet, quod aut negligit, aut indebite appetit. Eſt igitur hæc arbor principium omnium bonorum, atque malorum: quia ipſam ſi quis veneratur, & obſeruat, operatur bonum. Si autem eam quis negligit, & deuorare, aut peſſundare pręſumit; operatur malum: ſicut de ipſa humano ſurculo inſita proteſtatus eſt ille ſanctiſsimus ſenex Symeon, dicens. Ecce poſitus

tus est hic in ruinam, in resurrectionem multorum in Israel, & in omni populo, tam angelico, quàm humano. Peccauit enim angelus nolens ipsum suscipere tanquam verum Dominum, & verum legislatorem, neque obedire regulis in eodem descriptis: nolensque revereri ipsum tanquam mediatorem, & per quem cohæredes efficeremur iuxta regis edictum. Quod Paulus cum Hebræis propalauit, dicens. Et cum introducerent eum primogenitum in orbem terræ, dixit. Et adorent eum omnes angeli eius. sed aliqui illorum proterui à summa illa veritatis regula superbe declinantes in errorē, & mendacium prolapsi sunt. Quod ipsemet veritatis fons attestatur, dum ait. Ille homicida ab initio in veritate non stetit: immo voluit (vt ait Ioannes) occidere filium mulieris, Christum videlicet, æqualitatem eius appetendo modo supradicto. Hinc etiam peccauit homo, ausus extendere ad ipsum manum rebellem modo iam dicto. Christus enim legislator homo est: qui solus, simul, & semel gustabat bonum beatitudinis; & malum passionum nostrarū. nec enim fuit alius quisquam qui simul fuerit beatus, & viator, nisi Christus Iesus: qui verè fuit arbor: cuius gratia diffusa fuit in ramos maiores pauciores apostolos: & est radicata in

terra viuentium, vnde primam traxit originem: & si corpus suę diuinitatis organum à populo sicco, & Iudæorum arido. De quo Esaias. Ascendit sicut virgultum de terra, & sicut radix de terra illa sitienti, vt dixi. viuit ergo Christus in terra illa diuinitatis, & paterna: sicut ipse dicit. Sicut misit me viuens pater, & ego viuo propter patrem. Quã susceptam a patre vitam cæteris impertitur, vt viuant. Ideo sequitur, Et qui manducat me, sumendo cibum, sicut ramus à trunco, & radice, ipse viuet propter me. Et ab arbore ipsa viuunt flores cogitationum nostrarũ: & ab ea succisæ arescunt, & pereunt: vt ipse dicit. Sine me nihil potestis facere, nec cogitare aliquid à vobis, tanquam ex vobis, &c.

D. Cab. Magnus aquilo fons est animarum omnium simpliciter: sicut alij dies quarundam, & non omnium.

F. A. De animarum origine disputatur à multis, & de inchoatione formarum, vnde progrediantur: & communi gressu conueniunt peripatetici; quòd animæ corruptibiles ac mortales egrediuntur de gremio materiæ, vt eorum verbis vtamur. De intellectiua autem, cum adhuc apud eos dubium sit, an mortalis vel immortalis: nec vnde veniat, determinarunt: sed eorum princeps dubius

dubius loquens, ait. Si eſt aliqua forma veniens deforis, ipſa eſt anima intellectiua. Sed quomodo poteſt hoc eſſe, niſi vera ſit opinio Anaxagoræ aſcripta, quòd quodlibet ſit in quolibet, ſed dicunt, quòd ineſt potentia in actum aliquando deducenda: Et dicunt, quòd natura dedit materię illam potentiam, & ſubiecto, vt particulare agens virtute ſeminaria deducat in actum. Quid autem ſit hæc natura, non determinant, ſed aliud eſſe non poteſt, niſi primus opifex omnia operans in omnibus; aut ſecundariæ cauſæ agentes ad imperium eius, & virtute ipſius. Ipſe ergo eſt primum agens, & primus formarum dator, à quo omnis vita, forma & ordo prouenit: ergo anima à ſupremo fonte bonorum, & vero datore formarum habet eſſe per eum, per quem facta ſunt omnia; ſicut ipſemet teſtatur, dicens. Pater meus vſque modo operatur, & ego operor, aut de nouo creando, vt dicunt noſtri theologi, aut infundendo id, quod ab ipſo fonte emanat, vt alij aſſerunt. Vnde cœleſtis pater, & omnium formarum dator inquit. Omnes animæ meæ ſunt, & à me videlicet progenitæ, & in corpora diffuſæ. Vnde Hebræi ex reconditisſimis ipſorum arcanis, animam ex magno Dei nomine quatuor literarum procedere aſſerunt; mundum autem

tem totũ ex decem annumerationibus prouenire, & regi; ſed à tribus ſupremis iuſſu, à ſeptem verò reliquis executione. Hinc vocant has ſeptem annumerationes fabricæ. Sed cum nemo det, quod non habet; (vt docent peripatetici) neceſſe ergo eſt, vt omnis forma ſit in opifice a quo proceſsit. Et formæ ibi exiſtentes ideæ ſunt, ad quarum metas habemus particulares formas, & eſſe: & cum illud eſſe continuè fluat ab ipſo, qui dedit, habemus ab ideis, ſecundũ quas tribuit, vnde ſuſtentemur, ne defluamus in nihilum: cum noſtrum eſſe continuè fluat; & quod continue fluit, neceſſe eſt, vt in aliquo permanente ſuſtentetur, quod eſt verbum Dei, in quo omnia condita ſunt: ſicut dicit Paulus. Portans omnia verbo virtutis ſuæ. Pythagoras verò (vt refert Alexander, & Laertius) aliquid celebrius protulit, dicens. Anima eſt immortalis: cum illud quidem, a quo euulſa eſt, immortale ſit. Chriſtus vero aperte nos inſtruit a Deo progenitos: dum docet, vt magna confidentia confugiamus ad Deũ, vocantes ipſum patrem, ſicuti eſt: immo, vt nullum alium cognoſcamus patrem, dum ait. Nolite vocare vobis patrem ſuper terram: vnus eſt enim pater veſter, qui in cœlis eſt. Et de ſe ipſo ait. Ego exiui a patre, & veni in mundum. Sed

cum

cum fratres ſimus potius ex patre, quàm ex matre; & nos ab eodem abſque dubio exiuimus; non tamen eadem perfectione, & gradu. Ideo bene dicit Pythagoras: quando dicit, Diuinum genus in eſt hominibus. quia, vt alibi dixi, anima, quæ in nos infunditur, eſt quodammodo ſemen Dei in corpus infuſum: Vnde generatur homo melior. de quo Paulus. Secundus homo de cœlo cœleſtis. Et propter hoc dicit imago Dei. Triuiale eſt enim hominem cum imagine Dei factum, ad ipſius ſimilitudinem deductum. In quo autem conſiſtat hæc imago, perſcrutandum eſt. Vulgari enim doctrina dicitur, tres diuinas perſonas repreſentari in tribus potentijs animæ, memoria, intellectu, & voluntate. Nec quidem hæc poteſt dici imago, cuius eſt repreſentare totum, & omnimodum effigiatum, vt a theologis noſtris perſpicacioribus, quàm optime decernitur. Veſtigij autem eſt repreſentare non plenum imaginatum, ſed aliquam eius rationem, vel partem. Et quamuis tota trinitas comprehendatur in tribus perſonis, & etiam in ratione ipſa, repreſentatur in alijs partibus, quàm in tribus prædictis potentijs. Eſt itaque Deus plena vita, omnia mundani corporis membra viuificans. Eſt quoque anima fons quidam vitæ, a ſupremo tamen

men & diuino mari emanans, omnibusque proprij corporis membris pro sua conditione vitam tribuens. In sacra scriptura dicitur. Et inspirauit in nares eius spiraculum, aut animam vitarum: vt pręstet corpori vitam vegetatiuam, sensualem, rationalem, intellectiuam atque diuinam. Et Deus virtute, & omnia continens. & de homine ait sapiens. Fecit Deus hominem puluerem de terra, & dedit ei virtutem continendi omnia. Cognouit Deus cuncta vnico actu. Homo etiam omnia cognoscere potest, sed successiuè. Est insuper Deus circulus quidam, non aliunde quàm à seipso trahens originem, & in seipsum tendens, omnia illuc secum deducit. Est etiam homo circulus à Deo procedens, & in ipsum tendens, illuc omnia deducens, cum omnia contineat. Aemulatur Deum in duratione, saltem successione quadam. Est adeò similis anima Deo, vt quiescere nequeat, quousque vniatur illi, tanquam planta suæ radici. Cabalistæ de huiusmodi materia tractantes, dicunt, quòd magnus aquilo est fons animarum. Sunt enim Diuini fontes decem secundum numerum decem sephiroth, siue dimensionum Inter quos vnus datur, qui ghebura, siu

aquilo

aquilo vocitatur. Et ipſe eſt fons omnium animarum & vitarum: nam (ſecundum Auicennã) animæ omnes veniunt à datore formarum, id eſt à ghebura, proprietate aquilonari: quæ fauet Ægyptijs. Quocirca ſancti patres antiquæ legis in Ægyptum aquilonarem deſcenderunt, vt inde vitæ fortitudinem acquirerent. Et quamuis omnes animæ ab illo fonte gheburi aquilonari trahant originem; tranſeunt tamen per alias dimenſiones, ſiue ſephiroth, antequam corpori infundantur: & ab eis varias proprietates ſuſcipiunt. Animarũ vnaquæq; ſuſcipit eam lucis ſortem; cuius naturę eſt mediũ, cui obijcitur, vel cum quo connectitur. Si.n. per ſeraphicas intelligentias anima ab illa luce ſuprema emanat, ſeraphica efficitur: & ad ſeraphicas manſiones (fauente, & attrahente Deo) deuenire contẽdit. Si verò per cherubicas mentes ſplendorẽ ſcientiæ ſuſcipit, anima familiaris effecta lucis, ad cherubica ſubſellia deuenire ſatagit: & ſic de cæteris. Sicut.n.lux vitra diuerſorũ colorũ pertranſiens, diſcolores etiam radios diffũdit, rubeos.ſ.per rubrũ, virides per viride', albos per albũ, & ſic de cęteris dicendũ; pari modo anima eã naturã induit, per cuius diaphanũ tranſit. Nec ſpiritualis lucis diaphanũ aer eſt, ſed ſpũs & intelligẽtia; quę poſsit eã lu-

cem

cem suscipere, & transmittere. Et de his loquitur saluator, dicens: Angeli eorum semper vident faciem patris, qui in cœlis est, & loquitur de angelis deputatis, qui non recte deputati essent; nisi symbolum aliquod haberent cum eis, quibus destinantur. Et sicut angeli non sunt eiusdem gradus perfectionis, ita nec animæ: vna enim est altera perfectior. Et non tantum differunt accidentibus, sed gradibus etiam quibusdam intrinsecis radicatis in essentia ipsarum: quibus vnaquæque anima est, hæc differens ab alia per illud, quod est sibi proprium. Aristoteles dicit, quòd species se habent, sicut numeri; ideo concluditur, quòd omnes animæ sint æquales. Sed Doctores Parisienses dicunt animam Christi, & consequenter multorum excellentium virorum esse nobiliores anima Iudæ, aut cuiuscunque scelesti, & infimi. Quod ex Euangelio quoque discere possumus; ubi dicitur, quòd talenta fuerunt unicuique secundum mensuram propriam, donorum uidelicet naturalium, distributa. Nam talenta sunt dona gratuita naturalibus correspondentia secundum Gregorium. In quem sensum intelligenda sunt uerba Saluatoris dicentis, quod decē mnæ, decem seruis datæ sunt, ut operaretur unusquisque secūdum mensuram ipsi pręstitam.

Secundum quam uirtutem, qui operatur, reportat prꝍmium pro conditione nummi, uel doni præſtiti. Si uerò operari negligit, auſertur donatiuum, & datur alij operanti, ut compleat locum prꝍparatum pro influxu, & donatiuo conceſſo. Nec ſpecies determinantur, per numeros, aut unitates uocales, quæ non ſunt diuiſibiles: unde ad oblationem, uel additionem unitatis uariatur ſpecies numeri: ſed determinantur numero naturali, cuius unitates ſunt diuiſibiles: ut patet in muſica de ſemitonio, ut alibi dixi. Nec per uariationes numerorum, uariantur ſpecies proportionum. Quæ proportiones ſunt numeri naturales, quibus ſpecies determinantur. Quod confirmat ſapiens, dicens. Puer eram ingenioſus, & ſortitus ſum animam bonam, meliorem uidelicet, quàm multorum aliorum animæ. Tanta eſt enim diſtantia unius animæ ab altera in ſapientia, bonitate, robore, uiribus, diſpoſitione ad diuerſa, ut non uideam quomodo posſint animꝍ ſortitꝍ eſſe gradum æqualem. Et hi gradus ſunt talenta, uni duo conceſſa: alteri tria; & tertio quatuor, ut docet Chriſtus. quòd unicuique data ſunt ſecundum propriam uirtutem; quæ uirtus eſt uis quædam, certo gradu determinata: ſecundũ quam eſt capax ſui muneris, & ipſum

ſuſcipit.

ſuſcipit. Et ratio horum donorum ſiue virtutum diſtinctarum, eſt variatus modus influxuum dimenſionum diuinarum; per quas animæ tranſeunt: nam, & ſi omnes animæ ab vno fonte ghebura aquilonari originem trahunt, & à reliquis ſex dimenſionibus exe cutione. vnde vocant has ſeptem annumerationes fabricæ; à tribus tamen ſupremis (vt dixi) iuſsione proueniunt. Et ſic ſecundum proprietatem illarum ſeptem dimenſionum, per quas tranſeunt, imbibunt varios influxus. Animę.n.noſtrę in ſphęris cœleſtibus archetypis collocantur. Nec miretur quiſpiam, ſi Pythagoræi, & academici ſphæras repletas dicant intelligentijs, & animabus in eiſdem locatis, cum & in ſacro eloquio à Moſe dictum ſit. Completi ſunt cœli, & omnis exercitus eorum: pro quo nos habemus, ornatus eorum. exercitus enim & militiæ cœleſtes intelligentię ſunt, & formæ intellectuales: quæ ſunt ipſorum cœlorum ornatus pulcherrimus: nam per has formas, quas Plato cum Moſe exercitus cœlorum vocat, ſphæræ cœleſtes (ait Proclus) ornantur. Ideo has Euripides, & poſt eum multi dixerunt domicilia, & atria eſſe Deorum, id eſt mentium cęleſtium. Quę autem, & quot ſint in cęlis formę, & intellectus ab ipſo ſummo Deo diſtincti, ſolus ille no-

le notuit, qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat. pſalmus Nomina quippe vocat, non corporalium ſtellarum, ſed intelligentiarum pręſidentium: vt nonnulli ſapientes exponunt. Vnicuiq; enim orbi vnam ſaltem intelligentiam tota ſchola ſapientium etiam peripateticorum aſsignat. Sed & cum unaquæq; ſtella ſuam habeat uim, & influxum in inferiora; neceſſe eſt, vt & ipſa ſuam habebat pręſidentem intelligentiam, quę vim conferat, vt agat: cum operatio à puro corpore prouenire minimè poſsit. De animabus autem noſtris, reſtat difficultas; & apud multos ridiculum exiſtimatur, quòd ipſę animę in ſphæris collocentur. Quod tamen ſanè intelligentibus abſurdum non videtur. Decantarunt enim & catholici aliqui non mediocris ingenij animas humanas ad ſphęras varias ſubiectas. Quod non de corporeis ſpheris eſt tantummodo intelligendum; ſed de illis ſupramundanis rotis, ad quas animę reuertuntur, prout ab ipſis proceſſerunt: vt planius in Hebręorum theologia continetur. De hac reuerſione animarum ad loca ipſis proportionata, & à quibus diſceſſerunt, loquentes academici cum ſuo Platone dicunt, quòd redeunt ad ſuos planetas, altius forſitan loquentes, quàm multi exiſti-

ment. Theologi verò nostri dicunt, quòd reuertuntur ad illos choros angelorum, quibus conformiter vixerunt. Dico, quòd ad illa supramundana hospitia reuertuntur, ad quę via, & hostium est ille, qui dixit. Ego sum via, ego sum hostium; per me si quis introierit, saluabitur. Nec enim per Christum datur transitus ad planetas, nec ad angelos, sed ad Deum, & patrem æternum: in cuius domo, & in cuius amplitudine diuinitatis sunt mansiones illę multę, & æternę. Et hinc astronomi (si quid veri habent) prognosticando decernũt hunc esse Saturnium, vel Martium, vel Iouium, Venereum, vel Mercurialem, Solarem, vel Lunarem. Varij quippe sunt effectus, inclinationes, & mores in hominibus, non quidem à materia tantummodo variè disposita (vt nonnulli opinantur) prouenientes; sed ab influxu vario, & forma diuersa: non diuersitate specifica, sed peculiari, & propria. Quorum gradus, etsi sunt varij ab eo distributi, qui idem manens diuidit (vt ait Apostolus) singulis, prout vult; cooperantur tamen causæ secundæ cœlestes, corpora nostra disponentes vt ipsa cum animis conueniant: quia secundum Aristotelem datur forma secundum materię dispositionem. Si enim corpus nostrum ab aliquo inferiori planeta domina-

minatur, vt puta à Sole; Deus in illud infundit animam, quæ per Solem superiorem tiphereth transit, & eius influxum imbibit: & se induit ea proprietate solis tiphereth. Quomodo autem ab ipsis planetis hauriat homo, docet Plato, Plotinus, cęteriq; academici. Recipit (inquiunt) anima in descensu à Saturno ratiocinationem, intelligentiam, & speculatiuam vim. à Ioue vires agendi, & practicam: à Marte irascibilem, & animositatis ardorem: à Sole imaginationem sciendi, & opinandi naturam: à Venere concupiscibilem, & desiderij motum: à Mercurio interpretandi, & pronuntiandi, penetrandiq; vigorem: à Luna, vnde plantare, generare, & augere possit. Et vt ab vniuerso accipiat, & totum quoddam conficiatur, & etiam à supremo septenario (vt Mercurius innuit) immo à toto archetypo haurit ea: & ibi assumit suum genium custodem; qui nunquam illum relinquit, quousq; sit in termino. De quibus Christus. Angeli eorum semper vident faciem patris mei &c. Dicit ergo conclusio (Magnus aquilo) .s.supramundanus ghebura, videlicet (fons est animarum) executiuè, vt dixi, & non omnium. Non vult significare, quòd dentur aliquę animę, quarum origo non fuerit ghebura aquilo; sed ab alijs sephiroth: sed ita,

quòd omnes animę originem ſuam à ghebura accipiunt: & inde deſcendentes tranſeunt per reliquas ſephiroth: proprietatibus quarum ſe induunt. Idemq; dicatur de reliquis planetis inferioribus, & ſuperioribus inuicem correſpondentibus. Nam ſicut ſi omnia corpora dominarentur à Sole, eiuſdem eſſent complexionis: ita, ſi omnes animę per eandem ſephirah tranſirent; eadem virtute, ingenio, memoria, moribus gauderent. cuius contrarium apertè patet. ſunt enim hominum varia genera.

D. Cab. Cum dicit Salomon in oratione ſua in lib. Reg. Exaudi ò cœlum, per cœlum lineam viridem debemus intelligere, quæ girat vniuerſum.

F. A. Non ea tantum, quę de conuenientia hominis cum cœlis, & de ſuſcipienda ab eis ſanitate dicũtur, credenda ſunt; ſed etiam quòd vtilitatis nonnihil ab eis hauriat, vnde melior fiat putandum eſt. Hauriat enim primò lucem, quę tenebras, & male operantes fugat, dicente pſal. Ortus eſt ſol, & congregati ſunt (mali S. ſpiritus) & in cubiculis ſuis, id eſt in malis hominibus, tandiu collocabuntur, quandiu adueniet nox. Habet enim hæc Solis lux, ſimulacrum quoddam lucis illius, qui ait. Ego ſum lux mundi:

mundi: dum lucem habetis, ambulate in luce, ne tenebræ vos comprehendant. Et sicut tenebrarum principes in tenebris ipsis robustiores fiunt; sic & angeli lucis, nobis fauentes, virium incrementa à luce suscipiunt, non modò Diuina, sed solari, & cœlesti, per quam etiam illa Diuina & suprema lux splendescens, virtutem quandam cœlis, & per ipsos inferioribus influit. A patre nanque luminum, à quo omne datum optimum, venit, & esse, & motus, & generatio, & omnis operans virtus tam in cœlis, quàm in elementis, plantis, animantibus, & hominibus. Sed omnia illa per cœlos, tanquam per media, & instrumenta, fomenta quædam suscipiunt, quæ naturalia dona dicuntur. Homines autem vltra hæc, suscipiunt, vnde mores varios, & vitam multigenam componant, vt asserunt astronomi. Id autem fit per dispositionem lineæ viridis siue tentorij, quod omnia ambit, cuius vis primò angelis se communicat; dehinc per cœlos penetrans, peruenit non tantum ad corpora nostra, sed etiam ad interiora spiritus. suscipimus quoque maximam vim à concentu cœlorum, qui nos ad concinnandos mores disponunt. verum (vt dixi)

hic defluxus dependens eſt à linea viridi: quę ſicut totum mundum archetypum circuit, decem videlicet ſephiroth; ita totum hunc inferiorem, maiorem & minorem, cœlum circuit, & ambit. Omnia plura, quę in vnum conueniunt, oportet quòd aut arte, aut natura, aut diuino myſterio conglutinentur. Lapides enim calce conglutinantur, ligna clauis, ſiue colla caſea, vel piſcea, membra neruis, carne, & cute colligantur. Et quia fortior eſt vis naturę, quàm artis; ideò fortius illa ligat. Sed cum omnium fortiſsima ſit Diuina virtus, ideò non ſolum connectit, ſed etiam vnit. Et hęc vis eſt nominis ipſius ſancti, & magni, de quo dicitur. Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra. utraq; uidelicet ſuperiori, & inferiori, in utraque ligans, connectens, & uniens omnes partes, & eorum membra ſimul. Ad cuius ſimilitudinem in Ieruſalem, quę typũ gerit illius supernę ciuitatis, iuſsit Deus, ut fabricaretur templum. poſtea ſubintulit in eo uolumine, quod dicitur Paralipomenon. Elegi Ieruſalem, ut ſit nomen meum in ea: quam elegi, ut ędificaretur in ipſa Templum nomini meo. Sed nedum templum lapideum, & tota mundi maioris machina, uerumetiam rationalis & humana fabrica eſt il-
lius

lius nominis uinculo colligata. Nam cum biuium faceret in Abel, & Cain humana familia (in Abel enim Diuina, & in Cain Diabolica familia fabricatur) hic, qui ſecundum carnem, & Diabolum erat, perſequens eum, qui erat ſecundum ſpiritum, interfecit Abel: ſed continuò reparata fuit in Seth, & multiplicari cœpit in Enos Seth ipſius filio. Quę vt coniuncta eſſet debito nexu, dicit ſcriptura. Tunc cęptum eſt inuocari nomen Domini. quamuis textus mendoſi habeant, Iſte cœpit inuocare nomen Domini. Inuocatum enim fuit, & interpoſitum tanquam nexus, glutinum, & vinculum. Sic in Deuteronomio, poſtquàm de uinculo charitatis, quod habere debent omnes, qui Dei ſunt, ſacerdotes, leuitæ, ſeniores, ancillæ, aduenæ, & peregrini in offerendo, epulando, cohabitando, & huiuſmodi pręceptum dederat Dominus, ſubintulit. Vt inhabitet nomen meum ibi: omnia videlicet connectens. Sic & Ieremias pro electa familia, inquit. Tu autem in nobis es Domine, & nomen tuum inuocatum eſt ſuper nos. Quod ne in patria credatur omiſſum, inquit Ioann. quòd illi conſignati habebant nomen eius.s. agni.i. Ieſus ישו, & nomen patris eius.s. tetrag. יהוה ſcriptum in frontibus ſuis. Eſt igitur hoc nomen girans vniuerſum.i. conne-

ctens vniuersa suprema supremis, & inferiora inferioribus, & suprema inferioribus, & inferiora supremis. Quæ superiora, & inferiora in duodecim partes ad modum zodiaci diuiduntur, secundum reuolutionem nominis tetrag. Quarum reuolutionum duodecim vnicuique vnus angelus præsidere dicitur. Et correspondent per influxum, non tantum duodecim portis vrbis Ierusalem; verum & duodecim signis stelliferi cœli. Quorum capricornus est porta ascensus præcipua, & cancer descensus: cætera verò cum alterutro illorum conueniunt. Et sicut datur tantum nomen vnum sub cœlo, in quo possumus saluari (quod idem est, quod tetrag.) ita omnis bonus influxus nobis est concessus ab eis duodecim reuolutionibus. Nam hæ fauent duodecim patriarchis, duodecim apostolis, duodecim portis cęlestibus, septem & cœli planetę nobis fauent: ministerio tamen septem angelorum illis præsidentium: ipsi enim omnia mouent, omnia moderantur. Per influxum etiam duodecim Signorum, & duodecim reuolutionum nominis tetrag. quia septem planetæ inferiores influxum à septem planetis archetypis suscipiunt: quæ sunt septem sephiroth inferiores. Et quanuis discrepantia videatur in

nume-

numeris planetarum, & ſignorum, maxima tamen conuenientia eſt; in radice vtriuſque; quæ eſt quaternarius, & ternarius: qui ſi iungantur, ſeptenarium conſtituunt. Si verò alter per alterum quadretur dicendo ter quatuor, aut quater tria, reddunt duodecim. Conueniunt inſuper planetæ cum ſignis in virtutibus qualitatiuis, & elementaribus, & melioribus viribus: vnde quilibet planetarum habet in aliquo ſigno ſuum domicilium, & in aliquo ſuam exaltationem, à quolibet illorum aliquam vim & fomentum ſuſcipiens. Nec minorem conuenientiam habent ſeptem intelligentiæ præſidentes planetis cum illis duodenis mentibus, qui ſignis duodecim pręſunt. De quorum quibuslibet Ioannes meminit in Apocalypſi. Vide ibi declarationem meam. Virtus in primis in DEI magno nomine tetrag. יהוה ineſt poſtea diffuſa in duodenos illos, & ſeptenos angelos, per quos extenditur in duodena ſigna, & ſeptem planetas: & conſequenter in omnes miniſtros, & inſtrumenta ipſius Dei. Sic etiam eſt in hoc mundo vel corpore myſtico ſpirituali. Virtus enim magni nominis יהוה exiſtens in Ieſu ישו & complens eum omnimoda perfectione, poſtea diffunditur in duodecim illos apoſtolos, tanquam in

duo-

duodecim ſigna, & fundamenta poſt Chriſtum præcipua cœleſtis & ſpiritualis ędificij. Nam (vt Apoſtolus ait) fundati ſumus ſupra fundamentum apoſtolorum, & prophetarum, à quibus, & ſeptuagintaduo diſcipuli, & epiſcopi, & prælati omnes, qui ſunt loco priſcorum patrum, & eorum, qui tãquam prima iacta ſunt fundamenta huius ſacri ædificij, & conſequenter omnes, qui ab eis reguntur. Ab Angelis itaque ſuſcipiunt cœli, vnde influant, & faueant ad bonum: illi autem à nomine magno tetrag. Cuius virtus primum eſt in DEO, poſtea diffuſa in duodecim illos, & ſeptenos angelos, per quos extenditur in duodecim ſigna, & ſeptem planetas, & conſequenter in omnes miniſtros, & inſtrumenta ipſius Dei, vt dixi. Quod cernens Solomon fabricato templo, & facta ſua oratione cupiens fauorem duodecim reuolutionum nominis magni, vt fauerent duodecim tribubus Iſraelis, vt omnes haſce reuolutiones ſimul inuocaret, ad earum fundamentum acceſsit, dicens.
O cœlum Tetrag. cuius duodecim reuolutiones ambiunt & mundum archetypum, & hunc inferiorem diuiſum in duodecim partes; exaudi orationem meam. Quamuis enim Plato dicat, cœlum eſſe omnium bonorum cauſam, intelligit ipſe de cœlis archetypis

pis.i.Ideis, quæ ſunt media, & inſtrumenta, per quę ſummus opifex, rerum ſeriem obſeruans operatur. Cauſa tamen principalis eſt ipſe Deus: à quo, (vt diuus Iacobus ait) omne datum optimum, & omne donum perfectum emanat. cui aſtipulatur apoſtolus, dicens. Ex ipſo, & per ipſum & in ipſo ſunt omnia.i. omnes virtutes, & poteſtates, quia eſt linea viridis, i. plena omnis coloris influxuum, ſicut color viridis nullius coloris mixtionem renuit. Sic eſt enim tetrag. fons omnium influxuum; qui omnia mouens trahit ad ſe, veluti centrum omnes lineas circunferentię, & in ſe conducit. Centrum enim eſt, & circulus, & ſphera, omnia complectens, & complens, & omnes lineas in ſe ipſum conducens: iccircò ponitur in tiphereth in medio ſephiroth, tanquam centrum, à quo centro duodecim lineæ, duodecim ſcilicet reuolutionum pendent, & totus ordo ſphericus, vt declaraui in porta lucis.

D. Cab. Animæ à tertio lumine ad quartam diem, inde ad quintam deſcendunt: inde exeuntes, corporis noctem ſubintrant.

E. A. Pro huius notitia concluſionis multa facienda ſunt pręſuppoſita. primum præſuppoſitum eſt, quod omnes ſephiroth dicuntur lumina, quarū fauore cuncta creantur.

tur, & fouentur. dicuntur præterea dies fabricæ; & denominantur dies bresit. Secundum pręsuppositum est, quod cum loquimur de Sephiroth fabricę, intelligendum est de Sephiroth inferius binah inclusiue: quia nezach, & hod ponuntur pro vna sola, & ita septem remanent. In sex diebus Deus creauit Mundum, in septimo uerò die scilicet binah quieuit. tertium præsuppositum, quando absolute nominantur Sephiroth, intelligendum est de omnibus decem. quartum pręsuppositum, quod ghebura est aquilo magnus. à quo omnes proueniunt animę; quanuis Doctores isti videantur tenere, quòd animæ à binah proueniant. Verum est enim quòd animæ primo à tota Trinitate, præcipuè tamen à spiritu sancto pendent, quo.s.ad esse essentiale, deinde ingrediuntur ghebura primo, & successiuè in cæteras sephiroth. Ideo dicit Moses. Spirauit in nares eius spiraculum vitę. Spirare enim est spiritus sancti proprium. & Origenes dicit quòd spiritus sanctus dat omnibus vitam. Animę igitur origo est, immediate à spiritu sancto. & quoniam post sui esse, primo tanquam in primum thalamum, intrant in ghebura; Iccircò animę dicuntur procedere à ghebura, respectu cęterorum sephiroth inferiorum fabricæ.

bricæ: & ſic de vna ſephirah in aliam tranſeunt, quouſq; ingrediantur aliquam ſephirah, quæ conueniat in proprietate cum planeta inferiori, corpori illius animæ dominanti, quod anima illa informare habet. & ſicut planeta inferior, ſub cuius imperio naſcitur homo, illi corpori ſic concepto influit, & impartit ſuum influxum: ſic planeta ſuperior inferiori planetę correſpondens, informat animam illam bono influxu ſibi proprio, vt anima & corpus participent in qualitatibus ſuis. datur enim forma ſecundum diſpoſitionem materię. Si corpus ſolare fuerit, eius anima imbibet influxu Tipheret Solis archetypi, omnia, quę nullam habent motionem liberam, nullum aliud aſcendunt curriculum, quo vehantur in primum, à quo receſſerunt, niſi inſtinctum, quem naturalem dicunt, quia à natura inſitus eſt, vt dicunt Peripatetici, aut (vt eorum verbis vtamur) quia fit in pluribus, & frequenter. Sic enim naturalia definierunt. Sed vt rei ueritas eſt, ſic ab opifice ſummo donata ſunt. Qui verò rationis, & libertatis Dei munere ſunt participes; hi aſcendunt curriculum ſuæ voluntatis, aut amoris, iuxta illud Auguſtini. Amor meus, pondus meum: vel curriculum meum, illùc feror, vbi amo: Ad hoc multoties magnam

vim conferente Natura & attrahente diuinitate facilius currunt. Ad profectum enim ſapientiæ, & doctrinæ promptius veniunt bene cordati Viri in corpore, & ſortiti bonam animam, & ad doctrinam diſpoſiti, fauentę eis Phœbo, Venere, & Mercurio, ſi Platonicos ſequi volumus. Et hoc aut diſponendo corpus, aut quia intelligentiæ illis ſtellis pręſidentes ſuo influxu fauent, aut (vt Pythagorei dicunt) quia in deſcendendo anima induit naturam illarum intelligentiarum, ſicut lux videtur ſuſcipere colorem vitri, per quod tranſit, rubeum, cœleſtem, viridem, vel croceum. Currunt alij facilius ad dominium ſi genitura, & uirtus id præſtet. & ſi Sol, & Mars, & huiuſmodi eis fauerint, ſi vera ſunt, quę tradunt Aſtronomi. Currunt alij ad diuerſas virtutes naturali curriculo pro varia diſpoſitione corporis, & animi, & cœli fauentis. Verum nihil boni attingunt, niſi faueat ſuperna virtus, à qua omne bonum. non enim acquiritur proprijs viribus ſapientia, vt teſtatur ſapiens, dicens. Et appoſui cor meum, vt ſcirem ſapientiã: & intellexi, quòd omnium operum Domini nullam poteſt inuenire homo rationem, eorum, quę fuerunt ſub Sole, & hoc quia ſapientia datur à Deo, iuxta Iacobi ſententiam: Qui indiget ſapientia, poſtulet à Deo,

Deo, qui dat omnibus affluenter. Et si diuersis gradibus animæ ab opifice distinctę sunt, vna tamen est communis omnium earum origo, & idem ortus, vt supra vidimus. vnus est ergo introitus ad vitam omnibus, & similis exitus, absq; videlicet cognitione, & virtute aliqua, quòd anima à principio est tanquàm tabula rasa, in qua nihil sit depictum. Cui adstipulari uidetur id, quod infert ille sapiens, propter hoc (quia videlicet nudus & ignorans egressus sum de vtero matris) optaui, & datus est mihi sensus, inuocaui, & venit spiritus sapientiæ. Sed Plato, quem multi ex eius Academia sequuntur, cum vidisset multos sine difficultate discere, immo multoties scire, quæ non didicerant, opinatus est species, & formas rerum, & consequenter doctrinas animæ concreatas, sed impeditas sensibus, & ligaminibus corporeis, adeò vt studio, tempore & exercitio excutiantur species, quę inerant. Hinc dixere nonnulli Antiqui, quòd anima intrans corpus bibit de gurgite lethæo, idest obliuione. Nec fuit hæc sententia primo à Platone inuenta, & ædita, sed à secretioribus theologis accepta, qui opinantur omnes animas à progenitore sũo productas, omnibus suis formis perfectas, sicut producta fuerat anima protoplastis, quam ipse transgresßio-

greſsione obſcurauit, ex cuius peccati con-tactione, noſtræ quoque animæ corpus intrantes obſcurantur, & penitus ſopiuntur. Et ſicut ipſi primo parenti de corporali cibo, & forſitan de vtroque dictum eſt. In ſudore vultus tui, aut narium tuarum, ideſt ſpiritus tui, veſceris pane tuo; ſic illa vox, & dura ſententia omnibus nobis intonare mihi videtur. In ſudore & labore tuo veſceris pane, & corporis, & animæ tuæ, qui eſt doctrina, & cognitio rerum. Nam nobis agendum, ſudandumq; eſt, ſi volumus aut de nouo addiſcere, (vt dicunt Peripatetici) aut extrahere eam doctrinam, quam animę noſtræ perſpicacem à principio infudit largiſsimus diſtributor. Sed mox parentum primorum culpa obfuſcatam retro velamine, quod DEVS ſua benignitate à quorundam oculis dignatus eſt auferre. Dauid enim literas non didicit; & ex paſtore, effectus eſt Vates, & diuinarum rerum Doctor præcipuus. Quibus adeò ſuos complexuit hymnos, vt omnes quanuis exquiſitiſsimi Poetæ, ipſi longo cedant interuallo. Sic Iſaias, Ezechiel, Daniel, cæteriq́ue prophetę, & etiam Apoſtoli, quibus dixit. Ego dabo vobis os, & ſapientiam. Salomon quoque in vnius noctis ſomnio, Deus tanta ſapientia rerum gerendarum, & inferiorum
compleuit

compleuit, Et ne vnus quidem ex cunctis priſcis Regibus ſimilis ei (longo etiam interuallo) extiterit. Et hoc mediante vnctione ſpiritus ſancti, ſiue ſacri nominis, de quo in Canticis dicitur, oleum effuſum nomen tuum. Cuius nominis chriſma, & virtutem, cum tradidiſſet Chriſtus iis, quos nouerat idoneos, & electos à patre, dixit. Pater manifeſtaui nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi. Aliqui autem hoc chriſmate præuenti fuere, in materno vtero, vt de Ioanne, & Ieremia legimus. Quod an fuerit per infuſionem nouæ ſapientiæ, (quod credo) an per amotionem velaminis, & intellectus expeditus, & reuelata facie poſſet tranſcendere à claritate in claritatem, Deus nouit, ego enim veritati cedo, & ſacris ſcripturis in ipſa veritate firmatis, à quibus habemus, quòd Deus fecerat omnia valdè bona; in ſua videlicet completa perfectione. Nam ſicut vegetatiuas arbores compleuit fructibus, quorum uſum protoplaſti, conceſsit: ſic à multis creditur feciſſe arbores rationales, formis, & cognitionibus fęcundis: ſed ex tranſgreſsione primi parentis, vtrarumq; contracti ſunt fructus, & in dictus earum cultus, cum labore, & ſudore ſpiritus, & omnium virium exercitio. Et hoc initium habet quando animæ

F ſubin-

ſubintrant corporis noctem. Sicut.n.Solis lucem vmbra impedit: Sic corpus animæ vires. Ad concluſionem (Animæ à tertio lumine) id eſt abinah, Sephiroth variis nominibus nominantur, ſicut Chriſtus dicitur Ieſus, filius Dei, Meſsias, Verbum, Sapientia, Redemptor, &c. Ita ſephiroth, diuerſimodè nuncupantur. dicuntur Sephiroth, numerationes, dimenſiones, dies fabricæ, lux, vt ſupra. Animæ igitur primo à chocmah quo ad eſſe ideale, ſecundo à binah proueniunt per creationem, deinde (ad quartam diem) id eſt ad ghebura, ſcilicet poſt eſſe creationis à Spiritu ſancto (inde exeuntes) à ghebura ſcilicet deſcendentes, in alias intrant ſephiroth, quouſque inueniant ſephirah proportionatam, & ſymbolizantem cum planeta corpori dominante illius animę corporis noctem ſubintrant.

D. Cab. Per ſex dies Geneſeos habemus intelligere ſex extremitates ædificij, procedẽtes à Breſit, ſicut procedunt Cedri à libano.

F. A. Inter plantas celebrantur nimis, palma, cedrus, & hyſopus. illæ tanquam omnium arborum, & hæc tanquàm omnium plantarum minorum excellentiſsima. De cedro ſermonem faciendo, dico quòd Doctores valdè diſcrepant inter ſe in determinando

minando quale ſit illud lignum:tamen Theo phraſt. Dioſc. & Plin.dicunt,illud eſſe quod Tya vocatur, reſinam præbens electiſsimam quæ cedria dicitur, & cedrium, dentium doloribus vtiliſsima: nam, in cauernas abdita, eos frangit, & dolores ſedat; & multas alias habet proprietates, quas breuitatis gratia omittimus. Veruntamen omnes in hoc conueniunt Hebræorum Sapientes, quòd lignum ſethim, & cedrus, quam ipſi ſuo idiomate erem arezim vocant, idem penitus ſint, Arbor quippe à Diuo Citharedo celeberrimè decantata eſt, quòd videlicet ſit arbor Adonay, ab eo plantata in Libano, id eſt in vera ſylua ſupramundana, & horto delitiarum, aut in candida illa mente diuina eminentiſsima. Nam vtrumque libanus ſignificat, altum videlicet, & candidum, vel album. Sacramentaria igitur eſt hæc arbor ſimul,& palmæ, quia eminentiores ſanctos, & Dei primarios Duces, ab ipſo plantatos, ſignificant. Ad rem, dicit concluſio. (per ſex dies Gen. &c.) Quicquid de ſacra ſcriptura homines optimarum artium amatores ſcientia naturali, addiſcunt, auro bono par eſt,& appellatur opus de Breſith.Quod verò ſcientia ſpirituali recipimus, opus de Mercaua dicitur, & auro æquatur optimo,atque puriſsimo. Vnde ſcribunt Cabaliſtæ, quod

opus de Breſith eſt ſapientia naturæ, Et opus de merchana eſt ſapientia Diuinitatis: Ideò dicunt quòd ſunt duo Mundi. primus intellectualis, qui vocatur holam hauo. נולם הבא id eſt mundus ille venturus ſcilicet quo ad nos, & ſecundus ſenſibilis, qui dicitur holam hazah גולם הצה id eſt mundus iſte præſens. Hoc habetur à ſecretioribus theologis, qui loquentes de nomine quadraginta duarum literarum, dicunt. Cultor talium, dilectus eſt ſurſum, & deſideratus deorſum; & eſt hæreditans duos Mundos, mundum præſentem, & mundum futurum. Et diſtinguitur iſte duplex ordo, quod omne ſtudium, omnem operam, omne conſilium, laborem, & diligentiam, vniuerſam quoque mentis ſuæ intentionem, Cabaliſta ille fœlix, atque beatus à mundo ſenſibili finaliter ad mundum intellectualem transfert, & traducit. Thalmudiſtæ vno in mundo ſenſibili permanent, ac animam huius vniuerſi mundi non tranſcendit: quod ſi quandoque licenter ad Deum, & beatos ſpiritus pergat, non tamen Deum ipſum vt immanentem, & abſolutum accedit, ſed vt opificem, cauſamq; rerum, & circa ſua creata occupatam. Angelos autem ad miniſteria quotidiana, diuinæq; voluntatis affectus exequendos mancipat, altiſsimarum

marum rerum contemplationes ad hunc inferiorem mundum ſemper deferens. Earum tamen facultatum ſæpè alterius ſenſu mutuatur, & ad ſuum deſiderium trahit. Enimuero quandoque ſtudia vltro citroque inter ſe communicant Thalmudici, & Cabalei, vt actiua vita, & contemplatiua, licet vnum eundemq́ue Sacræ ſcripturæ contextum plerunque aliter exponant; Sicut in propoſito de ſex diebus creationis Mundi, Thalmudiſtę, dies accipiunt ſolares, Cabaliſtę vero accipiunt illos dies archetypos. Eſt ſapientiſsimi Salomonis doctrina, quod qui manet in æternum, creauit omnia ſimul. Cui conſonat Auguſtinus, Alb. Mag. & ſententiarum magiſter cum doctoribus hebręis, & omnibus, qui rectè ſentiunt. Nam finita & determinata Virtus, in agendo tempus exquirit, infinita vero nequaquam. qualis eſt opificis ſummi, non quidem benè menſurata à maledicto Arabe, & à cęteris qui dixerunt Deum infinita non operari virtute: quia non eſt infinitum opus productum, vſus eſt nanq; ſua interminata Virtute in fabricando, quamuis eandem infinitam non explicarit in opus, ſed illud clauſit eis, quibus voluit terminis, quod & iubendo produxit. Cum igitur omnia iuſſu & verbo produxerit, dicente Propheta.

Ipſe dixit & facta ſunt, mandauit & creata ſunt. dicto enim verbo, fiat lux, vel fiat firmamentum, aut globus cœlorum in medio aquarum, ſiue producat terra herbam virentem, ſtatim omnia prodierunt. Cur tanta mora, facta eſt lux; donec diei ſpatium prætериret, & veſpera fieret? Et cur vſque ad tertiam diem dilata eſt terræ germinatio, & vſque ad quartum Solis, Lunæ & ſtellarum productio? Et cur in quinto tantummodo data eſt aquæ fœtura? & cur in ſexto celebrata eſt hominis plaſmatio? Et ſeptimus cur ad requiem deputatus eſt? Dicant, ſi quid habent. Ridet hos Auguſtinus meritò ridendos; qui exiſtimant Deum tempus exquirere in agendo. Hinc Origenes inter ſenſatos, non admittit eos, qui diem primam, ſecundam, tertiam, in quibus Veſpera & mane dictæ ſunt fieri ſine Sole, Luna, & ſtellis, & primam diem ſine cœlo fuiſſe exiſtimant. Magnam quidem ſummo, & æterno opifici, cui præſto ſunt omnia, iniuriam inferunt. Dum ipſum per tempus agere, & ſucceſsiuè opinantur: cuius menſura eſt æternitas, & tota poſſeſsio ſimul. De huius itaque fabrica tota, ſimul confecta, ipſe Moſes eam, quã per dies diſtinxiſſe videbatur, repetens, ſimul productam vna, eademque die aſſerit, dicens. iſtę ſunt generationes cœli, & terræ, quan-

quando creatæ ſunt in die, quo creauit Dominus Deus cœlum, & terram, & omne uirgultum agri, antequam eſſet in terra, & omnem herbam agri, antequam germinaret. Sed & ipſe Deus diſſerens cum Iob. Ecce behemot, quem feci tecum. Apertiſsime innuit Angelum malum, qui penè ab omnibus dicitur prima die cum Angelis lucis productus, ſimul quoque cum homine fabricatum fuiſſe. Tres autem dies, qui deputati ſunt ad fabricam, & tres ad ornatum, & ſeptimus qui circulum dierum claudens, ad requiem dicitur deſtinatus; non ſunt dies, qui circuitu Solis diſtinguantur. Diuiſio igitur illa dierum, non ad tempus: ſed ad ordinem productionis, & rerum productarum ſeriem referre debemus, quia ſecundum Auguſtinum, & antiquos theologos, & philoſophos inſignes, & poetas peritiores, Triſmegiſtum, Alcinoum, Heſiodum, Euripidē, Cœlum, & terra olim mixta fuere, & chaos quoddam; & poſtmodum ſeparata genuere ſingula, arbores, volatilia, feras, & mortalium genus. Et ſi omnia ſummi opificis opera magno myſterio, magnoq; ſacramento fabricata dicuntur: non minus eſt de ſenario, quo tota fabrica partita enarratur. Nam ſenarius (vt Arithmetici tradunt) primus eſt numerus perfectus: quia ex partibus

aliquotis combinatis vno videlicet, duobus, & tribus ad vnguem resultat; Vnde & gamon à Pytagoreis dicitur: Propterea quòd suæ partes iuxta se positæ ipsum gignant. ac etiam ob eam causam quòd & primo pari, primoq; impari quasi ex mare & fœmina crocreatur, altero in alterum ducto. nam bis tria si necta, rursumque ter duos senarius vtrinque exoritur. Quælibet insuper dictæ partes aliquotæ combinatæ Senarium conficiunt, vt sexies vnum, Ter duo; bis tria. nec consonantior quippè numerus ad mundi fabricam poterat reperiri senario; qui constat ex proportione dupla, quam inter se proxime continent. Hæc autem est, quaternarij ad binarium, numeri simul iuncti, senarium reddunt: quod in alijs numeris vix inuenies, nisi in eis qui naturam senarij seruant, vt duplus, triplus, &c. Conuenit quoque senarius primo perfectus summo Opifici Deo, aut fabricę ipsius. Cui nihil deest: sic nec senario per sua membra digesto, aliquid nec superest, nec deficit, nec excedit quicquam, nec effluit, nec influit aliquid, nec alienis indiget adminiculis: sed ęquale, temperatumque est, & suis partibus viribusque nititur, atque consistit. Ideo cum Deus opus suum ad hunc numerum partiendo produxisset, dixit

xit Moſes : Perfecti ſunt igitur cœli, & terra, & omnis exercitus eorum. Docet itaque Auguſtinus Deum ſex diebus perfeciſſe opera eius; quo numero potius myſterium, quam temporis partes ſignari opinatur. Iccirco numeris etiam indigemus ad percipienda Dei, & Naturę ſacramenta, non quidem mercatorijs, ſed occultioribus & formalibus (vt Syrianus appellat) intellectibus, atque idealibus. Vlterius progredientes, dicamus quòd mundus, ex quo eſt circularis figurę: ideo ſex habet extremitates, ſurſum, videlicet, & deorſum; ante & retro; dextrorſum, & ſiniſtrorſum: Aliæ vero figuræ plures, & pauciores habere poſſunt. Nam quadranguli cubus licet ſe claudatur Epiphanijs ſeu ſuperficiebus, extremitates nihilominus plures habet quàm ſex: nam ipſi quoque anguli extremitates ſunt. Ideò dicitur, ꝙ creatus ſit in ſex diebus non temporaneis, ſed in ſex extremitatibus archetypi: quia in eius creatione conſpirarunt. Et iſtæ ſex extremitates procedunt à breſith, hoc eſt manifeſtantur in libro Geneſ. qui hæbraice incipit. à dictione Breſith: vel quia hæ ſex extremitates ædificij archetypi procedunt à chocmah, & reliquis duabus ſuperioribus dimenſionibus. Nam breſith
idem

ſith idem eſt, quod in principio, idem quod in chocmah, ſiue in ſapientia: mundus enim in ſapientia fundatus eſt. Sicut ergo Cedri à libano procedunt monte; ita dimenſiones ſiue ſex ſephiroth inferiores procedunt à tribus primis dimenſionibus. Et ſex hæ dimenſiones inferiores dicuntur dies fabricæ. Sicut ergo mundus, (vt diximus) ſex habet extremitates: à ſimili mundus ædificij ſupra mundani ſex habent ſephiroth; quæ illius ædificij extremitates dicuntur: quarum principium, inferius incipiendo, eſt malchuth, & binah, eſt ſeptima quia hod, & nezach pro eadem habentur. Vlterius progredientes, dicamus quòd figura Trigona quam optime huic numero fabricæ conuenit. huius enim baſis eſt ternarius, ſummitas vnum, intermedia duo, vt patet in obiecta figura. Nam fabrica tota à tribus perſonis emanat; cum eorum opera ad extra ſint indiuiſa: tendunt quoque in vnum finem, in quem omnia diriguntur. tranſitus autem eſt per binarium, materiam videlicet. Nam primum huius egreſſus principium materia fuit, quæ binarium ſapit, & in vnum reduci per formam tendit, quę ternarij gerit imaginem, ſicut ex omni parte in præcedenti figura ternarius per binarium tendit in monadem, ad quam reductis in om-

nibus, ſequitur ſabbataria quies diei ſeptimi claudentis, & terminantis omnium dierum circulum. Hoc igitur Senario, longe excelſiore illo, qui dierum ſucceſsione numeratur fabrica partita eſt.

D. Cab. Rectius dicitur, quod Paradiſus ſit totum ædificium quam ſit decima. Et in medio eius eſt collocatus magnus Adam, qui eſt tiphereth.

F. A. De paradiſi loco variæ ſunt opiniones. pro eius notitia quæritur, vtrum ſub æquinoctiali circulo ſit ad minus bona, & temperata habitatio, ac hominibus conueniens. in hac quæſtione poetæ, ac philoſophi contra medicos decertant. Virgil. enim, Ouid. & Ariſt. eiuſq; Commentatores, & Alb. in ſecundo metheor. in Tract. de Ventis tenere videntur, ſub æquinoctiali exceſsiuam eſſe caliditatem, quæ habitationem reddit intemperatiſsimam. Et confirmatur hæc opinio. Nam procedentibus à quarto climate æquinoctialem verſus, ſemper occurrit regio magis calida, & magis intemperata: Et homines nigriores apparent; ergo ſub æquinoctiali erit habitatio intemperatiſsima, & homines nigerrimi. Sed Auicena, & omnes recentiores medici cum eo ſentiunt ibi eſſe non modo temperatam, ſed temperatiſsimam, &

ame-

amenissimam habitationē. Et hoc confirmatur tum auctoritate Isydori in primo Etymolog. qui dicit Paradisum Terrestrem, esse locum versus Orientem situatum, multum appropinquantem globo Lunæ sub ęquinoctiali temperatissimum, & amenissimum: imo ait scriptura quòd posuit Deus hominem in paradiso voluptatis: tum ratione, quia sub æquinoctiali semper est ęquinoctium: quantum igitur in die calor intenditur, tantum in nocte à frigiditate remittitur: pręterea tantum eò influunt planetæ calidi quantum & frigidi, & ęquè directe irradiant. aeris igitur complexio redditur temperatissima. Et hoc etiam videtur sentire Ptolomeus in tertia parte quadripartiti, vbi dicit, quòd omnis temperies complexionis, ab æquinoctiali procedit. Sed breuibus dicendum videtur, quòd si habitatio illa intemperata sit, hoc maxime erit propter caloris excessum: Quare aduertendum, quòd triplici de causa calor alicubi est excessiuus: prima est calefacientis propinquitas, & propterea regiones sub tropico hyemali (si quæ sunt) calidiores sunt regionibus, sub tropico æstiuo existentibus; cum enim sol est iuxta tropicum æstiuum, est in auge orbis sui excentrici. Sed quando est propè

tropicum hyemalem, eſt in oppoſito augis terræ propinquior. Secundo cauſa eſt radiorum calefacientium directio; Et ideo Regiones ſub torrida Zona, quæ terminatur ad duos tropicos, calidiores ſunt regionibus extrà torridam Zonam exiſtentibus in qualibet aliarum quatuor Zonarum. Tertia cauſa eſt mora calefacientis corporis, & propter hoc in torrida Zona regiones circa tropicos, & ſub eis, calidiores ſunt regionibus circa æquinoctialem, & ſub eo exiſtentibus; eò quòd Sol, cum deſcribit æquinoctialem, velocius mouetur, quam cum deſcribit tropicos. Et ſic radius minus figitur in obiecta terra. Et item; quia ſol maiori tempore circa Zenith eorum, qui tropicis appropinquant, quam circa æquinoctialem moratur. Cum enim ad principia arietis & libræ prouenerit, maiores, & notabiliores declinationes ab æquinoctiali facit, quàm circa principia Cancri, & Capricorni. Cuius rei ex dierum, & noctium Artificialium cremento, & decremento, euidentiſsimum ſumitur argumentum: Nam ſenſibilius circa æquinoctia, quam circa ſolſticia creſcunt, & decreſcunt dies, & noctes. Hac etiam de cauſa in menſe Iulij, & Auguſti intenſior eſt calor in regionibus ſeptentrionali-

trionalibus, quàm in menſe Maij, vel Martij, quanquàm menſe Iunij ſol eſt eis propinquior: eo quòd ſol diuturnius in ſignis ſeptentrionalibus, & verſus Polum arcticum menſe Iulij, vel Auguſti, quàm menſe Iunij moratus eſt. Propter etiam cauſam iſtã in diebus æſtiuis maiorem poſt meridiem calorem, quàm in meridie, vel ante ſentimus, quamuis ſol in meridie ſit Zenith noſtro propinquior, eo quòd poſt meridiem diuturnior eſt Solis mora ſuper noſtrum Horizontem: Et calor continuè calori ſuperadditur, & facit ipſum ſupercreſcere, & intendi. Inter haſce tres cauſas caloris, tertia principalior, & maxima eſt propter rationes allatas. magis enim quandoque calefit homo remotus ab igne, quàm alius propè ignem, quia .ſ. ille eſt diutius calefactus. Secunda vero cauſa eſt poſt ipſam, fortior radiorum directio: minima vero caloris cauſa eſt calefacientis propinquitas. Vnde in ęſtate quandoq; ſol à nobis eſt remotior, quia eſt in auge excentrici, magis tamen regionem noſtram calefacit, quàm in hyeme, cum circa oppoſitum eſt augis, eo quod ſol in ęſtate Zenith capitum noſtrorum appropinquans, directius ſuper nos irradiat. Sic igitur ad quęſtionem dicendum, ſaluo meliori iudicio, per duas concluſiones. Prima eſt quòd

ſub

ſub ęquinoctiali habitatio eſt intemperatior per caloris exceſſum, quàm habitationes quarti, & quinti climatum, quę cęterarum ameniſsimæ videntur. Secunda concluſio. Sub ęquinoctiali multo temperatior eſt habitatio, quàm ſub tropicis, & circa tropicos, quia minor eſt caloris exceſſus, maior enim Solis eſt mora circa tropicos, (vt diximus) licet in ęquinoctiali ſit maior Solis propinquitas, & aliquando directior irradiatio. Confirmatur ex hominum naturis, & complexionibus: Habitantes enim circa tropicum æſtiuum Æthyopes nigerrimi, ſicciſsimi, breuiſq; ſtaturę exiſtunt: Et ſub ęquinoctiali ſunt pallidi homines, atque bonæ complexionis & longioris vitæ reperiuntur. Ad argumenta vtriuſque opinionis, facilis eſt reſponſio: Non enim ſequitur (vt dicit prima opinio) ſi procedentibus a quarto Clymate verſus tropicum æſtiuum ſemper apparent calidiores, & intemperatiores regiones: quòd etiam procedentibus à tropico verſus æquinoctialem eodem modo appareant propter cauſas dictas. quod autem ſecunda opinio adducit ex Iſidoro, & ex pagina ſacræ ſcripturæ, concedimus quòd dari poteſt talis locus: Sed dicimus quòd amenitas illius loci (Paradiſus terreſtris nuncupati) non eſt ex qualitate, vel na-

tura illius regionis, ſed ex ſitu paradiſi. Eo enim quod in loco altiſsimo eſt (vt Iſidorus ait) tranſcendit magnam regionis mediȩ aëris partem; quo fit vt neque venti, neq; turbines, neque pluuiæ ibidem generantur, neque etiam propter radiorum reflexionem ibi caliditas intenditur. Et patet concluſionis deciſio quod ſcilicet dabilis eſt talis locus habitabilis. quod autem locus ille ſit Paradiſus, de quo ſcriptura loquitur, à Cabaliſtis non admittitur: Nam ille non eſt terreſtris vt vulgo dicitur. Sed plantatus ante mundi fabricam, ſicut bene ſentit Hieronymus, qui in Gen. ad verbum ait. pro paradiſo .textus habet, gan. heden. i. hortum delitiarum; pro quo Symmachus, tranſtulit Paradiſum florentem. Nec non quod ſequitur contra orientem in Hebræo mikedem: Quod aquila poſuit ab exordio: Symmachus vero, & Theodotion à principio, ex quo eſſe manifeſtisſimè probatur, quòd priuſquàm cœlum, & terram DEVS faceret, Paradiſum DEVS ante condiderat. hactenus Hieronymus. cœleſtis eſt igitur ille Paradiſus, & diuinus in quem datur introitus, quando homo auerſus à peccato, & erectus in DEVM toto corde, & mundo reuertitur. tunc enim DEVM videt, mentem adipiſcitur, regnum cœlorum poſsidet, quod intra

nos

nos eſt, & in ipſo Paradiſo oblectatur. quæ omnia idem ſunt. Et hæc eſt rumphea uerſatilis, quam tenet Cherubinus pro cuſtodia ipſius paradiſi, auerſio videlicet: quæ ſi eſt à DEO ad creaturas, tunc expulit ſic auerſum à ligno vitæ, & à delitijs ipſius paradiſi: ſi autem ipſa auerſio erit à peccatis, & à creaturis ad DEVM, tunc per Cherubinum remiſsionem conſequitur, & reditum ad paradiſum eundem, ex quo expulſus fuerat. Metaphoricè igitur (ſecundum Cabaliſtas) Moſes de paradiſo loquutus, innuens ſemper anagogicum ſenſum; cum non terreſtris (vt vulgo dicitur) verum cœleſtis ac diuinus ſit hortus ille, à cœleſti agricola, & opifice ſummo in terra quidem non hac tamen feculenta plantatus; ſed in terra viuentium figurata per terram illam promiſſam, de qua dicitur vineam tranſtuliſti de Aegypto, eieciſti gentes, & plantaſti eam, & radices eius plantaſti, & impleuit terram. Et ne decipiatur aliquis credens, quod de hac terra craſſa loqueretur, paulo inferius ſubdit. Viſita vineam iſtam, & perfice eam, quam plantauit dextera tua, & ſuper filium quem confirmaſti, vel cortoboraſti tibi. Ecce quàm pulchrè innuat vineam illam meliorem, & conſequenter omnes arbores ſacri horti eſſe plantatas, in filio, & in verbo diui

no: quod ait. si quis in me non manserit mittetur foras; sicut palmes, & arescet, & in ignem mittetur, & ardebit. in verbo igitur isto non modo sunt Arbores: sed omnia plantata, & fundata sunt, dicente Ioanne. Quod factum est in ipso vita erat. qui cum Paulo portat omnia verbo virtutis suæ. quod & liber vitæ dicitur. Et in libro tuo omnes scribentur scilicet sub imaginibus, & exemplaribus æternis. & ipsum verbum cum omnibus simul in eo contentis est in patre: & ideò plantati sumus etiam in patre; in quo est ipsum, quòd ait, sicut tu pater es in me, & ego in te, & ipsi in nobis vnum sunt. In his ergo vere sunt diuitiæ, & voluptates: Vnde merito dicitur Paradisus vel hortulus delitiarum, irrigatus ab illo fluuio voluptatis; de quo diuus citharædus ait; Inebriabuntur ab ubertate Domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos (ex fonte scilicet de quo sequitur) quoniam apud te est fons vitæ. Elementa, principiaq; naturæ, pulchrum quoq; mundum totum, emanasse affirmat Mercurius, ab eo qui est & omnium rerum, & vtriusq; sexus fœcunditate plenissimus, vim totam continens generandi absque alicuius extrarij adminiculo. Hinc Pan à Poetis (quod totum significat) dicitur, quem solem esse Archades existiman-

tes adorabant. Eſt quippe Verus ſol, non hic cœleſtis, ſed ſupra mundanus, & diuinus. Cuius pictura erat huiuſmodi. Primò cornua in capite geſtabat quæ regnum ac poteſtatem, quod in ſupernis inferniſque denotant tenet. Barba eius erat prolixa radios lucis aut diuinæ ſuæ virtutis, uſque ad ima protenſa protendebat. pars inferior hyſpida propter arbores, virgulta, montes, ſaxa, feras: ſuperior vero lenis: vnde & ſuper arauot, id eſt planicies equitare dicitur. Sonat fiſtula ſeptem calamorum, id eſt ſeptem planetarum harmonia, in qua ſunt ſeptiformes ſoni, qui diapaſon, conſumatam videlicet conſonantiam complent. Virga in manibus eſt poteſtas, qua cuncta moderantur: ridentem eum fingebant, eius ſempiternam fœlicitatem innuentes: deliciariq; aſſerebant in Echo, quæ eſt vox emiſſa in concauis vel obiectis diſpoſitis quibuſcunque reſonans: vox enim verbum, & mentis conceptum exprimit. Ideo voce vel dicto, DEVS mundum, & omnia eius membra fabricauit, voceq; gubernat imperitando: amorem etiam erga nos pluribus clamoribus manifeſtat. reciproco vero amore (qui eſt reſonans Echo) deliciatur, & hæ ſunt delitiæ, quas habet cum filijs hominum. Hebridem ſtellatam in pectore gerebat. Quia omnium ſtel-

larum concursum, atque vim vnica pelle, vnicoque actu, aut nutu continet. Sed quem poetæ Pan, idest totum omniaq; continentem dicebant, philosophi causam primam, & omnium causarum principium vocauere, dans omnibus causis, vt influant. Nam quicquid agit causa secunda, id in virtute primæ magis influentis: quam secunda, exequitur, vt Proclus inquit, asserens deinceps omnia habere essentiam à primo ente & prima causa, & viuere à prima vita: immediateq; à prima, & summa intelligentia: Quæ sit omnium fœcunda rerum eorum, quæ alijs prestant necesse est. Estque in se ipso summè fœlix, & beatus: sed beatitudo (ut definit Speusippus) est bonum, ex bonis omnibus accumulatum. Beatus autem est qui nullo indiget, & qui habet quicquid vult, vt beatus Augustinus, & Plato asserunt. nihil ergo deest illi, qui omnia continet, tanquam vera omnium sphæra: vt dixit Hermes. Et cum nihil sit extra sphæram mundi, sic nihil extra diuinum ambitum qui omnia complectitur, continet omnem numerum existens ipse vera vnitas: quæ principium, & radix omnium est numerorum, dans omnibus, vt numerentur. Omnis numerus seu multitudo (secundum Proclum) ab vno est, nec aliquid esset vnum simul cum alijs multitu-

dinem faciens (vt idem prosequitur) nisi per vnius participationem vnitatem sibi compararet. Quod vnum, & antiquissimum nemo ambigit Deum esse, qui antequam peculiarem vnitatem rebus inferioribus communicaret, in primum numerum se diffundit scilicet in ternarium, & hinc in denarium (secundum Hebræos) tanquam in decem ideas, & mensuras omnium numerorum, & rerum omnium faciendarum: hac de causa vlterior numerus dari nequit. Qui denarius in vnum coaceruatus redit, à quo exordium habuit, vt sit denarius numerorum finis, & complementum, & principium decadum. Quam numerorum seriem, omnia tanquam verum exemplar imitando ad illud vnum redire contendunt, vndè processerũt, sicuti rami à trunco, vel à radice, radij à sole, riuuli à fonte. creaturæ enim omnes non habent esse à se, sed à Deo: qui est fons, et origo omnium riuulorum, &c. Ideò sapienter dicitur: Deus est in quo viuimus, mouemur, & sumus. omnia nempè radicata sunt in vnitate essentiæ infinitæ. Ideò omnia dicuntur vnũ. Et istud vnum, est decima suprema sephirah, de qua dicit conclusio, quòd rectius dicitur paradisus esse, totum ædificium, id est omnes decem sephiroth, quàm solum decima. vnum est; quòd paradisus est vera voluptas; quę tan-

tum in Deo reperitur. est enim satians voluptas: quæ solum in Deo reperitur. Vnde Dauid cupiens hanc satietatem, ait. satiabor, cum apparuerit gloria tua. Verus igitur hortus paradisi, est arbor continens omnes decem sephiroth. Qua in arbore sunt decem arbores particulares: quę varios producunt effectus. Alij dicunt quod paradisus est solum in malchut; quod regnum dicitur, & terra viuentium; alij quod in tipheret, est enim Christus omnium pater. Nos primo geniti fuimus ab æterno patre, per filium, in quem semen idearum perfusum erat. postea iterum regenerati sumus, per filium hominem. nam imagine perturbata, & similitudine penitus disperdita, non dicebamur meritò filij Dei patris: Ideò oportuit nos nasci denuo per baptismum. In prima generatione nos ad idolum ideale confinxit. In secunda vero ad illud idolum, quod pictum est in libro prædestinationis, & vitæ, id est in verbo nos regenerante, in quo scribuntur omnes, & ad cuius perfectionis gradum deducendi sunt. nec solum habent illinc nomen, & idolum pictum, sed inde vim quandam accipiunt, sicut filij à parentibus per semen ab eis diuulsum. Nec satis fuisset pientissimo patri nostro nos generasse in spiritualem hominem; nisi & cibos ipsi con-

conuenientes preparasset. Et hoc fuit quando dixit. Accipite, & manducate, hoc est corpus &c. Vt bonus pater nos instruxit. Doctrina à verbo facta, omnia euangelica plena sunt. Quam doctrinam, si voluerimus explicare, nec vires nostræ debiles supperent, sed (vt verbis Ioannis vtar) nec totus mundus capere posset. Et hanc doctrinam docuit in templo, in montibus, in synagogis, & in diuersis locis, totam tamen doctrinæ summam, efficacius tradidit in cruce. Ditauit etiam nos bonus pater, Thesauris. Diuitiæ enim dicuntur (vt docet Marcus Varro) quia diuos nos faciunt. Et thesauri eius sunt gratiæ sapientiæ, & gloriæ: sine quibus quanuis potiamur inferioribus, pauperrimi tamen sumus. Optimus pater non supradictis contentus, in fine maiora dilectionis pignora reliquit, non tantum in eo, quòd vitam exposuit, sed quia opulentissimum testamentum fecit, in quo legauit illud quo maius excogitari nil potest. legauit enim æternum, & fœlicissimum regnum bea titudinis, quod statim se daturum promisit latroni, dum ait. hodie mecum eris in paradiso, id est hodie frueris essentia mea, quo niam obiectum est beatitudinis. Et ideo latro erat in dextris eius. Nam in dextera eius sunt iucunditates æternæ. has præsensit

Agæus propheta, dum dicit, Adimplebis me lętitia, dans scilicet de iucunditatibus æternis: quæ sunt in dextera tua. quinetiam caput nostrum: nedum pater fuit: non enim contentus suprascriptis voluit etiam omnes nos vnire simul in idem corpus, qua vnione non datur maior; cuius ipse caput effectus, omnia membra regeret, & in ipsa influeret. sicut enim in capite omnes sensus inte-riores: vnde membra dicuntur à capite regi, tanquam à Duce, & repleri virtute veluti riuuli, & aluei replentur à fonte. Quæ omnia secundum spiritualem influxum, proueniunt à capite nostro Christo. Vnde Paulus. Gratia Dei sum, id quod sum: Quæ gratia, in nos emanat per solum CHRISTVM. neque ratio, neque intellectus, neque lumen ad cognoscendum diuina in nobis existit, nisi subministretur à capite nostro. quæ est lux vera omnes illuminans. nam vt abscisso capite nihil uirium remanet in membris, sic abscedente CHRISTO ab homine, abscedit vita, & ex consequenti omnis operatio, & motus, quæ ad ipsam vitam spiritualem pertinet.

Quicquid igitur fauoris pro interiori homine habere voluerimus, ab eo efflagitare necesse est. de cuius plenitudine (vt

inquit Ioannes) omnes accepimus , & accipiunt , qui in regno ſunt beatitudinis . Ideò bene dicunt aliqui (vt narrat concluſio præſens .) quòd in medio paradiſi eſt collocatus magnus Adam, id eſt CHRISTVS Meſsias cœleſtis , qui venit ſatisfacere pro Adam terreno , & animali . Et locus eius in archetypo dicitur Thiphereth , in medio ſephiroth, ſic CHRISTVS medium tenet inter diuinas perſonas , & vt factis oſtenderet , ſe perfectum mediatorem in ingreſſu , in ſtatu , in receſſu , & in regno ſemper locum medium tenere curauit . natus eſt in medio duorum animalium . diſputauit paruulus , in medio doctorum . medio diſcipulorum exiſtens docebat eos . affixus cruci poſitus fuit in medio duorum latronum . in iudicio ſtabit in medio electorum , & reproborum . in regno quoque ſuo ſemper tenuit , & tenebit locum medium inter patrem & nos aduocatus , & mediator exiſtens . eſt denique medium tenens in illo diuino mundo archetypo , in quo Abraham plenus pietate à Theologis Hebræis in dextera , Iſahac vero ſeuerisſimę iuſtitiæ in ſacrificium oblatus in ſiniſtra reponitur . in meditulio verò Iahacob , in cuius domo Angelico

atteſtante oraculo, noſter mediator in ęternum regnat, iam reuerſus ad locum vnde venerat. quo etiam nos veros Iſraelitas effectos conducere intendit, vt non ſine cauſa dixerit. non veni niſi ad oues: quæ perierunt domus Iſrael. Et ille locus dicitur Tiphereth. (vt ſupra dixi) & propter hoc dicunt aliqui Cabaliſtæ, nos beatificandos in ipſo Tiphereth. Melius eſt tamen dicere, quòd ſit in omnibus decem ſephiroth, quia Chriſtus dicit in præmiandis meritis: non ne ex denario conueniſti mecum, vt. ſ. te beatificem cum decem influxibus, decem ſephiroth.

D. Cab. Dictum eſt ex eden exire fluuiũ: qui diuiditur in quatuor capita; ad ſignificandum, quòd ex ſecunda numeratione procedit tertia; quę in quartam, quintam, ſextam, & decimam diuiditur.

F. A. Deum eſſe fontem declaramus ipſomet acclamante, & in huiuſmodi verbis conquerente: Me dereliquerunt fontem aquarum viuentium dominum: vt in Ieremia dicitur. Et Dauid: apud te eſt ſons vitæ. Iſaias etiam dicit. Haurietis aquas in gaudio de fontibus ſaluatoris. Qui fontes ſunt cheter Elion corona ſuprema pater vocitata, prima origo omnium ipſa chocmah Dei filius. binah quoq; ſpiritus ſanctus. fons ergo primus & origo omnium bonorum pater eſt.

de quo

de quo in canticis dicitur. Fons hortorum & puteus aquarum viuentium. Fons quoq; est filius, de quo Zacharias. In illa die erat fons patens domui Dauid, & habitantibus Hierusalem in ablutioné peccatoris, & menstruatę; quod omnes exponunt de Christo Dei filio. Fons etiam est spiritus sanctus, de quo Ioannes fiet in eo fons salientis in vitam æternam; hoc autem dixit de spiritu sancto, quem accepturi erant credentes in eum. primo tamen præmiserat dicens: qui biberit ex hac aqua; quam ego dedero. hæc autem aqua vitæ, ante Christi aduentum, solos Iudeos irrigabat (quia salus ex Iudeis est) adueniente vero Christo, tunc aqua hæc irrigauit vniuersam terram. filius etiam fuit fons aquæ viuæ, quem petebat Moses in numeris. De hoc fonte in canticis dicitur. fons hortorum puteus aquarum viuentium. De quo fonte ait Ioannes ostendit mihi fluuium aquę viuæ splendidum, quę aqua vnica Christus est, aut eius sapientia, quæ dicitur aqua saluatoris, cum in ipso præesset lex quę data fuit: quod sacramentum referans Paulus dixit. bibebant autem de spirituali consequenti eos petra: petra autem erat Christus. Vndè apertè voluit innuere sapientiam legis Hebræis datæ, emanasse a Christo, sub metaphora petræ. Et hæc est ratio, quare Hebręi

satia-

ſatiati à diuino fonte legis acceptæ, adhuc ſitire videbantur, quia & ſi data fuerat tunc lex; adeò tamen inuoluta erat, vt ſitiret popu lus eius intelligentiam. Hinc communiter concludunt antiqui theologi, legem fuiſſe bis datam, primo in ſcriptis: poſteà oretenus declaratam fuiſſe aſſerunt. & hanc vocant Cabalam, id eſt reuelationem ore ad eos factam. De hoc fonte dicit Zacharias (vt dixi) erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Hieroſolyma iſte fons clamabat in templo dicens: Si quis ſitit veniat ad me, & bibat. hoc loquitur Ezechiel, dicens: Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, & ab idolis veſtris. & dabo vobis cor nouum, & ſpiritum nouum, id eſt baptiſmum. & iſti fontes, quamuis in ſe ſemper ſint exuberantes, quia infiniti: exiccati tamen dicun tur quantum ad noſtram vtilitatem: quando videlicet, exigentibus ſic peccatis noſtris, obturantur meatus in nos influentes, iuxta illud. Auertente te faciem turbabuntur: auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur. Iſti tres fontes vnum conſtituunt fontem: ſicut tres perſonæ diuinæ ſunt vnus Deus, & opera Dei ad extra ſunt indiuiſa. ideo ab iſto fonte, ſiue mari, ſiue horto paradiſi exit fluuius a-

quatum viuentium, qui diuiditur in quatuor flumina, quæ flumina etiam dicuntur fontes secundum Pythagoram. qui fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, & fœlices omnes, illic videlicet habitantes. nam Vates canit. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Ad irrigandam autem vniuersam terram, diuiditur in capita quatuor. Quod quadrifaria conditio terreni hominis exigit. Sicut enim ternarius diuinis rebus est addictus: ita quaternarius corporeis, & humanis, quia ex quatuor elementis constituitur. Adhuc quadrifariam diuiditur hic fluuius, vt in ipsum hominem terreum, ipse fluuius totius bonitatis influat diuisim, qui beatos vnum cum Deo effectos irrigat coniunctim. irrigat enim nos ab oriente per gratiam, à meridie per scientiam & pietatem, ab Aquilone per castigationem & expiationem, ab occidente vero per benignam susceptionem. Vnde flumina sempiterno fluxu ad mare currunt, vnde traxerunt originem: iuxta illud Ecclesiastis. omnia flumina intrant in mare. & paulò post. Ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur. Sic etiam creaturæ omnes, deueniunt ab illo mari magno supramundano supradicto, transeuntes per causas secundas

modo

modo occultiſsimo; tanquam per fiſtulas, & venas mundi. Sicut, & animalium ſemen per occultiſsimos meatus tranſit vſq; ad locum, vbi formatur in corpus. Quo formato indefectibilem curſum currit, quouſque reuertatur ad mare Archetypum, vnde exiuit, niſi peccato infectus, labefactatus ve ſit. Et quia infinitum eſt mare illud; ideo non redundat ex reuerſione illarum aquarum creatarum: ſicut non fuit diminutum, quando aquæ illæ exierunt. Et quia aliquid veritatis in litera continetur circa deſcriptionem illorum fluuiorum, etiam de ipſis vndè oriantur, & quò, quaq; fluant dicendum eſt. pro vt habetur, à Geographis. Phyſon ergo ſiue Ganges (vt vult Hieronymus) eſt Indię fluuius inter fluuios afferentes aurum præcipuum: cuius ortus eſt in medijs montibus, Artemidoro authore. Et de hoc dicit textus, & aurum terræ illius eſt optimum. Geon verò qui Nilus exiſtimatur, tranſiens per omnem terram Aethiopiæ, & ab vltimis finibus terræ auſtralis fluit ad ſeptentrionem mirabili, & vario curſu. origo eius eſt in partibus Mauritaniæ, non longe ab Oceano ſtagnante ibi lacu, quem Helidem vocant, deinde abſcondit ſe itinere aliquot dierum, rurſusq; rumpit alio lacu maiori in Mauritania cæſarienſi: iterum harenis receptus

ptus per deserta viginti dierum fertur ad proximos Aethiopes. Deinde prosilit in fontem qui niger dicitur. Inde Aphricam ab Aethiopia disterminans medios secat Aethiopes cognomine Astaplus, & tandem deuenit ad mare Ægyptum. hic oritur in Aphrica. Tigris autem qui vadit contra Assyrios in regione maioris Armeniæ fonte conspicuo oritur in planitie, vbi tardior fluit. hic vsq; ad Medorum fines, Diglitus appellatur: Tigris postea vocari incipit. quòd veluti sagitta volare uideatur: nam sagittam Medi tigrin appellant. & transit per Zeroadam, & Tesbitem leuior arsanias innatat. postmodum in Euphraten mergitur. Euphrates uero in monte Patiedro maioris Armeniæ oriri dicitur eadem plaga percurrens Armeniam maiorem à Cappadocia distinguit, & in sinum persicum (quod Mare rubrum dicitur) fluit. Hinc nulla cõiectura asseaqui possumus quomodo ista quatuor flumina eandem habeant originem, cum ex distantissimis locis oriri videantur. Quare dicendum relinquitur, ut mare sit fons illorum quatuor nominatorum fluminum. Sed tunc non erit locus aliquis particularis qui hortus, aut paradisus delitiarum dicatur à nobis inaccessibilis. Vnde typica uidetur omnino illa descriptio fluuiorum, per quos intelliguntur

telliguntur quatuor elementa, & principia totius esse producti, & subindicatur illa quadruplex virtus hominis quadriliteri: Quod nomen Orpheus, & Homerus Oceanum uocant diuinarum primo & humanarum rerum originem semper existentem, secundo in Deorum generationem emanantem, tertio terrena irrigantem, quarto in omnem fluidam materiam stillantem: cuius iterum emanatio per formã quidem in Angelis, per veram participationem & imaginem in ratione præditis animantibus, per imaginariam in rationis expertibus; per umbrã denique in corporum figuris reperitur: quæ emanatio quadruplex per quatuor etiam ab Ezechiele uisa animalia innuitur, quorum leo igneus est: Aquila aerea: Homo in anima potissimum, & in semine aqueus: Vitulus uero terreus, & terræ cultui semper addictus. Quæ elementa composita simul unicam ostendunt faciem, & uirtutem, ideo dicitur quatuor facies vni, & quatuor pennæ vni. Ideo indicatur illa quadruplorum virtus nominis quadriliteri, aut quadruplex effluxus præcipuus archetypi. Quæ omnia describuntur per illa quatuor flumina: eo quod ipsorum habeant simulacrum, sicuti per Arbores, fontes, hortum, & huiusmodi altiora describuntur sacramenta. Cum

enim vnus ſit fons vitæ duplicis; qui in Iere-
mia dicit. Me dereliquerunt fontem aqua-
rum viuentium, neceſſe eſt, vt omnes, &
naturalem, & ſpiritualem vitam habentes &
reliqua (ſiqua ſunt) omnia hauriant ab illo
fonte, à quo fluuius procedit. de quo in
Gen. dicitur: Et fluuius egrediebatur de
loco voluptatis, qui Deus eſt ad irrigan-
dum primò ipſum paradiſum, id eſt totum
archetypum, per diuerſos canales rerum
nobis communicandarum. & iſtæ ſunt a-
quæ ſupramundanæ: quæ ſuper cœlos à
Moſe, & Dauide eſſe dicuntur. Ab illo igi-
tur fonte vitæ emanare dicitur aqua vel flu-
uius: qui ſtatim in quatuor capita parti-
tur, & irrigat vniuerſam terram. Quæ
aquæ vitæ prius ſunt in paterno fonte che-
ter Elion, id eſt corona ſuperior. poſteà in
filio chocmah, ideſt ſapientia: qui & ipſe
eſt fons (vt dixi) apud patrem exiſtens, vt
in pſalmo dicitur. Quoniam apud te eſt
fons vitæ. apud patrem enim eſt filius: cui
pater omnia dans, & ipſum fontem conſti-
tuit, vt meritò dicere poſſit. Ego ſum vi-
ta, utranque ſcilicet naturalem, & ſpirita-
lem omnibus tribuens. Quando enim dici-
mus omnia quæ facta ſunt in ipſo vita erant,
de naturali vita dicitur. nam ab illo fonte
diuino vitæ decurrit aqua; eſſentia videli-

H cet,

cet, & eſſe omnium rerum: quod prima diuiſione diuiditur in quatuor elementa tanquam in principia, & primaria rerum materialia primordia: qui eſſentiæ fluuius egrediebatur de voluptate, id eſt de deitate fœliciſsima, ad irrigandam, & perfundendam vniuerſam terram, id eſt materiam, quæ primum producta, terra appellata eſt, & rectè primò decurſa diuidi dicitur in quatuor capita, id eſt in quatuor elementa; cum quibus, & nomina fluuiorum conueniunt, de quibus aliàs. Sed cum ipſe ait. Ego ſum reſurrectio, & vita; de ſpiritali intelligitur vita: quæ perpetuata fit vita æterna, quam & ab ipſo Dei filio habemus, ſicut ipſemet pleriſque in locis teſtatur dicens. Ego vitam æternam do eis; & iterum: ſi quis biberit ex hac aqua, quam ego dedero; fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam (vt dixi) æternam. extat & alius fons vitæ in eo ſanctiſsimo archetypo: qui ſpiritus ſanctus eſt. & hic aliquando dictus ſpiritus vitæ: ſicut in Ezechiele legimus. Et ſpiritus vitæ erat in rotis: de quo in pſalm. canitur. Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur, ea quidem quæ mortua & deſtructa erant. Et ſi ſint tres fontes, vnus tamen ſunt in illo fonte vitæ, & eſſentiæ Diuinæ, Enſoph dictæ, id eſt infinitas, ſeu infinitudo, ſine qua nihil vi-

uit, & nihil eſt: omnia enim ab vno proueniunt. Et quoniam in Deo eſt paradiſus, ideò edem, id eſt paradiſus vnus eſt. Et ſicut à Deo omnia proueniunt; ita ab hoc edem paradiſo omnia procedunt, & in ipſo omnia quietantur. De quo pſalmus, ſatiabor cum apparuerit gloria tua: non eſt enim in hac fæculenta terra; ſed in cœlo, Et quia voluptas ſuſtentaculum creatorum dicitur; filius chocmah cuncta ſuſtinet, Paulo teſte. portans omnia verbo virtutis ſuæ. Et ſic omnes ſpirituales gratiæ immediate ab ipſo filio chocmah proueniunt, & demandantur ab ipſo in ſpiritu ſancto Binah executore. De quo Paulus. Alij datur ſermo ſcientiæ; alij &c. Idem autem ſpiritus diuidens ſingulis pro vt vult, & eæ tres numerationes primæ videlicet, cheter Elion pater, chocmah filius, & binah ſpiritus ſanctus vnum ſunt; & idem in eſſentia, & vnum eſſe. Quando autem hoc vnum eſſe Diuinum incipit communicare ſe cæteris ſephiroth inferioribus; tunc in quatuor capita diuiditur, ſicut ſunt quatuor literæ nominis tetrag. per quod facta ſunt omnia, ſic in mundi fabrica, & eorum quæ ſunt mundi edem, id eſt tres primæ dimenſiones; quæ paradiſus dicuntur (vt vidimus) diuiſus eſt in quatuor capita. Nam ad perfectum rerum eſſe, & mundi,

quatuor illa requirebantur, quæ ſunt ghedulah, ghebura, tiphereth, & malchuth. fons igitur, qui in hæc quatuor diuiditur binah, eſt ibi totalis & integer: quia tantum reſpicit ad intra: Sed quando in rebus creatis influit, diuiditur in quatuor capita. De hoc fonte loquebatur Chriſtus, dum dicebat; Fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam ęternam. poſteà ſubditur. hoc autem dicebat de ſpiritu ſancto quem accepturi erant credentes in eum. Primum horum capitum eſt gedulah, id eſt Amor & pietas: quæ ad rerum productionem concurrunt, vt dicit Boethius, & Ieroeles Amore Deus cuncta creauit. ſecundum eſt ghebura. i. iuſta gratiarum diſtributio. ſecundum eſt ghebura. i. iuſta gratiarum diſtributio, ſecundum videlicet rerum capacitatem. Nam entium, vnumquodq; de bonitate, & perfectione tantum accepit, quantum iuſtè decuit; ideò ait ſapientia. omnia in numero, pondere, & menſura feciſti. tertium ad creationem rerum concurrens, eſt tipheret, id eſt virtus maſculea; quæ influit. quartum eſt malchuch, id eſt virtus fœminea quæ recipit. Et ne miremini quod tales ſexus in Deo reperiantur; quia Iſaiæ vltimo dicitur. Ego qui alios parere facio, ipſe ſterilis ero? ſi enim hos ſexus creatis tribuit, ergo ipſe hos in ſe habet: quia non habendo,

do, minimè alijs tribueret: nemo enim dat, quòd habere negatur. Mundum ergo creando Deus, quatuor his usus est. bonitate primò videlicet, quia amore creauit: iustitia, dando vnicuiq; secundum eorum capacitatem sexu duplici masculeo, atque fœmineo. nam quemadmodum nisi masculus semen in fœminam funderet, mulier non conciperet; sic, nisi tiphereth impleret malchuth infundendo in ipsam bonum influxum ipsa dare non posset esse rebus. Ad conclusionem (ex secunda numeratione) chocmah (procedit tertia) binah. filius enim omnia communicat spiritui sancto (quæ tertia in quartam) ghedulah (quintam) ghebura (sextam) tipheret (& decimam) malchuth.

D.Cab. Verum erit omnia pẽdere ex facto, si per factum fatũ supremum intellexerimus.

F. A. Factum cum c, est concretum; & significat rem factam; sine c, fatum importat concursum, siue ordinem, siue connexionem secundarum causarum à Deo præuisam: secundum quem concursum Deus sinit res euenire. & res non ita sunt à tali concursu, quin secus euenire poßint; licet etiam Deus prius cognoscat: quia Dei scientia non imponit neceßitatem in rebus: quodlibet enim contradictorum futurorum contingentium ad vtrumlibet est æqualiter deter-

minatę veritatis pro quocunq; instanti, sicut aliud, ita quod potentia determinans futurorum aliquod contingentium ad partem aliquam est eius oppositum determinare potens; Et quia Deus de futuris contingentibus infallibilem habet notitiam; eo quòd non aliter facta quam facienda nouit. Et facta nouit infallibiliter & clare, ita & facienda nouit infallibiliter. Et quamuis Deus de futuris contingentibus infallibilem & certissimam habeat notitiam; illa tamen contingenter euenient, & non necessario: quia voluntas Diuina res contingenter determinauit: nam non determinare potuisset: idcirco scientia Dei rebus non imponit necessitatem, ab ipso scitis: vnde quamuis Deus futura contingentia sciat; non tamen ea scit necessario, sed contingenter; ideo potest ea non scire: scit enim Deus contingentia futura sicut diuina decernit voluntas: verum Diuina voluntas merè contingenter, & liberè determinauit; Idcirco Deus futura scit contingenter, & liberè: sequitur ex his, omne illud esse futurum, quod scit Deus; potest nunquam sciuisse esse futurum, in sensu diuiso, id est diuidendo instantia pro illo .s. instanti priori, pro quo sciuit rem talem esse debere, pro eo instanti priori isto potuit non sciuisse; si Dei voluntas aliter decreuis-
set:

ſet : quia quicquid poteſt non eſſe, poteſt nunquam fuiſſe ſcitum à Deo : Sed quicquid à Deo ſcitur eſſe futurum poteſt non eſſe; Ergo quodlibet tale poteſt non eſſe ſcitum à Deo. in ſenſu compoſito eſt falſa ſcilicet pro illo inſtanti, pro quo ſciuit talem rem eſſe debere, pro eodem inſtanti potuit non ſciuiſſe. Difficultas eſt in hoc, quo modo ſtent ſimul rerum contingentia, & Dei infallibilis cognitio, ſiue prouidentia. Plat. in libro de republ. dicit quod in Deo eſt prouidentia infallibilis, & rerum contingentia. Ariſt. 11. & 12. metaph. prouidentiam ponit in Deo, afferens patres Chaldeos, id eſt Hebræos, & primò Perih. & ſecundo Ethicorum, ponit rerum contingentiam, dicens. nos ſumus noſtrorum actuum Domini. Auguſtinus item nihil eſt tam in poteſtate voluntatis, quam ipſa voluntas. Et Pſalm. anima mea, (id eſt velle meum) in manibus meis ſemper. Quomodo autem duo hæc ſimul ſe compatiantur ſcilicet quòd euentus contingens, in Deo ſit infallibilis prouidentia, & in cœlis fatum (vt Plat. ſentit) id penitus difficilimum eſt. Et okam dicit quod adhuc nulli mortalium eſt reuelatum, & huius difficultatis ratio eſt : quia Deus non eadem qua nos menſuramus menſura, menſuratur, creaturarum quædam menſurantur

tempore (quæ ſcilicet principium habent & finem) aliæ æuo, quæ principium habent, ſed fine carent, vt Angeli animæ, & corpora cœleſtia &c. Deus autem menſuratur æternitate: quæ caret principio, & fine. Et quia hæc æternitas nobis eſt ignota, hinc eſt quod neſcimus menſuram noſtram, id eſt tempus cum æternitate conferre; conuenientiamq; cognoſcere, aut eorum ad inuicem differentiam: ęternitas enim eſt tota poſſeſsio ſimul. Et Solomon; Qui regnat in æternum creauit omnia ſimul, id eſt ęternaliter. Ideò erramus cum Dei opera menſuramus, ſecundum tempus, quia ęternitati tempus concordare neſcimus; Vnde Paulus quandoq; loquitur de æternitate, cum dicit. Ante ſecularia tempora: quæ eſt æternitas. quandoque de tempore cum dicit, dum tempus habemus &c: Dicamus ergo quod omnia ſunt à fœto ſupremo. hoc eſt à tota coordinatione ſephiroth; quæ dicuntur diſpoſitio diuina. Deus enim nobiſcum agit indutus ſeptem indumentis, ſeptem ſephiroth inferioribus: quibus mediãtibus Deus mundo prouidet: nam ſicut anima particularis viuificat corpus, quod informat, & omnia eius membra; & non modo viuificat corpus, ſed regit, & moderatur ipſum totum & omnes eius partes: ita Deus formato hoc mundo,

do, mediantibus ſeptem inferioribus ſephiroth, viuificat, & regit hanc machinam: quod confirmat Plat. dicens. nullus eſt locus Deo immortali incognitus. Et Orpheus: Dei perfectus oculus, atque Iouis mens, quæcunque apud nos fiunt, inſpicit omnia. Et iterum in Apollinis hymno. Tu habes mundi vniuerſi terminos: tibi curę eſt principium, atque finis: per te vireſcunt omnia: tu ſphęram totam cithara reſonante contemperas: omnia videlicet ſuauiſsimè, & harmonicè diſponens. Et Dauid. Quo ibo à ſpiritu tuo: & quo à facie tua fugiam? ſi aſcendero in cœlum, tu illic es, ſi deſcendero in infernum, ades. Et Chriſtus. Conſiderate volatilia cœli, quæ non ſerunt neque metunt; & pater cœleſtis paſcit illa. conſiderate lilia agri quomodo creſcunt &c. Angelicæ mentes Deo aſsiſtentes, & miniſtrantes bipartitæ dicuntur. Verum primo aſtant ſeptem ſpiritus, quibus credita eſt diſpenſatio totius regni cœleſtis & inferni: quod (vt aiunt) ſub orbe lunari eſt. Hi enim (vt dicunt ſecretiores Theologi) omnia regunt viciſsitudine quadam horarum, dierum, & annorum, ſicut de planetis, quibus præſunt dicitur ab Aſtrologis. Et de his loquitur Ioannes, dum ait. Et „ ſeptem lampades ardentes ante thronum

Dei

Dei: qui ſunt ſeptem Dei ſpiritus, per quos tanquam per pręcipuos miniſtros omnia diſtribuit, & ſuperiora quæ numero ternario gaudent; & ſunt ſuprema corona, Dei ſapientia, & intelligentia, & craſsiora, quæ numero quaternario: & quadrarijs elementis componuntur. Ex quibus ternario, & quaternario ſeptenarius ille completur. Sequitur Ioannes docens, quomodo pręſunt ſeptem ſphęris, & conſequenter his: quę ab ipſis diſponuntur, vnde dicit. Vidi in medio Throni & in medio ſeniorum, & quatuor animalium, Agnum ſtantem habentem cornua ſeptem, & oculos ſeptem: qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei, miſsi in omnem terram, ideſt virtute quocunq; extenſi vt oculis uideant omnia, & cornibus feriant cuncta ferienda. Stant enim in conſpectu Dei, vt audiant, & capeſſant omnia, quę iubet princeps. Mittuntur autem, & vadunt, aut virtute extenduntur, vt ea quę ſibi credita ſunt mandata exequantur per ſe, aut per inferiores miniſtros cœleſtis militię eorum regimini deſignatos. Qui vt docet Mercurius, ſtatim poſt mentem, & ſpiritus numen
„ fabricati ſunt. mens (inquit) Deus vtriuſ
„ que ſexus fœcunditate pleniſsimus vita,
„ & lux in verbo ſuo mentem alteram opi-
„ ficem fabricauit: qui quidem Deus, ignis,
atq;

„ atq; ſpiritus, numen eſt. ſeptem dein-
„ ceps fabricauit gubernatores, qui circu-
„ lis mundum ſenſibilem complectuntur:
„ quorum diſpoſitio fatum vocatur. Quod autem dicit alteram mentem opificem, quæ eſt ſpiritus ſanctus fabricatam: non ex cemento, & lapidibus intelligitur compoſita: ſed à patre, verboque producta. Eſt quoq; ipſe ſpiritus opifex, & artifex, omnem habens virtutem. poſt quem ſpiritum, inter ſpiritualia dicit fabricatos ſeptem illos gubernatores ſphærarum, & rerum diſpoſitores tanquam fidiſsimos miniſtros, cum multis millibus aliorum, vt docemur ex Danielis oraculo. nec iſti ſeptem adeò aſtant Deo, quin interdum aliqui mittantur: vt de Gabriele legimus miſſo ad Zachariam, Danielem & Ioſeph cuſtodiendos, vt aſſerunt Hebræi: ſed potiſsimè ad Mariam cum fœliciſsima legatione, ac mirando nuntio aduentantis verbi. miſſus quoque fuit Raphael ad Thobiam, & Michael in ſubſidium Gabrielis, ſicut in Daniele legimus. Sic & alij plerique de aſtantibus miſsi ſunt tanquàm legati de latere principis. Aſtantes autem ipſi, nec non miniſtrantes, in plura officia diſtributi ſunt. Diuiduntur enim in illos nouem ordines, vt declaraui in concluſionibus Mirandulæ, & ſupra. ſunt quoque principes ſeptuaginta

duo,

duo, præsidentes septuaginta duabus nationibus, de quibus vide in tractatu proprio. nec desunt quibus incumbant vt nos sedulo curent, & defendant, custodiant, ac etiam bella suscipiant, ne vnquam offendamus ad lapidem pedem nostrum, nisi quantum diuina iustitia decreuerit. sunt etiam qui minutissimis herbis, lapillis, omnibus inferioribus virtutem subministrant, & tandem qui omnigenum ministerium in maximum Dei donum conducant. Quorum officia multifaria omnem captum transcendunt humanum, & multo magis eorum numerus. Ideò nullus illum assignare præsumit, nisi qui ea, quæ decernit, penitus ignorat. Et hi omnes subditi sunt imperio septem supradictis spiritibus, à quibus fatum pendet. pendent igitur omnia à fato supremo scilicet omnium sephiroth, non à fato inferiori ordine rerum creatarum, vt quidam volunt omnia necessario euenire, arguentes. Omne contingens fore, vel non fore est à Deo determinate scitum: quodlibet igitur futurum contingens necessario est futurum, quia nisi esset necessario futurum, sequeretur, quòd Deus posset decipi. hoc modo, Deus scit Franciscum cras cursurum. Et Franciscus cras potest non currere. Deus igitur potest decipi. Prima hęc est necessaria. omne futurum, est futurum, quia idem prędicatur

dicatur de se ipso. Ergo est essentialis, & per consequens necessaria. omne igitur futurum, necessario est futurũ. Ad has obiectiones, Respondeo, & dico ꝙ omne futurum cõtingens est contingenter futurum, quia quicquid potest non esse futurũ, illud non est necessariò futurum, & illud quod non est necessario futurum, est contingenter futurum. Et dico ꝙ futurum contingens, est contingens, & quando est, & quando non est, potest esse. & quando est potest non esse. quando ego actualiter scribo, est contingens me scribere. nã possum non scribere, & quodlibet futurum contingens est huiusmodi. Ad prinam rationẽ dicitur, quod si ponatur futurum contingens à Deo scitum non euenire, tunc etiam ponetur in esse, quòd Deus nunquam sciuit ipsum esse futurum, & per consequens nisi eueniat, non decipitur. si enim res eueniat, Deus contingenter scit (nam potuit non scire si minus voluntas determinasset ipsum esse futurum) & semper scit ipsum futurum: si vero nunq̃ eueniat, non sciuit ipsum esse futurum. Ad secundam dicitur negando consequentiam, fit ibi fallacia dictionis arguendo à sensu composito ad sensum diuisum falsum, hæc enim in sensu composito est necessaria, sedens non currit; Ergo ista erit vera, sedentem necesse est, non currere: nam

prima vult, quod pro eodem instanti, pro quo sedens sedet, pro eodem non currat; sed secunda vult quòd pro alio instanti de necessitate non possit currere: & hoc falsum est; quia potest currere, similiter dicatur de futuro, quòd est futurum, pro illo tempore, & instanti pro quo est futurum; non tamen est necessario futurum est pro alio instanti; quia potest non fore.

D. Cab. Qui nouerit in Cabala mysterium portarum intelligentiæ, cognoscet mysterium magni Iobilei.

F. A. Quid sint portæ intelligentię, & quot sint alibi declaraui, & maxime super sepher Iecira Abrahæ. quantum attinet ad declarationem conclusionis huius; sciendum, quod portæ binah, siue intelligentiæ sunt quinquaginta, ad quem numerum peruenimus per quadratum septenarij numeri, videlicet septem inferiorum sephiroth, tribuendo vnicuique numerum septenarium: nam septies septem reddunt quadraginta nouem, & cum peruentum est ad numerum illum, vltra non fit processus, & tunc intramus in quinquagesimam portam, quæ finis est binah, & principium chocmah: quę quinquagesima porta, Mosi negata fuit, quia beatitudinis ianuam ingressus fuisset, eo quòd per ipsam, & in ipsa beamur; Hinc est quòd

Moſes per legem ſuam neminem potuit beare, quod confirmans Paulus ait, per legem nemo iuſtificatur, vt ſcilicet capaces fiant præmij beatitudinis. propter hoc Moſes in lege non niſi temporalia Iudæis pollicebatur: nec illi permiſſum eſt populum introducere in terram promiſsionis. Chriſtus vero veniens, ingreſſus eſt hanc portam quinquageſimam tribuendo peccatorum remiſsionem, ſicut ipſi attribuit illud Iſa. dictum. ſuper me ſpiritus ſanctus. eo quòd vnxerit me, ad prædicandum miſit me, vt prædicarem captiuis indulgentiam, & remiſsionem, & annum placabilem, id eſt iubilei qui erat quinquageſimus, in quo tuba canebant in Chriſti ſignum venturi in tali quinquageſimo anno, hoc eſt ingredi debebat portam hanc quinquageſimam nos beatificando. Ideo ipſe dicit. Ego veni vt vitam habeant, & habeant abundantius, quod Moſes facere non potuit. ideò Chriſtus poſt quinquageſimum diem, miſit ſpiritum ſanctum qui nobis ianuam cœli aperuit. In horum ſignum ſua in reſurrectione de purgatorio ſanctos Patres eduxit. Ita quòd Chriſtus eſt via, & ſcala, per quam ad Deum patrem aſcendimus, ideò de ſe ſermonem faciens, ait in Ioanne. Ego ſum via, nemo venit ad Patrem niſi per me. idcirco ſeſe patri Iahacob,

cob, in cuius domo regnare debebat, in figura ſcalæ oſtendit, per quam in Deum conſcenderet ipſius videntis electa poſteritas, ideò dictum eſt illi. benedicentur in te cunctę tribus terræ. Vnde Chriſtus qui nedum viam oſtendit; Sed ſe ipſum fecit viam, lumen, & ducatum omnibus præbens eam quoque tutelam habuit; vt dicat. Non rapiet quiſquam oues meas de manu mea; quas videlicet tanquam bonus paſtor cuſtodio. Hæc omnia confirmans Pau. ait. teneamus ſpei noſtræ firmam confeſsionem, habentes Pontificem magnum (qui penetrauit cœlos) Ieſum filium Dei; vt nos quoque illuc introduceret, & patri præſentaret. Dicamus igitur ad concluſionem, quod numerus ſeptenarius eſt numerus remiſsionis, quia eſt ſpiritus ſancti (à quo fit omnis remiſsio.) & ſeptenarij quadratus eſt numerus quadrageſimus nonus, & in quinquageſimo fiebat remiſsio iobelei; & præfigurabat veram remiſsionem debere fieri à Chriſto modo ſupradicto. Iobeleus, & remiſsio dabatur poſt quadratum ſeptenarij numeri. Et hoc quia ſic Deus voluit, cum Deus ordinem rebus indiderit, à quo nunquam niſi ex rerum neceſsitate diſcedit, quem ordinem in hoc proſequitur Deus, vnde canit eccleſia. Deno dierum circulo, quo lege fit re-

misſio. Alia fuit ratio quia iobeleus ab ea manſione egredietur Diuinæ Domus: quæ (vt ſecretiores Theologi docent) habet quinquaginta portas: qui numerus quinquagenarius integratur per quinarium complicatum per denarium, vel è conuerſo: qui denarius deſignatur per Iod literam Diuinitatis patri attributam: quinarius vero per he literam: quæ character eſt Spiritus ſancti. Vnde Pater miſericordiarum, & Spiritus ſanctus, per quem datur remiſsio, complicati ad inuicem faciunt numerum remiſsiuum, ſed ſimul iunctæ illę literæ. componunt Iah יה nomen quidem diuiniſsimum, & clementiſsimum, quod laudare iubemur ſemper quando dicimus, Halleluiah. & quamuis remiſsio impetrata ſit à filio, non tamen datur ab eo, niſi per ſpiritum ſanctum, vt ipſemet perhibet, allegans de ſe dictum fuiſſe ab Iſaia. ſpiritus Domini ſuper me, eo quòd vnxerit me, & miſerit, vt prædicarem captiuis indulgentiam, & annum placabilem domino. hinc & dare volens Apoſtolis authoritatem dimittendi peccata, inſufflauit in eos, dicens. Accipite ſpiritum ſanctum. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Iobeleus dicitur à verbo Iabal יבל, quod ſignificat affluxit. Vnde innuitur quòd tunc à cœlo fiebat omnigenus infſluxus, nedum remiſ

ſionis, & reſtitutionis (vt in Leuitico habetur) ſed omnium chariſmatum, & bonorum, & inſtitutio ſacramentorum Eccleſiæ non eſt declinare à facto Iobelei, vel diei remiſsionis, aut oraculi Ezechielis. ſed eſt reductio illorum influxuum ad piſcinam quandam, cuius quidem piſcinæ: claues datæ ſunt in manibus vicariorum Dei, & Chriſti, ſacerdotum videlicet: vt ipſi ad libitum indigentis & petentis, illam aperire poſſent. Et cauſa huius inſtituti iobelei fuit: quia ſicut quolibet anno renouatur terra, renouanturque religiones per capitula, & congregationes, & Reſpublicæ per nouos rectores Reipublicæ: Ita voluit Deus vt poſt quadratum ſeptenarij renouaretur Reſpublica illa Iſraelitica: præcipuè cum fauore illius anni quinquagenarij, in quò aperiebatur omnis influxus cœleſtis: Vndè vocabatur ille annus iobeleus, id eſt influxus. Quæ renouatio cum facta fuerit cum maximo effluxu tempore Chriſti, hinc fuit miſſus ipſe Chriſtus (vt ſupra dixi) ad prædicandum annum placabilem Domino. Et tunc Ioannes vidit ciuitatem ſanctam Ieruſalem nouam deſcendentem à cœlo, Vnde innuitur quòd renouationes fiunt in cœlo. Nam omnia, quæ hic mutantur illic præordinantur. Et tempore illius iobelei alleuiabatur populus: quia vt di-

vt dicit ſumma veritas: eadem menſura qua menſi fuerimus nos alijs: remetietur nobis. Vndè æquum erat, vt qui volebat remiſsionem, & alleuiationem à Deo, Populum ab eis oppreſſum alleuiarent. Hinc docemur à Christo, vt orantes dicamus patri. dimitte nobis, ſicut dimittimus alijs. Alleuiamur enim per remiſsionem ab illo onere de quo propheta canit. Quoniam iniquitates meæ, ſicut onus graue grauatę ſunt ſuper me. Ideo poſſeſsiones tempore iobelei priſtinis Dominis reſtituebantur: ne ſi alienatio fuiſſet perpetua, pauperes ſpe recuperandi amiſſa, triſtarentur. Sed potiſsima cauſa fuit, vt tunc ſua reſumerent: quando percepta remiſsione à Deo, mundati à culpa habebantur digni recuperare bona ſua: quę ex ſuis malis meritis amiſerant. Et etiam vt indicaretur quòd tempore maximi iobelei, completo videlicet curſu ſeptem millium annorum, omnia debeant reſtitui in priſtinum, meliori tamen ſorte: iuxta illud Iſaiæ: Ecce enim ego creo cœlos nouos, & terram nouam. Etiam in hoc iobeleo manumittebantur ſerui: quia ſicut ipſi liberandi erant à ſeruitute peccati & Diaboli: Sic æquum erat vt ipſi liberarent ſeruos ſuos: quam regulam declarauit Chriſtus ſeruandam eſſe in parabola hominis Regis: qui voluit ponere ratio-

nem cum ſeruis ſuis. Nam cum Dominus dimiſiſſet vni ſeruo decem millia talentorum, quia ipſe noluit poſteà dimittere conſeruo centum denarios, dictum ei fuit: Serue nequam, omne debitum dimiſi tibi quoniam rogaſti me, non ne, & te oportuit miſereri conſerui tui: ſicut & ego tui miſertus ſum? Vnde iratus Dominus tradidit illum tortoribus quoaduſque redderet vniuerſum debitum. Poſteà ſubintulit ipſe Chriſtus. ſic & pater meus cœleſtis faciet vobis niſi remiſeritis vnuſquiſque fatri ſuo de cordibus veſtris. Iuſſu ergo Dei, omnes ſerui hebręi manumittebantur, quia ſicut die ſeptimo interdictum fuit omne opus ſeruile: ſic anno ſeptimo interdicta fuit ſeruitus populi Dei. Annus enim ſeptimus eſt annus ſabbatarius. Dimitti autem debebat ſeruus cum ea veſte, vel panno, cum quo intrauerat ad ſeruiendum Domino ſuo, vt indicaretur quòd ſeruus non debebat deteriori conditione dimitti, quàm intrauerat, & quòd ſufficere debebat ſeruitium illius temporis decurſi. Vnde diſcere poſſumus, quòd Deus vult quòd exeamus à ſeruitute huius mundi ea ſorte, qua intrauimus, & tanto meliori, quanto maius eſt præmium, nobis in mercedem ſeruitutis noſtræ ab ipſo Deo dandum. ſeptimo etiam

anno indita eſt quies, non tantum hominibus, ſed humo, & cæteris rebus, quia Deus voluit nos ſibimet ipſi conformare, & continuos reddere: nec tantum nos, ſed omnia quæ in vſum noſtrum conceſſa ſunt. Hinc iubet nos quieſcere, non tantum die ſeptimo, ſed anno ſeptimo, & millenario ſeptimo: de quo Ioannes ſcribit, cum eadem ſit reuolutio dierum annorum, & millenariorum, vt manifeſtum eſt ijs qui diuinorum numerorum peritiam habent. Menſe etiam ſeptimo ordinatus fuit dies remiſsionis quem hebręi Iom hachepurim יום הכפורים vocant, quia proſequens Deus ſeptenarium numerum remiſsiuum elegit illum ſeptimum menſem, incipiendo à Martio, qui in lege dicitur primus in menſibus anni. Illo etiam menſe (vt multi ſapientes opinantur) Deus mundum fabricauit, vel ſaltem hominem, quem induxit in mundum fructibus iam maturis, & pro antiſtite ipſius mundi præparatis, vt haberet quibus aleretur. Quo menſe ordinatus eſt influxus illius bonitatis, quam Deus hominem tantis muneribus decoratũ creauit. Et ſic erit menſis ille primus menſis mundanus: legalis autem Martius primus, & September ſeptimus. Et remiſsio fuit die decima illius menſis, denotante patrem; cui attribui-

mus iod, & denarium, eo quod sit finis omnium: sicut denaruis est finis omnium numerorum. Mensis autem fuit septimus, & numerus quidem spiritus sancti. vt etiam ex numero mensis, & diei colligati intelligerentur. Pater misericordiam, & spiritus remissionis: vt largissimus esset influxus in quo Patre & spiritu sancto, filius (vt nuper diximus) obtinuit nobis fratribus suis remissionem perfectam, & continuè durantem: Iuxta illud Apostoli. Introiuit semel in sancta æterna redemptione inuenta.

D. Cab. Qui nouerit proprietatem Meridionalem in dextrali coordinatione, sciet cur omnis profectio Abraham semper sit versus Austrum.

F. A. Sicut in domo ęterni patris mansiones multę sunt, varij scilicet gradus gloriæ attributorum & proprietatum, à simili effectus illorum attributorum assequentes, varijs influxibus resplenduerunt. Isaac enim in timore splenduit: quem hebræi pachad dicunt: de quo Iahacob, horum sacramentorum magister, cum socero suo Laban verba faciens, ait. Nisi Deus patris mei Abraham, & timor patris mei Isaac affuisset mihi, forsitan nudum me dimisisses, & iterum iurauit Iahacob per timorem patris sui Isaac cui vim Deus præstiterat ab illo tribunali roboris

boris dicto ghebura, siue iustitia: sicut Patri Abrahæ ab austro misericordiæ, & pietatis. Abraham enim tetenderat tabernaculum suum ad meridiem clementiæ ghedulah: in quo valde profecerat. Iahacob autem horum duorum patrum medium tenuit, fixit enim suum tabernaculum in horum medio, tiphereth videlicet, quæ pulchritudo dicitur, & sol supramundanus. De quibus tabernaculis numeri 24. dicitur Quam pulchra sunt tentoria Iahacob & tentoria Israel; quod est dicere speciosus præ filiis hominum. Ab Aquilone igitur ghebura, iustitia, & terror procedit, à meridie ghedulah loco Abrahæ, clementia venit. & ideò sicut alij finem suum varijs meritis, & medijs acquirunt, vt martyres per martyrium, confessores per viam pœnitentiæ &c. Ita Abraham per viam misericordiæ finem suum adeptus est, & ideo de illo dicitur vt supra quod ad meridiem ghedulah clementiæ tentoria tendebat, & argentum erat eius thesaurus, non aurum, albedo enim pietatem prætendit, rubedo verò iudicium durum ghebura. Ad istam etiam plagam meridionalem Abrahæ, deambulasse Deus dicitur, dum volebat primo parenti succurrere, & eius operire peccatum; veste pellicea confecta ex illius Agni pelle; qui tulit peccata mundi. Ex illa

nanque regione omnia nobis tribuit charismata ibi enim natus. ibi docuit, ibi passus est, ibidemque surrexit: & inde ascendit ad illum vetum meridiem, & supremum templum, vnde dedit dona hominibus, & vnde omnis misericordia, gratia, & salus. dicit igitur conclusio (qui nouerit proprietatem meridionalem) quę (intellige) est proprietas clementiæ (sciet cur omnis profectio Abrahę semper sit versus Austrum.) In scriptura dicitur quod discedens Abraham à Lot ambulabat ad partem meridionalem siue australem; & insuper quòd tendebat tentoria ad Austrum, &c. Abraham proficiscebatur ad meridiem, & hoc quia tendebat tentoria in Valle Hebron, ad meridiem sita respectu Ierusalem. Et dicitur in Gen. Perrexitque Abraham vadens, & vltra proficiscens ad meridiem. Mysteriosus est sermo iste, innuens (vt exponunt secretiores Theologi) quòd profectus Abrahæ ad meridiem fuit Archetypi, locum videlicet pietatis, clementię, & gratiæ, studium. nempe præcipuum Abrahæ fuit in hospitandis aduenis, & peregrinis, & in alijs pijs operibus. Et tantæ erat pietatis, quòd nihil pro se reseruabat. quod innuitur in lege vbi dicitur, quòd ipse concessit vxorem suam Pharaoni, vt bene ei esset. nec in hoc peccauit, quinimò

nimò multum meruit, concedendo illi ſapientiam ſuam, quam in vxorem tenebat. (vt docet Origenes) hanc aliquando tenebat in vxorem, aliquando ſine peccato communicabat, vt ſororem; Iuxta illud ſapientis. Dic ſapientię; ſoror mea tu. Hinc propter ſcientiam communicatam, Ægyptij bene fecerunt ipſi Abrahæ. Verum quia Pharao impurus, & peccatis ſubditus erat, ſapientiam illam ſuſtinere nequiens flagellatus fuit. Nã (teſte ſapiente) ſapientia non habitat in corpore ſubdito peccatis. hoc igitur peccatum fuit ex parte Pharaonis, non Abrahę, qui non defuit in impartiendo ei bona ſpiritualia, nec erga alium aliquem defecit in huiuſmodi erogatione. Vnde de illo dicitur in Gen. Quòd Abraham dedit decimas de kol כל (vt Hebræi dicunt) id eſt de omnibus rebus à ſe poſſeſsis. vel (vt dicunt Cabaliſtæ) de menſura illa decima, omnium bonorum pleniſſima. continet nempe quinquaginta gradus intelligentiæ, ad numerum kol כל, quam poſsidebat in hæreditatem (vt zohar teſtatur, & porta lucis) vnde in ſignum pietatis, expendebat ſolummodo argentum, vt dicitur in Gen. Scriptura enim ſtuduit innuere locum vnde erat Abraham, & vnde influxum continuè hauriebat. A meridie enim influxum hauriebat, vnde argentum ve-

nit, prætendunt enim in albedinem clementiæ alba. Vnde etiam emit ſpeluncam duplicem argento, & noluit illam gratis habere; quia noluit locum illum eſſe communem (vt ſibi offerebant filij Chet) ne locus ille profanaretur cadaueribus incircunciſorum. Voluit etiam locum illum vendicare iure emptionis, ne quis præſumeret amouere corpora patrum à loco illo tanquam non ſuo. Sed potiſsima cauſa illius emptionis cum argento fuit: quia argentum, à meridie prouenit ghedulah. Vnde Abraham fauorem omnem: vt omnibus benè accommodatis, & diſpoſitis ſecundum propria ſymbola, & conuenientiam à loco ſuſciperet, non tantùm pro corporibus, ſed pro animabus ipſorum corporum. Oſtenditur eius pietas in orando pro Sodomæis: vnde cernens non poſſe placare denarium illum ſupramundanum, in eorum vindictam prouocatum, reuerſus eſt ipſe Abraham ad domum ſuam in Hæbron. Nam in textu dicitur Reuerſus eſt Abraham ad locum ſuum, completo ſcilicet colloquio cum Deo habito. explorauerat pater Abraham multa loca eſſe in domo patris æterni. Hinc nunc ad vnum, nunc ad alium locum recurrebat: vt nomina quibus ipſe vtebatur indicant apud ſapientes. Et hoc vt ab aliquo ipſorum locorum veniam (ſi fieri

poſ-

poſſet) impetrare. Sicut è conuerſo Belaham tentauit diuerſa loca illis contraria, offerens in quolibet illorum ſacrificium: vt ab aliquo ipſorum impetraret vim malè dicendi Iſrael: reuerſus eſt igitur ad locum ſuum meridionalem videlicet ghedulah: vbi tentoria figere conſueuerat. Vnde etiam vt melius proficerent in illo loco meridiolani ſupradicto deſcendit in Ægyptum, non propter famem corporalem tantum, vt putant quidam, ſed quia non erat ſtabilita virtus præſidens ſuper Abraham in terra Canaham. Hinc fames, & penuria aderat rerum diuinarum: quia influxus cœleſtis tunc erat ibi modicus. Et ſi Ægyptus in ſacra ſcriptura ferè innuat aliquid mali, quia populo Dei ſemper infeſta fuit, habebat tamen aliquid bonitatis cœleſtis in ſe, iuxta illud. Sicut paradiſus Domini, & ſicut Ægyptus venientibus in ſegor. Illuc enim intrat, & deſcendit fluuius à parte dextra exiens, ideſt à meridie, cui nomen erat Gion, nunc autē Nilus. vt igitur Abraham ſuſciperet quicquid bonitatis in Ægypto reperiebatur, illuc progreſſus eſt. Vnde propter meritum iſtius domus, & manſionis, & pietatis, promiſit Deus Abrahæ terram illam fœlicem poſt ſeparationem à Lot. indignus Lot erat hæreditate illa Diuina. Nam ſicut erat alienus à Deo, ita elegit pro

habitaculo regionem illam pentapolitanam; habitatores illos pessimos non abhorrens: sed adherens tantummodo fertilitati rerum temporalium, diuinis, & sanctis omnino posthabitis. nec propter opera vel merita sua per Angelum ereptus fuit ab incendio regionis illius: sed propter Abrahã, vt habetur clarè in textu, vbi dicitur, cum subuerteret Dominus ciuitates regionis illius, recordatus est Abrahæ, & liberauit Lot de subuersione: & quod talis fuerit Lot, indicatur ex contentione facta inter pastores ipsius Lot, & Abrahæ. illi enim (vt Elzohar asserit) cultum gentlum regionis illius sequi volebant. Hinc non sine causa scriptum est, Chananęus tunc erat in terra illa. Abrahę vero præcepit Deus, vt iret in terram Chanaham; quia illa erat danda semini eius: terra (inquam) quæ fluere debebat lac & mel: sapientiam videlicet Euangelicam, & visionem propheticam, & vbi tanquam in loco Deo peculiari templum ędificandum erat. Data fuit tamen prius in manu impij Chanaham, quia decretum fuit (secundum Elzohar) vt ipse Abraham, Israel, & populus omnis, ac Moses descenderent in Ægyptum antequam lex daretur: cui decreto Christus quoq; subiacuit, qui primos annos in Ægypto transegit. Et hoc ea lege de qua Pau. ait. Omnia conclusit Deus

in incredulitate, aut ſub peccato, vt omnibus miſereatur. Sicut ergo elegerat Abraham in patrem fidei, & renouandæ familiæ, ita inde iuſsit illi, vt exiret de terra ſua, & cognatione ſua; quia propinqui omnes, & con ciues idolatræ erant. Ideò documentum dedit poſteris: ijs maximè qui bonarum ſunt mentium, quibus dicitur. Audi filia, & obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui: & concupiſcet Rex decorem tuum. Et decor Abrahæ tantum Deo placuit: qui nedum fecit illum patrem illius familiæ electæ ſecundum carnem, quinetiam ſecundum ſpiritũ. Vnde poſt benedictionem illi datam, dixit Deus. Erisq; benedictus, vt confirmaretur benedictio iam data. Veritas literę tamen habet. & eris benedictio; ideò alia exquirenda eſt ratio: quæ eſt, quia non tantum ei dedit Deus benedictionem, ſed fontem (ſi dicere fas eſt) benedictionis: à quo videlicet procederet benedictio alijs communicanda, cum in ipſo benedicendę eſſent omnes gentes terræ. Quod in Chriſto (vt Doctores Chriſtiani non ineptè dicunt) verificatum eſt. Vnde nec alieni à veritate Hebræi aſſerunt datam fuiſſe Abrahę piſcinam benedictionis. Piſcina enim & benedictio apud Hebræos eodem dicuntur vocabulo. Et quod in eo fuerit aliqua benedictio alijs communicanda:

non

non tantum habemus ab Hebræis ; qui ex multis scripturæ locis id colligunt : sed ex doctrina Christi, qui ait, Salus domui huic facta est: eo quòd & ipse sic filius Abrahæ, Hinc & pater fidei dictus est ; & Princeps sinus loci saluandorum ; & in signum huius eduxit Dominus Abraham foras, idest extra terminos naturalis ordinis, & extra carnem : vt ostenderet ei stellas illas, de quibus Apostolus ait. Sicut stella differt à stella in claritate : sic sanctus à sancto in gloria, Nam sicut stellæ præsunt, & influunt corporibus inferioribus : sic Angeli custodes, ijs quibus prẹsunt. Angeli autem stellæ sunt : de quibus propheta. Qui numerat multitudinem stellarum : & omnibus eis nomina vocat, Quos Angelos vt ipse Abraham videret, Deus eleuauit ipsum : vt videlicet inde cognosceret innumerabilem multitudinem ab eis custodiendam. Hinc dixit ei Deus, numera stellas si potes, sic enim erit semen tuum : secundum Talmudistas, Angelorum summa est trecenta millium millia & vnum, sexcenta, & quinquaginta quinque millia centum, & septuaginta duo, vt clarius declaraui in pręcedentibus conclusionibus, Sed hęc est mæra imaginatio. Alij autem, existimant numerum supputasse ex verbis Danielis, qui ait millia millium ministrabant ei, & decies

centena millia aſsiſtebant ei, & ſic erunt in computo iam facto duo millia millium. quamuis quidam de noſtris Theologis auſi ſint aſſerere, quod decies centena millia plura ſunt quam millia millium, quod ex imperitia ſupputationum procedit. à nemine tandem iſtorum poſſumus habere verum computum Angelorum, aut Beatorum. nam primi præſupponunt quod probare tenentur; & hi, qui innituntur Danieli haberent quidem computum iam factum ſi declaraſſet propheta, quod non ſunt plures Angeli quam illa duo millia millium. Hinc prudenter, & doctè inquit Hieronymus: non ex hoc Danielis dicto numerus miniſtrorum Dei diffinitus eſt, ſed maiorem multitudinem humanus ſermo explicare nequiuit. iſta enim ſunt millia, & iſtę ſunt myriades, de quibus vt in Pſal. dicitur, currus Dei decem millibus multiplex millia lętantium, Dominus in eis. Nobis igitur utrorunque numerus Angelorum & ſanctorum relinquitur incognitus: notus autem illi cui pluuię guttæ, & arenę puluiſculi agniti ſunt. ſi ergo Angelorum numerus eſt nobis ignotus, etiam & electorum numerus relinquitur nobis incognitus, cum ſecundum aliquos Doctores vtrorunq; erit æqualis numerus, iuxta illud Pſalmographi. Conſtituiſti terminos

nos (id est numerum determinatum) populorum (id est omnium gentium. iuxta numerum filiorum (id est Angelorum) qui sic dicuntur, quia ad esse ipsorum non concurrerunt causę secundę, sed solus Deus. Restat igitur ꝙ Abraham fuerit Beracha siue benedictionis fons electorum, tam multorum ꝙ eorum ignoratur numerus. Et nedum Abraham profuit bonis & electis, sed etiam reprobis, orando enim pro Ismahele profuit illi. Vnde scriptum est. Etiam pro Ismahele exaudiui te: & profuit illi quamuis iam expulsus fuerat cum matre. Ideò sequitur in textu. Ecce benedicam ei, & augebo, & multiplicabo eum valde: Duodecim Duces generabit: & faciam illum crescere in gentem magnam. semper enim Deus duplici familia oblectatus est, superiori videlicet, & inferiori, spirituali & animali, libera & seruili: de qua Paulus apertè cum Galatis tractat. Hinc nati sunt duodecim principes inferiores, iuxta duodecim Principes superiores, & turba magna inferior contra turbam magnam superiorem. Dolent autem Hebræi de oratione ista nimis efficaci facta ab Abraham pro Ismahelitis vel Agarenis; qui temporibus nostris Turcæ, & Arabes, seu Mahumetici dicuntur. Nam adeò prosperantur, vt filijs liberæ, quodammodo præualeant.

Id tamen (vt reor) diuina diſpoſitione factum eſt: vt habeat Deus in domo ſua ſeruilem & liberam familiam copioſam, vt Paulus innuere videtur. Hęc plura, & alia contigerunt Abrahæ propter pietatem & miſericordiam qua pollebat, ideo bene dicit concluſio, quòd omnis profectio Abrahæ ſemper fuit verſus Auſtrum ſcilicet clementiæ ghedulah: Cœli nempe fauent nobis quòd ſcire poſſumus, ſi amotis impedimentis, ſubmittamus nos ſpiritui noſtro duci, qui nobis non reſiſtentibus demonſtrabit iter quo cœlum, quo genius, immo quo ſummus moderator conducit; quod facere nequiuerunt Porphyrius, Firmicus, & alij quam plures profeſſores huius artis. Et hoc ſi attendamus ad ea quæ à primæua ætate nullis contagiis diſtracta, nobis ſuggerit, aut quod expurgata mente ab inani cura, & obliquo affectu natura ipſa vel ſpiritu dictante ſentimus, fingimus, imitamur, & tentamus frequentius: ſentit enim natura, & ſpiritus noſter cœli inſtinctum, atq; fauorem: ſentit & genij proprij ſuadelas: qui vnicuique datus eſt à principio ſuæ natiuitatis: vt non modo Platonici ſimul, cum Doctoribus noſtris aſſerunt, ſed infallibilis veritas ſermone profitetur aperto, dum ait. Angeli eorum ſemper vident faciem patris.

Hi enim ſuis clientulis fauent, illos ducentes quo & eius ſidus inclinat, ſemper vtiq; ad bonum. Non enim ducem reuera itineris habet: qui per deuia ambulat: Quoniam ſtellarum atque cuſtodum noſtrorum officium eſt ſemper rectè agere; atque ad recta, & excellentiora diſponere. Cœli igitur, & genij, vel Angeli proprij (vt catholicè loquamur) ſuaſionibus aſſentiens, aget proſperè, & viuet fœlix, alioquin cœlum ſentiet, & ſuper inimicos, & aduerſam fortunam, (quę Diuinorum ducatus eſt) in omnibus peragendis, alienus effectus à patronis cœleſtibus. Quo tendit illud adagium; Nihil agas inuita Minerua. Et ſi (vt Zoroaſtes docet) tantum non eſt augendum, minus immutandum. Nam ſi ingenio tuo contra genium, & cœleſtium vocem continue inuitantem, aliquid profeſſus fueris: fruſtra laborabis dicente Propheta. Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem &c. quærentibus igitur rerum agendarum fauſtum omen, omni diligentia obſeruandum eſt: vt audiamus quid in nobis loquatur Deus, & quid ſuggerat ſpiritus, & ad quid ſidus faueat. locus enim multum confert, quia non ab re dixit Deus ad Abraham, vel angelus eius cuſtos. Veni in terram: quam monſtrauero tibi, & faciam te in gentem magnam & benedicam tibi, & magnifi-

gnificabo nomen tuum. Et paulo post sequitur. Perrexit Abraham vadens, & vltra progrediens, aut proficiscens ad meridiem scilicet archetypum. Nam cœli materiales vim suscipiunt à cœlis archetypis, ibi enim Abraham fauorem super cœlestium amplissimum sensit, sicut Isahac in aquilone ghebura, de quo dicitur: venit Isahac in gerarah parte aquilonari, vbi seminauit, & collegit centuplum, aut centum hordeos, vt habet veritas literæ, & locupletatus est hic: & effectus est diues valde, quid autem significet ordeum, & locus ille, & diuitiæ illæ, magni sunt sacramenti alibi declarandi: Dauid elegit Sion in peculiare habitaculum dicens: Hæc requies mea in seculum seculi, hic habitabo quoniam elegi eam. in hac igitur mansione profecit Dauid sicut Abraham profecit in Austro.

D. Cab. Nisi nomini Abraham litera he ה addita fuisset, Abraham non generasset.

F. A. Hominum mutatio multa operatur. Iahacob enim qui supplantans dictus fuerat, effectus fuit Princeps, & hæres DEI. In Genesi legitur quòd angelus dixit Iahacob. Vocabitur nomen tuum Israel. Non sic eum vocauit angelus, sed prænunciauit, quod futurum erat: quod videlicet à DEO vocari debebat Israel: sicut habetur infra cap.

35. Vnde Israel (secundum Hieronymum) interpretatur videns Deum: interpretatur etiam princeps aut hæres Dei à Iaras ירש quod est hæreditauit, & El אל Deus. Nec enim in verbo videns quod est, ראו roe & in verbo Deus, quod est אל El, reperitur scin litera ש. Huius igitur nominis sensus est: quòd ipse fuit princeps & militans pro Deo, & hęres Dei. Hinc dixit Christus. non veni nisi ad oues: quę perierũt domus Israel, id est Domus militantis pro Deo. iuxta illud Apostoli, non coronabitur nisi qui legitimè certauerit. aut domus eorũ: qui cõstituti sunt hęredes Dei. De quibus idem Apostolus. Hæredes quidẽ Dei: cohæredes autem Christi. venit. n. redemptor pro omnibus ijs, qui DEO militant, & qui hęredes cœli constituti sunt. Mutationẽ nominis multũ prodesse non modo catholici approbant consuetudine, sed Astronomi, & Platonici geminos docẽt esse genios: alteros quidem natiuitatis: alteros autẽ professionis, & hos quippe aliquãdo concordes: aliquando verò ad diuersa deducentes. Si igitur concordẽ quis habuerit, geminum sentiet profectũ, & augumentũ naturę videlicet, & ꝓfessionis: si verò dispares fuerint, melius aliquãdo fomentũ percipiet professionis, quã natiuitatis. Nã in mutatione professionis mutatur vis naturę, imo superari penitus, & vinci de-

ci debet, ſicuti inſallibilis veritas docet ſuis nouis profeſſoribus loquens: Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud, qui ſcilicet profeſsione naturam ſuperare ſtudent. Quantum verò proſit nominis mutatio, à ſcriptura quæ non fallit, nec aliquid ſine cauſa admittit, diſcere poſſumus. In qua habetur quòd dum ſummus moderator vellet magnificare amicum ſuum Abraham, immutauit nomen, & iuſsit eum vocari Abraham non ſine magno myſterio, vt continuò dicam. Sic dum vellet conſtituere nepotem eius Iahacob principem totius familiæ electæ, iuſsit eum vocari Iſrael, ideſt principantem Dei, aut principatum Dei ducens (vt dixi) Simon, ſiue Simeon, id eſt obediens dictus eſt: vocatus fuit Cephas, id eſt petra: quia tenere debebat petræ vicem, & fundamenti ſummi Chriſti Ieſu: cepha enim petram ſignificat, & eſt vocabulum Caldaicum, vel tractum à ceph hebræo vocabulo, quod petram ſignificat. Et hæc omnia tam prima, quàm ſecunda multa operantur: alioquin non dixiſſet Apoſtolus, quòd Pater æternus dedit filio ſuo nomen, quod eſt ſuper omne nomen: in quo flectitur omne genu, Cœleſtium, Terreſtrium, & Infernorum, nec de hoc nomine verba faciens

Petrus dixiſſet. Non eſt aliud nomen ſub cœlo datum hominibus; In quo oporteat nos ſaluos fieri. nec dixiſſet Chriſtus. In nomine meo Dæmonia eijcient: linguis loquentur nouis, &c. ad rem; Etiam Deus non mutaſſet nomen Abrahę, & Sarræ, niſi quis inde ſecutus fuiſſet effectus. addidit enim Abrahæ vnum he ה quod quinque importat, denotans quòd eius numerus augebatur vſque ad ducenta, & quadraginta octo, vt plenè obſeruare poſſet ducenta, & quadraginta octo præcepta affirmatiua. Abraham primò ſine he ה, aſpiratione אברם ſcribebatur: quod nomen leuat ducenta quadraginta tres; ſed addita aſpiratione ה h, אברהם leuat ducenta quadraginta octo. qui numerus præceptis affirmatiuis, & oſsibus humani corporis correſpondet. Ideò poſt talē additionem ה numeri quinarij dixit Deus Abrahæ. Ambula corā me; & eſto perfectus, eo quod. ſ. addidi nomini tuo quinarium ſignatum per additionem ה h: per quam ad numerum præceptorum affirmantium prouenſti: Idcirco eſto perfectus, obſeruando videlicet præcepta affirmatiua; nam Deus addendo numerum, addidit & perfectionem, & robur, per quod affirmatiua adimplere poterat præcepta. Alia ratione Abrahæ nomen mutatum eſt per additionem ה h; hoc

enim nomen Abraham tantum. in numeris leuat, quantum hæ duę dictiones ſcilicet Bar Adam; quod ſignificat renouauit, ſiue creauit Dominus hominem: quia formando Deus Euam, ex Adamo coſtam accepit, & tribuit mulieri, & ſic vir perfectus non remanſit vſque ad Abraham. hominis igitur perfectio, in mulieris productione abſtracta, Abrahę reddita fuit, & ſic Abraham omnibus ſe præcedentibus hominibus perfectior extitit, & à שרי Sarrai inde omnes mulieres imperfectiores remanſere. nam Abrahæ vxor antea Sarrai vocabatur. quod nomen in fine Iod poſsidet, & decem importat, & illud in duo ה h: diuiſit; quarum ſingula quinque importat: & vnam tribuit Sarrah, alteram Abrahæ: & ſignum fuit reſtitutionis dignitatis ab Adamo ablatæ, & ſibi Abrahæ tributę. & ab illa hora Sarrah vocauit Abraham Dominum ſuum: cognouit enim quòd ſicut Deus ſuum diminuerat nomen, & viri ſui nomen auxerat; ita ab ipſa abſtulerat aliquam perfectionem; quam viro ſuo Deus contulerat. & ſic à Sarrah inde partem perfectionis ſuæ mulieres amiſere. Mutauit igitur nomen Sarrai שרי & appellauit illam Sarrah שרה. & hoc vt pars animalis & fœminea diminueretur in viribus, & ſpiritualis augeretur. Et vt etiam ablata litera Co-

ronæ excelſæ à muliere, daretur ei litera, & character ſpiritus vitalis, vt viueret, non cum Corona ſed ſub Dominio, iuxta illud Petri: Sarrah obediebat Abrahæ Dominum eum vocans. Alia ratio huius literæ ה h: nomini Abrahę additę, eſt, quia hęc litera ה h: eſt ſigillum intelligentię, & ſignificabat, quod ſicut Deus Abrahę intelligentię ſigillum ſibi conceſſerat; ita à ſimili, & portarũ intelligentiæ notitiam ſibi tribuerat: nam ſi hęc notitia Moſi permiſſa fuit; multo magis Abrahę. Alexander.n. & Eupolemon de Abrahamo ſic ponunt Abraham ſanctitate, & ſapientia omniũ præſtantiſsimus Chaldæos primum, deinde Phænices, demum Ægyptios ſacerdotes aſtrologiam, & Diuina docuit. cæterum Iulius Firmicus aſtronomus ipſum ob mirabilẽ ſapientiam diuinum appellat. qui vnicum rerũ opificem non ſine vitæ diſcrimine teſtatus eſt; & omnia quæ ad ſapientiam, cultumque diuinum ſpectant, ſeruauit, & poſteros docuit. Et primus fuit qui de huiuſmodi quinquaginta ianuis intelligentiæ tractarit, vt patet in ſepher iecira ipſius Abrahæ: quem librum expoſui. Alia ratio huius literæ ה h. aditionis eſt, quia ſicut in creatis eſt maſculus & fæmina; ita & in Diuinis, Pater eſt thiphereth, mater verò, eſt malchuth, & quęlibet ſephirah reſpectu ſuæ ſuperioris, dicitur mater

ter; respectu inferioris dicitur pater. binah igitur est mater respectu chocmah: ideo vocatur mater filiorum: à binah enim filij proueniunt. de qua in Deut. dicitur. Quando ad nidum auium peruentus fueris, accipe pullos, & eorum matrem ne tangas, quia prima mater est binah; secunda est malchut. à binah oẽs animæ scaturiunt. Quoniam igitur ה h. (vt supra patuit) est sigillum binah: Idcirco Deus volens Abraham multarum gentium patrẽ constituere, voluit ipsum conformem binah fieri, concedendo illi eius sigillũ: Et idcirco sicut binah est fons animarum omnium, ita Abraham est fons & principium electæ familiæ saluandæ videlicet; & per hoc Beracha vocatus est. i. benedictio, quia per semen ipsius oẽs terrę tribus benedictę fuere. Quod semen fuit Christus, à quo regeneramur, & spiritu sancto, qui vinculum, & nexus amoris dicitur. Regeneramur itaq; à filio & spiritu sancto in baptismo, quorũ regenerãtiũ signa, & sacramenta sunt aqua, verba, & illa: quę extrinsecus fiunt. Quę non tantum affectum, & gratiam donandam significant, sed ipsum regenerantem, tanquam veram efficientem causam. sed quia in generatione naturali exquiritur pater generans semen quod infunditur, & mater illum suscipiens, ita hic in proposito. Pater est Christus regenerans, semen est aqua,

id est

id eſt virtus aquea ipſius, & efficax ſeminarium; mater ſuſcipiens ſemen illud, non dicam Eccleſiam formatam de latere Chriſti dormientis in Cruce, quia Eccleſia nihil eſt, niſi relatiuum quoddam aggregationis, aut fidelis ipſi congregati: Qui cum generentur non poſſunt eſſe mater generans, & filij generati: Et minus congregatio, aut relatiuum illud poteſt concipere, & generare homines ſecundum carnem, vel ſpiritum. Sicut ergo Pater æternus in generatione illa æterna, & Diuina filij non exegit matrem, neque in primæua mundi & hominis genitura, ita nec Chriſtus qui regenerat nos genitura ſpirituali, & Diuina, exigit matrem. Et ſi dicatur, quod voce omnium, Eccleſia vocitatur coniux Chriſti, & mater noſtra: dicendum primum matrimonium, quod fuit inter Adam & Euam, magnum quidem ſacramentum (inquit Paulus) Chriſti & Eccleſiæ, docet nos, quomodo hæc ſe habeant. Ibi enim mulier primo fuit filia, quia Accepta de coſta Adæ, tanquam de materia magno myſterio ipſi proportionata: poſtea vero vxor ex coſta eius formata genuit filios. Sic & prima Chriſti coniux eccleſia, id eſt collectio Apoſtolorum fuit formata in vitam ſpiritualem ex coſta, id eſt ex dilectione cordiali: quia eos elegit de mundo: vel ex aqua gratię,

& virtutis baptiſmalis fluentis ex latere, & ex corde Chriſti, maximè dormientis in cruce. Quibus formatis, & inſtructis, miſit per omnes Mundi plagas grauidos ſemine, & virtute generandi filios, quam eis præbuit, dum ait. Euntes in Mundum vniuerſum, prædicate euangelium omni creaturę, baptizantes eos in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti. Et ſic ex eis, quos primo fundamenta, & Eccleſiam, & conſequenter matrem conſtituerat omnium generandorum; cęteros filios eccleſiæ genuit. Ideo Apoſtolus tanquam tenera mater Galatis blandiens, ait: Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in nobis: vt ſcilicet & vos ab ipſo Chriſto grauidi gratia, & virtute alios parturite, Iterum dicit: iuxta illud Chriſti, Oportet vos naſci denuo: Fuere igitur Apoſtoli prima fundamenta ædificij ſpiritualis, fuere & primogeniti, & prima Chriſti ſponſa: ex qua regenerati ſumus. nec enim legitur, quod Chriſtus aliquem baptizauerit, niſi Ioannem. Baptizauit (vt creditur) etiam Apoſtolos, & matrem, in quos, & omnes vicem ipſorum tenentes infundit ſeminariam virtutem, qua per vniuerſum mundum cęteros de nouo parturirent: præſtantes regenerationis, & noui partus ſenſibilia ſigna, quæ ſacramenta dicuntur, ideſt ſacra-

rum

rum rerum ſigna : & eorum quæ non videntur : Et virtus horum ſacramentorum eſt à generante nos patre noſtro filio Dei : ſicut ſemen habet vim à quo decidit. ſed continetur, aut ſignatur hæc virtus per extrinſeca, & ſenſibilia ſigna, vt percipere poſsint aliqualiter myſterium ij, qui tantummodo ſenſibus exercitatis ad diſcretionem rerum ſpiritualium accedere nequeunt. Quia igitur filius Dei, & Redemptor noſter ſic nos regenerat, tanquam verus pater: ideo vaticinando Iſaias ipſum alloquitur, dicens. Tu autem pater noſter, Redemptor noſter, à ſeculo nomen tuum. De quo paruulo loquens iterum ait. Et vocabitur Deus fortis, princeps pacis, & pater futuri ſeculi, id eſt, pater regenerationis, per quã frui poſſemus futuro ſeculo. Cũ ſemine.n.ſuo, quod ab ipſo decidit, deſcendunt & ſpiritus genitiui, qui ſapiunt naturã diuinã, & faciunt regeneratos capaces futuri ſeculi. ה igitur litera Abrahę nomini addita fuit: vt ſignũ eſſet: quod Deus Abrahę vim generatiuã tribuiſſet generãdi filiũ: à quo ſucceſsiue deueniretur ad vnũ indiuiduũ, quod eſſet Beracha.i.fons benedictionis, & ſalutis: ſic quod poſſent oẽs in eo regenerari, & ſaluari. Antea.n. ſterilis erat: quam generandi poteſtatem accepit, à menſura, ſiue manſione in Archetypo: quę dicitur binah, ſeu mater filiorum :

rum: cuius binah sigillum est litera he ה: quæ concessa fuit Abraham in eius nomine, vt supra dixi.

P. M. Omnes ante Mosen prophetarunt per ceruam vnicornem.

F. A. Qui corporeis sensibus addicti sunt, his naturæ arcana, Deiq; sacramenta sub velaminibus, & sensibilibus signis data sunt. eis autem, qui sensus exercitatos, interiores videlicet, ad boni discretionem, & mali veri, item, & falsi habent, cibus solidus datur: & communicatur sapientia: quæ perfectorum est: & eorum, qui sensuum exteriorum vsum in meliorem commutarunt, interioribus vtentes. Duo enim sunt intelligendi modi, à naturalibus distincti. Primus est visio, & clarus rerum Diuinarum contuitus, & contactus: alter est æquatio ipsius veritatis, ab alijs expositæ cum intellectu nostro. Ad primum gradum deuenerat Moses circa naturalia: iuxta id, quod promiserat Dominus, dicens. Videbis posteriora mea, creaturas videlicet: quę respectu opificis sunt posteriora: quia sunt eius effectus: ideo Logici arguendo à posteriori, dicuntur arguere ab effectu. de quo modo cognoscendi loquens sapientia, dixit. A magnitudine speciei, & creaturæ, poterit cognoscere horum creatorem, & si Moses rerum naturam

non

non cognouisset, neq; arcam, neq; tabernaculum ordinare sciuisset in quo triplicis mundi, archetypi videlicet, & maioris mundi, ac minoris perfecta continebatur imago: neque ritè applicuisset sacrificia &c. Diuina etiam illi patefecit Deus, dicens. Ostendam tibi omne bonum. Et sic Moses moriens morte iustorum preciosa, videbat illud summum, & omne bonum: hac enim morte moriebantur prophetę, Deique amici omnes, cum ingrediebantur ad illa Dei penetralia. Alter autem cognoscendi modum, per ęquatam videlicet veritatem cum intellectu, fuit Mosi notus melius, quàm Aristoteli, & cæteris philosophis: clarè namq; percepit veritatem, è medulla sacrarum literarum emanantem; & ablato velamine, & reuelata facie perspexit ea, quæ vulgo, & sapientibus mundi abscondita erant, & tanta certitudine vt omnis ab eo sit amota perplexitas. De huiuscemodi scientia Mosis scribens Eupolemon, dicit. Mosem fuisse Inachi, & Ogygis temporibus, & hunc sapientem, qui omnem suos docuit sapientiam. Ad propositum conclusionis dico, quòd lux Diuina omnem intelligentiam superat adeò, vt ibi ea contineantur, quæ latent etiam summum Seraphinum, vt inquit Dionysius. In Angelicis autem mentibus diffusa, & secundum intel-

ligen-

ligentiæ ſuſcipientis naturam ſuſcepta in varios diuiditur gradus, omnes nihilominus ſupra rationis terminos, in hominem autem dimiſſa rationalis eſt. & hæc multiplex pro largientis libito, qui ſingulis, prout vult, diuidit: Iſte largiens ante Moſem fuit malchut: nam prophetæ quoque Moſen præcedentes (vt fuere antiqui patres) prophetarunt in malchut, quaſi ab alijs ſephirot ſuperioribus non receperint: niſi à malchut, aliarum ſephirot notitiam minimè habuerunt. Alij dicunt, quod Abraham, qui Moſen præceſsit, omnium dimenſionum notitiam habuit. primus enim fuit, qui de hac materia ſephirot ſeu dimenſionum tractarit, & librum de coordinatione harum dimenſionum reliquit, immo Enoch eo antiquior de his multa in ſcriptis reliquit. De illo enim dicit Beroſus, non tantum Hebræorum, ſed Chaldęorum, ac Scytharum monumenta tradunt Noe luminis Diuini plenum extitiſſe. Futuram inundationem prædixit: arcam fabricatus eſt, hominum & iumentorum ſeruauit ſemen. Armenos poſtea, & Scythas, deinde Italos (quos ſcriptura chitimos appellat (naturæ ſecreta, Theologiam, ſacroſq; ritus docuit, & curſus aſtrorum, annoſque ad motum ſolis, & menſes pro lunæ curſu diſtinxit. primi hanc ſoluunt obiectionem, dicentes

dicentes: quod isti patres pr̨edicti hoc priuilegium sunt consecuti, vt talem habuerint notitiam. De communi tamen lege hoc omnibus non est admissum. ratio, quia tabernaculum, in quo Deus requiem trahebat ante Christi aduentum, in triplici fuit differentia: primum fuit vagum: Deus enim nullum habebat determinatum locum: in quo homines conuenire possent ad Deum consulendum, & ad gratiam impetrandam, sed modo hunc locum, modo illum ad exorandum eligebant, immo quandoq; particulares homines templum Dei extruebant: vnde de Abraham dicitur, quod Deus quieuit super eum, dicit enim textus. Elohim quieuit super caput Abraham, tanquam (intellige) super eius tabernaculum vagum, quia Deus inhæret creaturę, sicut lapis super terræ superficiem, mobiliter videlicet, ideo locus Dei indeterminatus erat. Mosis autem tempore tabernaculum fuit determinatum, sed mobile, & de loco ad locum portatile, vt arca fœderis. Salomonis tempore, fuit tabernaculum, siue templum determinatum, & immobile ædificatum. Christus quartum constituit tabernaculum: quod est cor nostrum: Templum Dei est, quod estis vos, ait Apostolus, dicit ergo conclusio (omnes ante Mosen prophetarunt per ceruam vnicornem)

nem)

nem) ideſt, per Malchut: ſicut enim notitia particularis loci, adorationis Dei, conceſſa non fuit eis: ita nec ſephiroth ſuperiores Malchut notæ fuerunt antiquis: ſed tantum Malchut luna archetypa, quæ dicitur cerua vnicornis. celebratos nimis in ſcriptura ſacra proſpicimus ceruos, hinnulos, capreas, & capras: non ſolum in canticis, ſed in lege, & Dauiticis hymnis. In lege enim iubetur cooperiri tabernaculum ex pellibus caprarum rubricatis. Et prohibitis rhenibus, & adipe cuiuſcunque animalis: cerui & capreæ omnia comedenda conceduntur tanquam munda: vt in Deuteronomio legimus, vbi dicitur. Verum ſicut comedes capream: comedes & ceruum. Et iterum. Veſcentur eis, quaſi caprea, & ceruo: quorum videlicet omnia inteſtina comeduntur, excepto ſanguine: quia in eo eſt anima, quæ non debet comedi ſimul cum carne: eo quod animalis anima non nutrimentum hominis, ſed in deprauationem, conquinamentum & perniciem ipſius (vt aiunt) deuenit. In titulo verò Pſal. 21. vbi nos habemus. In fine pro ſuſceptione matutina: habetur in veritate literæ. Vincenti pro auroræ cerua: & alijs pleriſque in locis propheta hic adeo celebrat ceruos, vt clare intelligamus eos referri ad aliqua meliora, & occulta: ſicut & Origenes

consentit, dum ait: ceruus, vel capra animalia quidem secundum rationem naturæ, quam corporaliter gerunt, referuntur ad aliquas rerum incorporalium causas: vt illis inuisibilibus ceruis videatur posse conuenire id, quod scriptum est. Vox Domini præparantis ceruos: quæ enim præparatio ex voce Domini fit istis visibilibus ceruis? aut quæ doctrina ex voce Domini ad eos descendit aliquando? Cerui igitur spirituales sunt: quorum formam, & imaginem tenet illud animal corporale: quod voce Domini dispo nitur ad persequendum serpentium genus: voce vtique illa Euangelicæ legis: quæ ceruos, id est, mundos lauacro baptismi præparat ad pugnandum: & disponit sub Christo contra serpentem illum antiquum Diabolum. In archetypo verò cerui, & capræ numina illa representant, quæ dicuntur sephirot, & dimensiones inferiores, gedulah, & ghebura: quæ inferiores dicuntur hod & nezach. per hęc igitur numina, aut proprietates diuinas obtestatur Salomon sapientissimus in canticis dum ait. Adiuro vos filiæ Ierusalem per capreas, ceruosque camporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam. Cuius iuramenti vinculum est, per tribunal iustitiæ. vnde scelesti puniuntur. Hinc per hæc iurans, & obtestans omnibus censu-

censuris, & sententijs à supernis tribunalibus emanantibus se submittit, & obstringit, vt nequeat aliquo modo dissolui: sed reportet præmium de obseruantia sacramenti, pœnam autem de eius transgressione. Et quia inferiores mensurę, quæ hinnuli dicuntur, vocantur etiam vbera, illa videlicet, quæ lactauerunt omnes prophetæ: ideo in eisdem canticis dicitur: Duo vbera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli. Et malchut, quæ est infima omnium. Et per hanc ceruam vnicornem, solam videlicet, patres, Mosen præcedentes prophetarunt: quia nondum sephirot ordo eis innotuerat: nam adhuc sephiroth diuisę non erant in arborem à dextris, & à sinistris: Deus enim in se continebat gratiam, & gloriam; tempore autem Mosis incepit Deus aperire manum sinistram iustitiæ, in punitione transgressorum: tempore verò Christi aperuit manum dextram numerationum tendentium in misericordiam: quare antiquitus malchut dicebatur unicornis: quia nondum sephiroth erant diuisæ à dextris, & à sinistris: (vt dixi) Mosis verò tempore fuere diuisę: quo circa illi innotuerunt: & per superiores sephiroth prophetauit. Aliter dicendum, quòd prophetantes ante Mosen (vt secretiores Theologi dicunt) prophetabant per ceruam vnicornem. Cerui

ſunt vbera ſuprema (Diuinitatis vt dixi,) & hinnuli ceruorum ſunt vbera inferiora : à quibus (vt ipſi aiunt) omnes prophetæ lactauerunt : & ſicut vbera ſunt bifaria : ita & cornua ceruorum. Alterum eſt enim prophetandi lumen : alterum autem virtus miracula faciendi. Quod Eliſæus non ignorauit, quia ab Elia in cœlum aſcenſuro petiit duplicem ſpiritum eius, id eſt, vtranque virtutem, prophetandi videlicet, & miracula faciendi. Sed cum ante Moſen nunquam legamus aliquem feciſſe miracula : Ideo dicitur : quod vnico tantum cornu prophetabant, & vnica virtute ipſius ceruæ, id eſt, fontis virtutem prophetandi influentis. pertinet enim miraculorum perpetratio ad virtutem prophetandi. Vtrunque enim pertinet ad ſpiritum propheticum, oratio videlicet efficax: operatio virtutum, & manifeſtatio occultorum. De Abraham enim dixit Dominus Abimelech, qui eius vxorem acceperat. Redde viro vxorem, & orabit pro te, quia propheta eſt, & viues : operatio verò miraculorum facta à prophetis patet : tamen in Eliſæo, qui ſanauit Naaman Syrum, & panem adauxit : ferrum ex aqua reuocauit, & filium Sunamitis ſuſcitauit : tum & in Elia, qui filium Sidoniæ illius ſuſcitauit, & cœlum clauſit. Et

multa ſimilia poſt Moſen à prophetis facta ſunt. Tertium quoq; prophetarum opus eſt: non tantum futura prædicare, ſed ſcripturarum aſcondita reuelare. Sicut fecit Moſes, & Aggæus, vel Eſdras, quorum alter oretenus: alter per ſcripturam, legis ſacramenta manifeſtauit. Sic etiam pandens abdita officio prophetæ fungitur: ſicut Eliſæus cognouit munera, quæ ſuſceperat Gieci à Nahaman. Aliter dicendum & doctius: nam quarti Reg. cap. 2. legitur, quod cum veniſſet Elias cum Heliſæo in hierico, dixerunt, filij, id eſt, diſcipuli prophetarum ad Heliſæum. nunquid noſti, quia Dominus tollit hodie Dominum tuum à te? quibus reſpondit. noui, ſilete. ex quo patet quod tam filij prophetarum quàm Heliſæus præuiderunt in ſpiritu futurum raptum Eliæ: ſed neſciebant illius raptus figuram: nec quid amplius futurum eſſet de Elia. ignorabant quippe ſignificare Chriſti aſcenſum in cœlum. & quomodo Elias erat venturus in Antichriſti tempore ad prædicandum Chriſti ſecundum aduentum. Tam igitur prophetarum filij, quàm Heliſæus, tantum habebant ſimplicem ſpiritum propheticum de futuro Eliæ raptu. Et ideo Heliſæus quid futurum eſſet de Elia cupiens ſcire, di-

xit ad eum cum ferebatur in paradiſum. Obſecro Domine, vt ſpiritus qui eſt in te, duplex fiat in me: quaſi diceret: vt ſciam in duplici ſpiritu, quid figuret raptus iſte tuus, & ſciam & præuideam futura myſteria de Chriſto Meſsiah in lege promiſſo, quæ non poſſum præuidere niſi per duplicem ſpiritum, & lumen propheticum. Cui Elias reſpondit, rem difficilem petis. Quaſi diceret, difficile eſt, & paucis conceſſum talem duplicem ſpiritum propheticum attingere. Hoc autem dicebat Elias, quoniam ipſe in duplici ſpiritu per ſuum pręuiderat raptum: qualiter Chriſtus poſt paſsionem, ac reſurrectionem erat in cœlum aſcenſurus, & vniuerſale dominium, & iudiciariam poteſtatem, & ſuper omnes creaturas accepturus: & qualiter erat venturus in fine mundi ad omnes iudicandum gentes: & qualiter ipſe Elias præuenire debebat ante ipſum Chriſtum ad prędicandum ſecundum eius aduentum: & qualiter erat ab Antichriſto occidendus. Hunc igitur duplicem ſpiritum impetrauit Elias à Domino pro ipſo Eliſeo vt ibidem patet. Conſtat igitur qualiter ſpiritus ſimplex propheticus, non niſi temporalia geſta, & materialia illius populi, ciuitatis, & templi attingebat. ſpiritus autem duplex erat ille, qui nedum futura geſta, & materialia veteris teſtamenti præuidebat & attin-

attingebat: ſed per illa tranſcendebat vſque ad Chriſti myſteria, & eccleſiæ in illis figurata. Et ſic illa materialia tranſcendens, vſque ad Chriſti, & Redemptoris propheticã notitiam perueniebat. Hoc priuilegium non fuit patribus Moſen præcedentibus conceſſum: quapropter prophetabant per ceruam vnicornem Malchut, vt dixi.

Vbicunque in ſcriptura fit mentio amoris maris, & fœminæ, nobis myſticè deſignatur coniunctio tipheret, & cheneceth Iſrael, vel beth, & tipheret.

Dixit Orpheus amorem eſſe omnibus Dijs antiquiorem: Agathon verò, & ſequentes iuniorem. Iunior quippe eſt amor: vt Agathoni placet, qui contemplabatur Deorum eſſe intelligibile, pro vt videlicet ſunt in archetypo. Quo eſſe iunior eſt amor, per quem (vt Triſmegiſtus & Plato in conuiuio conſentiunt) Deus ad inſtar illius eſſe intelligibilis & idealis, produxit omnes Deos, intelligentias videlicet, in formas particulares. Orpheus autem contemplabatur in particulari iam productos, qui in particularibus formis exiſtentes amore per quem producti ſunt, poſteriores ſunt: qui videlicet in eſſe ideali priores erant. Addit Orpheus dicens: Amorem eſſe cęcum. Vnde (vt poetę fingunt) amor velatis oculis deſcribitur, eo

quod amans aliquando tanto amoris impetu fertur, vt rationem offuſcet, ne videat. Vnde non ſenſati hominis, ſed puerilia opera facit. Hinc, & puer pingitur. Sed altius conſcendunt Orpheus & Plato, dicentes, quod amor eſt ſupra intellectum, quia videlicet fertur aliquando in amorem Diuinorum, quæ non cognoſcit. nec obſtat illud Auguſtini: quod voluntas non fertur niſi in præcognitum: & quod incognita amare nequimus: quia illud intelligitur de amore, qui habetur per naturalem diſcurſum, & non de eo, qui naturæ inſitus eſt. Quo amore naturali amamus Deum, quamuis incognitum, & aliquando creaturam minimè notam: ſed præſenſione quadam naturali. Quemadmodum occurrit, quòd ad ſolam præſentiam alicuius, quem ſentit conformem, homo diligit: & timet, & horret à difformi. Sicut ouis horret ad lupi præſentiam: & homo in nocte pauet ad præſentiam hoſtis, quem non uidet. Sic quoque multi in ſuperos Amore feruntur: quos minimè norunt. Et talem inclinationem habent creata à Deo, qui per ſapientiam ſuam, omnia diſpoſuit. Quod ſapiens teſtatur, inducens Diuinam ſapientiam ſic loquentem: Quando præparabat cœlos (.ſ. Deus) aderam: quando certa lege & gyro vallabat abyſſos.

Quando æthera firmabat ſurſum, & librabat fontes aquarum: quando circundabat mari terminum ſuum, & legem ponebat aquis, ne tranſirent fines ſuos: quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens. Tantæ virtutis eſt Amor, quod nullum opus magiæ fieri poteſt, abſque Amore: Amore enim iunguntur elementa contraria, vt bonum aliquod conſtituant: ſecundũ Platonem, elementa & cætera omnia in antiquo chaos vnita erant, per amicitiam & amorem. Vnde Anaxagoræ placuit quod per amicitiam & litem generarentur omnia ac corrumperentur. nam dum erat vniuerſalis omnium partium amicitia, omnia erant vnum chaos: dum autem ſtricta & corroborata erat partium amicitia eiuſdem generis, colligebantnr ſimul illæ partes, & apparebat planta, vel animal, vel quid, aliud tale: remiſſa verò illa vniuerſali amicitia, immo lite cum omnibus facta, huiuſmodi partes ſtabant ab eis vniuerſalibus ſeparatæ: & congeneis ſuis vnita: poſuit enim Plato duas Veneres, ſeu Amores, quia cognouerat: quod ex amore recto omnia bona procedebant: & ex malo verò & obliquo amore omnia mala; ſicut Pauſanias teſtatur ibidem dicens. Cum geminus ſit Amor, geminam Venerem quis neget? Vna quidem Venus

eſt anti-

est antiquior, & sine matre in cœlo nata, quam cœlestem nuncupamus: Altera uerò iunior, ex Ioue & Dione progenita, quam vulgarem & communem vocamus. A quarum altera omnis nostra actio, quæ indifferens est, procedit. nec enim actio nostra bona, vel mala est, nisi quatenus bono, vel malo est coniuncta. nam, quod bono, & recto amore agitur, honestum est, & quod malo, & obliquo amori innititur, turpe & indecorum est. Quod ibidem longo sermone ipse Plato prosequitur, quę loco suo legenda relinquo. Harum duarum Venerum, Alteram (dicunt Academici) ęthercam; Alteram uerò, aeream. superior munda, casta, ordinata, cum Ioue conueniens, superiora, diuina, & spiritualia connectens. inferior deordinata, lubrica, varia, & lasciua, animalia, & illis inferiora coniungit. Deq; ista Venere tot obscœna dicuntur à poetis, quia omnium malorum est causa, sicut illa omnium bonorum. Hinc ait Augustinus. Duo amores fecerunt duas ciuitates: amor Dei regulatus & bonus, amorq; proximorum, vsq; ad contemptum sui fecerunt ciuitatem Dei: sed inuersus amor sui vsq; ad contemptum Dei fecit ciuitatem Diaboli. Vnde vis huius sideris à grammaticis Venus dicitur, quia ad omnia veniat, malum scilicet & bonum.
Quod

Quod Orpheus canit in hymnis : Generas (inquit) omnia, quæcunque in cœlo ſunt, & in terra, vrgens mortales, & immenſum genus ferarum amoris furentibus philtris. Omniaq; amore replentur: & nihil eo vacuum eſt, ſicut omnia aere complentur: qui naturæ vacuum abhorrentis appetitum replet. Amore enim (inquit Boetius) cœli iunguntur, & elementa conueniunt in compoſitis. Amore animalia cohabitant: ciuitas conſeruatur, & incrementum ſuſcipit omnis Reſpu. Amore Deus orbem fabricauit & gubernat (ſecundum Platonem) quia ratio boni eſt diffundere ſeipſum, & amare, vt docet Dionyſius. Hinc Pherecides Syrus, dixit Deum in amorem transformatum, priuſquã mundum crearet. Empedocles quoq; ait: quod ſumma ſphęra intelligibilis ab amore continetur. Et quia Deus amore creauit, amore quoque complexus eſt omnia, atque à nobis amorem exigit, vt adinuicem amore connexi, tandem amore cum ipſo vniamur, vt omnia vnum ſint, ſicut à principio erant. Et ſumma omnium, quæ à nobis exquirit, eſt ipſe amor. Diuinus amor (inquit Dionyſius) non permiſit Regem omnium ſine germine in ſeipſo manere. Et ſicut amore ſe diffundit in omnia extra ſe, ſic amore omnia ad ſe trahere delectatur, hominem potiſsimè,

in quo

in quo conclusa sunt omnia: Ideo ipso vnito, omnia vnita erant. Et cuncta hæc concludit Dionysius de mente Hierothei, dicens: Amorem siue Diuinū, siue Angelicū, siue spiritualem siue animalem, siue naturalē dixerimus: insitam quandam intelligamus, commiscentemq; virtutem, quæ superiora quidem ad inferiorum prouidentiam monet, æqualia ad socialem inuicem communionem conciliat: & postremo inferiora quæq; admonet, vt ad potiora, sublimioraq; conuertantur. Et quia in omnibus exquiritur Amor, & Venus: Ideo vtroq; sexu Cyprij pingebant, barba quidem prolixa, & veste fœminea. Et Ariphanes vocabat eā aphroditon, non aphroditem: quia in omni sexu, omniq; animo reperitur. Hęc quoque lucifer dicitur, quasi ferens lucem, solis videlicet, aut ferens nos ad ipsam lucem, ideo phosphoros dicitur. Videmus. n. omnia, quę de duplici Venere dicta sunt, in duplici aere reperiri, hoc turbulēto videlicet, & puro ęthere. Hinc. n. ad fœtū, connubiaq; conducit per vim spiritus ipsi incubantis, qui est vera vis aerea, vnde vterq;, & spiritus & aer, aut ventus eodem nomine nuncupatur ab his, qui res vocant, secundum earum proprietates: Turbulentus autem aer in Iunone describitur infestus supremæ Veneri, & his qui suo fauore gaudent. Sed tandem Venus sui Iouis præsidio

dio præualet deteriori, & infestę fortunæ. Secundum verò Cabalistas, duę Veneres sunt Tipheret, & Malchut, quæ dicuntur duo amo res, & si sint vnus amor per reciprocationem. Vnde Salomon in canticis, sponsum Tipheret & sponsam Malchut introducit ad inuicem lo quentes, in illis maximè verbis; Osculetur me osculo oris sui. quæ verba sunt sponsæ Malchut, ipsum Tipheret alloquentis, rogando illam dimensionem, vt influat in ipsam donum spiritus sancti, siue binah quæ os sephirot appellatur. Et licet quæ adintra, sint idem, quòd Deus, & consequenter plena semper Diuinitatis; tamen Malchut creatis bonum influxum, à superioribus dimensionibus receptum, communicare non potest, nisi ab illis ipsi hoc mandetur, & hoc est, quando creata, sunt bene ordinata cũ Deo per mandatorum obseruantiam. ideo di citur in Deut. serua mandata, & abundabis bo no .s. influxu Malchut, sin autem maledictus eris in ciuitate, in agro, &c. Vnde in canticis conquerens Malchut de synagoga, dicit. nigra sum. Textus Hebręus habet, שחורה Sechora. quod idem est quod aurora. & præue nit à Sechar, quod dicitur aurora, quæ fit luce solis inchoante apparere, expulsis tenebris. Sponsa ergo Malchut comparat se auroræ. Quando ergo Salomon loquitur de

duobus

duobus amoribus, ſiue de duplici amore: intelligit de ſponſo tipheret, & malchut ſponſa. primus eſt ſol ſupramundanus ſemper illuminans: ſecundus eſt Luna, quæ eſt ſpeculum non lucens ſcilicet à ſe. Et quando chenezer, id eſt, ſynagoga Iudæorum, vel modò eccleſia, bene ſe habet erga Deum per mandatorum obſeruantiam: tunc Luna ſponſa illuminatur per bonum influxum à ſponſo ſole receptum; & tunc in ſynagogam, nunc autem in Eccleſiam bonum infundit defluxum. Quando autem ſupradicta ſynagoga circa legem & præcepta male ſe habebat: Tunc ſponſa prædicta dicebat, Sponſus meus toruo me reſpicit oculo, in me malos influxus influendo, quos in ſynagogam cogor defluere, & me nigram oſtendere mala influendo; puta captiuitatem per manus Nabucdonoſor & cæterorum. Et hoc eſt boni, & periti iudicis officium, ſcilicet bonis applaudere ciuibus, malos autem ferula corrigere. Propter hoc dicit ſponſa. Nigra ſum ſcilicet malis; ſed formoſa ſcilicet bonis, in filijs Ieruſalem. Filij Ieruſalem ſunt animæ noſtræ. ideo conqueritur, dicens; quod tales filij ſint cauſa ſuæ nigredinis, id eſt, priuationis boni influxus; à ſuo viro ſole non recepti: Sunt etiam cauſa quare ſit nigra contra illos per flagella puniendo, ideo ſequitur, Sicut taberna-

bernacula cedar, ſicut cortinæ Salomonis. Tabernaculum accipitur pro papilione, qui ſunt diſcolores, & rimas habent per quas quę ſunt extra videri poſſunt: ſic erant cortinæ Salomonis diuerſis coloribus tinctæ. Cortinæ ergo Solomonis ſunt malchut, qui multigenis coloribus influxuum plenus exiſtit, quibus erga creata vtitur ſecundum eorum merita, vel demerita. Et hoc eſt quod dicit Saluator noſter. In domo patris mei, manſiones, &c. Vnde ſubdit (nolite conſiderare quòd fuſca ſim) id eſt, conſperſa multimodis ſupradictis coloribus (quia ſol) tipheret ſponſus meus (decolorauit me) ſcilicet influendo in me malos influxus, & bonos à me amouendo. Sicut enim Luna cœleſtis reſpectu ſolis, quandoque eſt plena, quandoque ſemiplena, quandoque obſcura, ſecundum quod eſt in oppoſito, vel coniunctione, vel in aſpectu ſextili, quadrati, & huiuſmodi; Sic ſponſa malchut, Luna archetypa, ſe habet reſpectu tipheret ſponſi, ſolis ſupramundani. Vnde pſal. Thronus tuus ſicut Sol, & Luna perfecta in conſpectu meo ſemper. Dicit igitur ipſa ſponſa (Decolorauit me Sol) id eſt, non influit in me modo bonum lumen, quare malis influxibus tenebroſis impleor. Et rationem aſsignat, dicens. (Filij matris meæ pugnauerunt contra me)

Filij

Filij Dei sunt boni: vnde apud Ioann. dicitur. Dedit eis potestatem filios Dei fieri: Mali autem sunt filii Diaboli. Vos ex patre Diabolo estis. Dixit ergo. (Filij) scilicet iam per legis obseruantiam, (pugnauerunt contra me) id est, extranei facti sunt, non eos amplius cognosco, notitia approbationis, vnde eos punire cogor, non tanquam filios, sed tanquam extraneos: Et, in causa fuit chesezet Israel, id est, synagoga, siue rectores & prælati, qui ex malo suo regimine, & pessimo exemplo corruperant subditos. Et quasi per totum illud canticum, pertractatur de isto amore, & nedum tantum in isto cantico, quin etiam per totam legem. Quod confirmans Dauid, dicit. Semel locutus est Deus scilicet ad populum totum Israeliticum in monte Sina; Duo hęc audiui scilicet contenta in ea lege, quia tu es Deus scilicet vnus, & verus, & tibi potestas est, id est, potes bonum, & malum influxum in nos demandare, ex vnione maris tipheret cum fœmina malchut bonum influere; ex eorum autem separatione malum, si enim Israel bene operabatur, bonum recipiebat influxum: sin malum, malum pariter patiebatur: & ideo sequitur: quia tu reddis vnicuique secundum opera sua. Est enim in archetypo mundo ordo talis, quod omnes influxus boni a ti-

pheret proueniunt: eſt nempe ſol ſupramundanus, ad cuius ſimilitudinem Sol cœleſte corpus ſuo fauore, influxu & lumine, per Lunam in inferiora vitam influit. Luna enim eſt planetarum matri, ſuperiorum planetarum influxus, tanquam ſemina, copulans in ſe. iſtæ igitur duę dimenſiones vniuntur, quando pręcepta obſeruantur, & quando legem tranſgredimur, vna ab altera ſeparatur, hoc eſt, Tipheret in Malchut non influit, ad noſtri videlicet bonum. & tunc gheburah ſe interponit, anxietates, & flagella immittendo. ideo perbellè Iſaias ait. Ab aquilone, pandetur omne malum ſcilicet pœnę. eſt enim gheburah, pars aquilonaris. Amor igitur harum duarum dimenſionum vnio eſt, vt in nos bene influant. Amor etiam maris, & fœminę in ſcriptura quandoque ſignificat Iſraelis, & Tipheret vnionem, de qua vnione, ſeu diſpenſatione loquitur Oſęas propheta, dicens. Deſponſabo te mihi in fide. Et in Ezechia, per totum, Deus enim populum Iſraeliticum in peculiarem ſibi aſciuerat gentem. pręcepit Deus, vt Oſęas propheta vxorem aſſumeret fornicariam, & faceret fornicationum filios. Hoc factum non fuit in prophetę detrimentum, ſed in laudem, vt ſentit Hieronymus adducens Xenocratem laudatum, qui Palæmonem luxurię deditum

inter psaltrias, atq; tibicines, & inter impudicas mulieres, inueniens hedera coronatum fecit obedire sapientiæ. Socratem quoq; extollunt, qui Phædonem è lupanari Academiam transtulit. Sed his omissis, hoc fuit in typum Christi, qui Gentilium & Hebreorum adulterorum collegium assumpsit in sponsam. cui adstipulatur illud Hieremiæ. Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me, & ego suscipiam te. Et præcepit Deus vocari filium Osææ Israhel, & filiam Lorechama: Tota nempe hæc historia metaphorica est, & mysterijs plena: nam typum Dei tenet, qui primo accepit in sponsam synagogam quæ cum multis fornicata est: postea accepit eam iam fornicatam; ex qua suscepit filium Israhel, id est, semen Dei, Chistum Iesum, qui totam naturam humanam saluauit iam fornicatam: & postea filiam Lorechama, id est, absq; misericordia. Et rationem assignat, dicens, Quia derelinquam domum Israel, & synagogam: & obliuiscar eorum: Vnde oraculum est sub typo domus Iesu, & Israhel deletæ: vt sit simul oraculum & figura. Et generati sunt filij fornicarij, vel generati sunt fornicarij: vt habet veritas literæ; Deus enim declarans, subinfert: quia fornicans fornicabitur terra à Domino. Vult enim Deus hominem cœlestem

lestem (ad quod tendit totum euangelium) sed fornicantur multi, cum non cœlestes, sed scelesti fiant. De quibus Apostolus. Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis; nunc autem flens dico inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum qui terrena sapiunt. nostra autem conuersatio in cœlis est. Quales debent esse filij regenerantes hominis cœlestis Christi: & isti sunt vera vxor eius. Vnde Salomon ait. Vnica est columba mea; non intelligit de carnali sponsa: quæ vnica debet esse, cum à principio vnica mulier deputata sit vnicuique. Hinc secundum legem non permittitur sacerdoti, qui immaculatus esse debet, coniungi pluribus mulieribus. Quamuis alijs permittatur ad euitanda maiora inconuenientia: sed intelligitur de sponsa spirituali, cuius hæc carnalis est figura & sacramentum. Quæ sponsa vnica est scilicet Ecclesia ex omnibus illis Reginis constituta, concubinis & adolescentulis, Omnes verum sortiuntur nomen fœminarum: & recte. nam omnes nos, qui grauidamur à facie Dei, & qui in operando tenemus locum inferiorem ac fœmineum (cum Deus teneat superiorem & masculinum) respectu ipsius Dei meritò fœminæ dicimur: respectu vero partis inferioris, quę pro fœmi

na habetur, tenemus vicem masculi. Quemadmodum cœli respectu terræ, quæ ab eis grauidatur, rationem habent masculinam: respectu vero angelorum, & Dei, à quibus influxum suscipiunt, habent rationem fœmineam, sicut ab antiquis Theologis diffusè scribitur. per concubinas, & adolescentulas, etiam intelliguntur familiæ, non liberæ, sed seruiles. De quibus familijs loquens Apostolus inquit. Abraham, pater videlicet fidei, duos filios habuit: vnum de ancilla, qui secundum carnem natus est: & alium ex libera, quæ sunt per allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo testamenta. per hæc etiam intelliguntur gentes, quæ cum Dijs alienis fornicatæ sunt: venientes autem ad Christum, admittuntur in Ecclesia: quæ dicitur vnica columba, & vna supernæ genitrici electa, aggregans in vnam familiam synagogam, & populum gentilem. Et hoc fuit necessarium. Christus enim Messias tenebatur suscitare semen fratris sui Mosis absque liberis salutis defuncti: nam per legem nemo saluabatur, in cuius rei ostensionem, Moses non duxit populum in terram promissionis. Et hoc est quod dixit Moses in Deut. prophetam similem mihi.i. fratrem meum, suscitabit vobis Dominus (qui sup. suscitabit semen meum) de fra-

de fratribus vestris, ipsum audite. Hoc etiam cognoscens Baptista, dixit in laudem Christi. Qui post me venit, hic ante me factus est, in dignitate videlicet, & præordinatione: cuius non sum dignus soluere corrigiam calciamentorum eius: nam tunc temporis, ante scilicet Christi aduentum tenebatur frater, pro fratre defuncto absque liberis, suscitare semen fratris sui defuncti, ex vxore fratris sui. Et qui hoc facere renuebat, amouebantur calciamenta de pedibus eius à suis propinquioribus, & transibat per medium illorum, eum percutientium cum baculis. Ioannes autem tanquam propinquus, & affinis Christi: præuidens Christum desponsaturum synagogam vxorem fratris sui Mosis defuncti, & suscitaturum semen salutis ex ea, ideò ait. non sum dignus soluere corrigiam calciamentorum eius, & vice ipsius, suscitare semen spirituale salutis, quia hoc est opus Dei, & hominis. Loquitur ergo de sponso Christo & synagoga: quam Christus assumpsit, ad suscitandum semen fratris sui Mosis: qui sine salutis prole est defunctus: quia per Mosis legem nemo saluabatur, vt alias dictum est. Idcirco conclusio dicit, quod significat vnionem beth, id est, domus Israelis, seu synagogæ,

& Tipheret Christi, qui locatur in Tipheret: tanquam pulchrum, omnia pulchrifaciens: de eius enim plenitudine omnes accepimus.

Qui media nocte cum Tipheret copulabitur, prospera erit ei omnis generatio.

F. A. Sacramentum quippe nuptiarum est maximum, adeò vt perfecta fabrica, & introducto in eum Adamo antistite, statim celebratę fuerint nuptiæ: & à Deo indictum matrimonium primis nostris parentibus [. nam producto homine & muliere, dictum est. Crescite & multiplicamini, & replete terram: Et iterum, vbi de particulari productione vtriusq; coniugis agitur, formato homine ex puluere terrę, subinfertur. non est bonum hominem esse solum. Faciamus ei adiutorium simile sibi. sed Hebraica veritas habet. qui stet ex aduerso ipsius: ad generationem videlicet filiorum faciendam. Quod mysterium cognoscens Paulus, ait. Hoc sacramentum magnum est Christi & Ecclesię. Et sicut sacra scriptura, enarrata fabrica, primo de matrimonio pertractat: eadem pari modo desinet in sacramentum nuptiarum. Christus totum negotium regni cœlorum comparauit nuptiis, quas fecit Rex filio suo. Et Ioannes claudens omnia mysteria sacræ scripturę in Apocalypsi: cui sub intermina-

terminatione plagarum iuber ne quicquam addatur, ait. Gaudeamus, & exultemus, quia venerunt nuptię agni: & vxor eius præparauit se. Vnde innuitur nos non posse adipisci regnum illud ęternum sine regeneratione: in hoc cœlesti coniugio per nouos, & cœlestes parentes facta. Huic positioni, non obstat illud verbum Christi, & sponsi. In cœlo non nubent, neque nubentur: sed erunt sicut Angeli Dei. Ordo enim rerum is est, vt adueniente signato cesset signum: & adueniente veritate cesset figura. Hinc Apostolus veritatis Euangelicę non ignarus, cum de matrimonio pręcipue ageret, inquit. pręterit enim figura huius Mundi. nam hę carnales nuptiæ, sunt figura, & sacramentum verarum nuptiarum, quæ in cœlo celebrantur. Hinc ipsis aduenientibus cessabit hæc copula carnalis. Et quamuis Christus dicat: Quos Deus coniunxit homo non separet: non vult per hęc verba, quòd nuptiæ carnales celebrentur in cœlo. Decernitur quippe in cœlo, quę nam esse debeat coniunx vniuscuiusque in carnali connubio. sicut decernuntur omnia, quæ in hoc Mundo fiunt: siue quo ad animalia, siue quo ad plantas. Veruntamen plantę vel animalia hæc in cœlo non generantur. pari modo nuptiæ carnales in cœlo decernuntur: sed in terra celebran-

tur, in ſignum & ſacramentum verarum nuptiarum: vt dictum eſt¦. Et in hoc coniugio regenerantur, non ſolum Iſraelitæ: ſed etiam cæteri homines. (vt dixi in præcedenti concluſione) ſicut propheta canit. In omnibus gentibus, ſalutare tuum: ideò confiteantur tibi populi omnes. Et Apoſtolus. An Iudeorum Deus tantum? nonne & gentium? & clarius poſtea. Nam idem Dominus omnium, diues in omnes, qui inuocant illum. Vnde ad hoc reſerandum ipſe Apoſtolus adducit illud Oſæę. Vocabo non plebem meam, plebem meam. Sed Deus non ſuum populum, fecit ſuum: quia regenerauit etiam eos, qui non erant, plebe ſua, & fecit vernaculos ſuos, & de domo Iſrael. nam Iſrael, ſignificat hæredem Dei, aut militarem ſub Deo. hinc omnes per baptiſmum regenerati merito domus *Iſrael* dici poſſunt. Ad propoſitum nuptiarum. Idem Ioan. iterum ait. Beati, qui ad cænam nuptiarum vocati ſunt: illius etiam ciuitatis Dominus, & princeps, dum in humanis ageret, regnum cœlorum, & ſummam totius negotij humani nuptijs comparat. Cum igitur ibi nuptiæ omnium celeberrimæ conducantur: videamus quis ſit ſponſus quæ ſponſa, quibus conuiuijs, quo contractu, ſiue qua copula perficiantur.

Spon-

Sponſus eſt Tipheret, ſol ſupramundanus Chriſtus: qui de ſe loquens, ait: ſimile eſt Regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio ſuo, qui eſt Chriſtus: ſponſa eſt quælibet animo, huic conſentiens contractui: & conſequenter tota eccleſia, & collectio fidelium eſt ſponſa, de qua Oſæas ait. Deſponſabo te mihi in fide. nuptiæ ſunt dona illata ſponſæ: quæ maxima fuere: de plenitudine eius omnes: omnibus enim promeruit gratiam, & gloriam: omnium nuditatem tegit: & dare poteſt animis omnibus, vnde concipiant, & pariant fructus bonorum operum, teſte Paulo. Potens eſt Deus omnem gratiam abundare facere in vobis: vt abundetis in omne opus bonum. Initiatæ fuerunt hæ nuptiæ per ſpiritum ſanctum: cum ipſo dictante, toties nos per prophetas ad hunc contractum inuitat Deus: iuxta illud Oſææ: Deſponſabo te in ſempiternum mihi (vt ſupra) deſponſabo te mihi in iuſtitia, & iudicio, in miſericordia, & miſerationibus. In lege nanque Moſis, ſeuerus ſponſus in iudicio deſponſauit, & iuſtitia gheburah: ſed in lege Euangelica deſponſauit in miſericordia, pietate, & gratia ghedulah cheſed: miſericordem, & benignum ſe præbens

in Meſ-

in Meſsias. Et, ad hanc copulam faciendam valde oportunum eſt noctis dimidium: vnde nota, quòd nox naturalis duodecim continet horas, & quatuor vigilias. patet in Euangelio: ſi in prima vigilia venerit, &c. quęlibet enim vigilia tres habet horas. ſimiliter dicatur de die. Et in qualibet vigilia, tam noctis, quàm diei, mutantur Angelorum cuſtodiæ: vnde dicitur. ſuper muros tuos Ieruſalem poſui cuſtodes. Et loquitur Vates de cuſtodibus ſuper muros Ieruſalem inferioris poſitis: vt nonnulli aſſerunt: Intelligitur etiam per allegoriam de Eccleſia Dei: ſupra cuius muros, & propugnacula poſuit ipſe Deus, non tantum paſtores, & Antiſtites, ſed Angelos: ſicut docet nos Ioannes ſcribens ſeptem Angelis, ſeptem eccleſiarum Aſię: in tutelam, & eccleſiarum, & epiſcoporum eis pręſidentium datis. Et quia hæc eccleſia diſtributa eſt in duodecim pręcipuas portiones, quibus & antiqua familia, & cœlum ipſum partitum eſt; Hinc (vt ipſe Ioannes in calce viſionis ſuæ perhibet) nomina duodecim Angelorum erant in portis duodecim ſupernæ Ieruſalem, è cœlo deſcendentis, cuſtodientes videlicet ciuitatem ab infeſtantibus, ne extrinſecus inferatur moleſtia maior quàm ciues introcluſi ferre poſsint. Fidelis autem Deus, qui non patitur vos tem-

ptari

ptari ſupra id, quod poteſtis. Et hi cuſtodes defendunt virtute imperatoris in cruce triũphantis, ſicut ipſe Apoſtolus innuit, dicens. Deo autem gratias: qui dedit nobis victoriam, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Et, illi Angeli cuſtodes, quia meridie, vſq; ad noctis dimidium deputantur, ſunt terrifici. & dicuntur horrores nocturni animam conturbantes, ideo appellantur poteſtates tenebrarum nobis aduerſantes. nam inter ipſas, & nos poſitæ fuerunt à Deo inimicitiæ: quæ nos conturbant. Sicut ex inanta inimicitia inter agnum, & lupum (vt ſupra dixi) ſola appropinquatio lupi, & non videtur, terret agnum. Huiuſmodi verò poteſtates vigent in nocte, & tenebris. Hinc canit Pſalmographus, dicens. poſuiſti tenebras, & facta eſt nox, in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſyluæ: Catuli leonum rugientes, vt rapiant, & quærant eſcam ſibi. Et quia inimicantur luci: ideo ſequitur: Ortus eſt ſol: & congregati ſunt, & in cubilibus ſuis collocabuntur. Cui adſtipulatur Iob, dum ait. Ipſi fuerunt rebelles lumini. Et iterum: ſi ſubitò apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis, & in tenebris quaſi in luce ambulant. Similiter & illi Angeli boni cuſtodes à meridie vſque ad noctis medium, ſunt terrifici, vt dixi. Et propter hoc à meridie vſque ad

matu-

matutinum, magis timetur, quàm antea: & ſunt Angeli geburah deputati. qui autem à media nocte vſque ad meridiem deputantur, beneuoli ſunt, ac miſericordes, à gedulah meridionali prouenientes, coram Deo orationes noſtras offerentes. & hora tali dicit zohar, Deum in paradiſum deſcendere, ſeq; ſanctis oſtendere, & quaſlibet gratias conferre petentibus. patet per Salomonem dicentem: Dum medium ſilentium tenerent omnia, & nox in ſuo curſu medium iter perageret, omnipotens ſermo tuus à regalibus ſedibus venit. ſ. ad ſanctos. Influxus tunc cœlorum archetypi mundi aperiuntur. & tunc de facili gratias aſſequimur: idcirco Dauid ad impetrandam gratiam media in nocte ſurgebat: quod oſtenditur per id, quod dixit. Media nocte ſurgebam ad confitendum nomini tuo magno, &c. & per hoc ordinum fundatores inſtituere matutinas horas, media nocte eſſe decantandas. bona eſt igitur copula mediæ noctis cum Tipheret per orationem: tunc enim proſperabitur omnis generatio, bonorum ſcilicet operum: nam quicquid petetur, concedetur: Dicunt etiam Cabaliſtæ, quòd qui tali hora vxorem ſuam cognoſcit (maximè in media nocte noctis veneris, adueniente ſabbato, & non aliter) proſpera erit eis omnis generatio: tales

les enim nunquam carebunt hærede : & bonos (vt aiunt) procreabunt filios . & tales dicuntur Eunuchi . quibus non tantum Deus promittit filios , ſed & bona temporalia : quia , ſicut tunc tipheret copulatur vxori Malchut ratione ſabbati : ſic vir, ſi tunc commiſceatur cum vxore , valde de influxu tipheret participabit : ſimiliter dicatur de illo , qui per orationem , Deo in noctis medio adhæret.

Eædem ſunt literæ nominis cacodæmonis (qui eſt princeps mundi huius) & nominis Dei Tetrag. Et, qui ſciuerit ordinare tranſpoſitionem deducet unum ex alio .

Exodi 6. dicitur . Ego Tetragrammatus , & apparui Abraham , Iſahac , & Iahacob in El ſadai , & nomen meum Tetrag. non manifeſtaui eis : vbi hoc ſolum appellatur nomen ſuum quod eſt ineffabile , quia hoc tantum eſt ſummo Deo proprium , quatenus ipſe eſt nihil eorum quæ ſunt , ſed ſupra omnia eſt , non habens reſpectum extra ſe . cætera ſunt etiam aliarum proprietatum , & relationum appellatiua , vt ſadai : quod latini verterunt dicentes , omnipotens : ſed aptius Hæbraicè ſignificatur : ſibi ſufficiens , ſe contentus , & nullius indigens . ſadai igitur Dei eſt nomen , Dæmones terrens , quod frequenter in ſa-

cris

cris occurrit literis. De hoc nomine loquens Rabbi Moses Maimonis filius in libro Hannebochim, dicit. nomen ſadai שדי compoſitum eſt ex verbo Dei די, quod eſt ſufficit: & ex litera, quæ ſcin ש dicitur. verbum autem dai די ſufficientiam ſignificat: litera vero ſcin ש, quæ huic nomini ſadai שדי præponitur, idem eſt, quod aſſer.i.qui. quamobrem ſadai, idem eſt, quod aſſer dai אשר די, id eſt, qui ſufficit, vel qui ſufficiens. Ideo hoc nomen nunquam penes Hebræos, niſi de ſolo Deo dictum reperitur. neque mirum quidem, cum eius ſenſus ſit, qui ſufficit, vel qui ſufficiens eſt, vel qui ſufficientia eſt: quod ſoli Deo congruit: vt ait Dauid. Dixi Domino meo, Deus meus es tu: quoniam bonorum meorum non indiges. Cætera omnia alterius adminiculo indigent ſaltem Dei. Vnde Algazel philoſophus, in libro qui de nominibus Dei inſcriptus eſt: ſolus Deus ſimpliciter, & abſolutè diues, & ditans eſt. Ipſe enim neque in ſubſtantia, neque in qualitatibus ab aliquo alio dependet: ſed cum omnibus ſibi pertinentibus, immunis omnino ab omni dependentia eſt. Deinde ſubdit. Diues igitur & ſufficiens ſibi abſolutè, & in veritate is eſt: qui nullo alio indiget. & hic ſolus Deus eſt. De omnibus vero alijs hoc tranſumptiuè, ſiue ſe-

ue ſecundum quid dicitur : Hucuſque Algazel. Et iſtud nomen ſadai, &c. Ariſto. ait in politicis : Teſte Deo, non eſt fœlicitas in rebus exterioribus : quia ipſe eſt fœlix abſque aliquo extra ſeipſum, cum omnia habeat à ſe. Albertus magnus ait : nullum eſt verum eſſe, niſi illius, qui dixit. Qui eſt, miſit me ad vos. nam ille eſt à ſe, & per ſe : cætera autem nec à ſe nec per ſe : ſed tantum ſunt quantum de illis participant. In hunc ſenſum opinantur multi finxiſſe Ægyptiorum antiquitatem : & inſcriptum fuiſſe Palladis peplum. Pallas eſt, quicquid erat, quicquid erit, & quicquid vides : cuius velum nullus ſapientum aliquando reuelare potuit : quia infinitum eſt illud eſſe ſuum diffuſum, & incluſum in particularibus rebus, quibus tanquam velaminibus, quibuſdam occultatur, vt capi nequeat. De quo Eſai : ait. Cœlum & terram ego impleo : ideo nullius indiget. Et, iſtud nomen ſadai, eſt vnum ex decem cognominibus principalibus Tetrag. יהוה. Et, quilibet pſalmus habet vnum ex cognominibus ipſius Tetrag. illi pſalmo fauens ; & ſadai fauet illi pſalmo. Qui habitat in adiutorio altiſsimi. hinc eſt, quod pſalmus ille Demones terret. Iſtud ergo nomen ſadai שדי tres habet literas, hebraicè notatum (vt ſupra viſum eſt) quibus additis punctis

faciunt

faciunt ſadai שדי & permutando literas hoc modo, ſid שיד componit Diaboli nomen: ſid enim eſt nomen Chaldaicum, Dęmonem ſignificans. Alio modo declaratur, & primo notandum eſt, quòd Hebræorum numeri ſunt duplices, maior ſcilicet & minor. primus oritur ex particularibus numeris omnium literarum particularium alicuius dictionis, ita quòd eſt ſumma illorum: ſicut in hoc nomine ſadai, numerus maior eſt. 314. Alius eſt numerus minor, & inæqualis dictus: qui accipit vnitatem ex quolibet centenario, & vnitatem ex quolibet denario, relinquens numerum minorem denario, in ſuo eſſe: Et hoc modo ſadai שדי importat 8. quia litera ש reddit 300. & ſic in minori numero dat 3, pro quolibet centenario vnum accipiendo, dalet ד dat 4. & remanet integer; & iod י ſignificat decem, à quo vnitas accipitur. Et, ſic horum ſumma erit 8. & talis dicitur numerus minor. à ſimili, ſatham & iod, he, vau, he, eundem numerum minorem reddunt, hoc modo, שתן ſathan, ש 300. ת 900. ן 50: quę omnia numerum minorem reddunt 17. Iod heuauhe יהוה, י 10, ה, 5, ו, 6, ה, 5. Quæ omnia numerum minorem reddunt 17. prout ſupra dixi.

Cum

Cum fiet lux ſpeculi non lucentis, ſicut ſpeculi lucentis: erit nox ſicut dies, vt dicit Dauid.

Eſt enim Luna vltima planetarum, claudens, & complens diſpoſitiones eorum. Annumeratur primo loco inter planetas, inferius exordiendo: Et, dicitur principalior planeta quàm alij. Hæc autem omnia inferiora diſponit. nam influunt omnes planetæ in ipſum vltimum ſuſcipientem omnes ſuperiorum influxus inferioribus communicandos. Regit enim diuerſa, in diuerſis ſignis collocata, vt ſic ſemper varia, varios producat effectus: & per frequentes coniunctiones cum planetis, & alijs ſtellis, vxor omnium ab eis facta ſuſcipiat ea: quæ tanquam rerum omnium inferiorum mater, & media inter vtraq;, ſuperiora videlicet & inferiora: iſtis omnibus communicet. Et quamuis ſit vltimus planeta, communicat tamen cum ſuperioribus, maximè à ſole: cui quoties coniungitur, toties fœtu, & viuifica repletur virtute: quam humectatis, & diſpoſitis inferioribus infundat. Ab ea etiam in cœleſtibus incipit rerum ſeries: quam Plato catenam vocat: qua vnaquęque res, aut cauſa alteri connexa: ab ipſa dependet, quouſq; deueniatur ad ſupremam omnium cauſam, à qua omnia. Quomodo autem dicatur ma-

gis planeta, dicimus, quod hoc eſt ſecundum obſeruationem: quia magis Lunæ decreta, quam aliorum planetarum attenduntur: Et hoc aut ex familiaritate, quam habet nobiſcum, ſiue quia maior citra ſolem, quam alij apparet: vel quia magis varia in motu: aut quia nocumenta eius ex ſuapte natura frigida euidentiora ſunt: aut quia receptaculum eſt omnium aliorum influxuum (vt dixi) ſiue quia motus eius eſt magis ſenſibilis vulgaribus (inquit Ptolomæus) & etiam ſapientibus, qui hanc doctrinam ſibi vendicant: ſed prudentiores etiam aliorum ſyderum decreta aſpiciunt prognoſticando ex eorum aſpectibus hyemes longiores, validos, ac diuturniores ventos, & niues, & grandines, & huiuſmodi: quæ ex varijs ſtellarum fixarum, & errantium ſyderum dignoſcuntur aſpectibus. ſiue ab ipſis procedant illi effectus: ſiue ab intelligentijs præſidentibus, ſiue à Deo iubente: vt iſtæ exequantur & illa ſignent; aut tanquam inſtrumenta cogant. Concurrit tamen principaliter Luna. Sic Luna Deifera, quæ à ſecretioribus Theologis Malchut dicitur: vltima eſt inter planetas Archetypos, claudens, & complens diſpoſitiones eorum: Annumeratur prima in ordine ſphiriſtico inferius initiando. Quapropter dicitur potior ſephirah,

rah, ſiue midah, ſiue enumeratio, ſiue proprietas, ſiue attributum, ſiue dies fabricæ, ſiue planeta: quam aliæ dimenſiones. Diſponit namque hæc inferiora omnia: nam ſuperiores ſephirot in ipſam defluunt, & ipſa in creatis, multimodos effectus producendo: nam eorum mores ſequitur, cum quibus conuenit, & vnitur, eſt nempe vxor omnium nominum Diuinorum, & nedum horum tantum, verum etiam & cognominum, & agnominum, quæ infinita ſunt, ſiue potius innumerabilia, quemadmodum & ſtellæ cœli. Quare inter ſuperiora, & inferiora mediat, ſcilicet inter Deum, & creata, inter cœlos archetypos, & Angelos, inter nos, & cœlos, inter nos, & Angelos, omnibus communicans influxum à ſuperioribus à ſe acceptum. Et ſi ab omnibus ſupernis (vt dixi) grauidetur, præcipue tamen à ſole, qui maſculus dicitur, & vir eius quem Hebræi vocant Tipheret; qui coniunctus cum ea grauidat eam. Et hoc eſt quod dicit Eſaias vice Dei. nunquid ego qui alios parere facio, ipſe ſterilis ero? Et hunc fœtum communicat creatis gratia Dei madefactis. Ab ea enim incipit rerum ſeries in influxibus archetypis: & dicitur catena: quia in ipſa conglomerantur omnes Diuini influxus: quibus influxibus, qui ad ſupremam

causam Ensoph adhæret tanquam ad finem vltimum deuenire possunt. Et ideo Malchut, prima sephirah nuncupatur, id est, magis planeta archetypus, quàm cæteræ sephirot, quia magis domesticè agit nobiscum cæteris sephirot. etiamsi à superioribus dimensionibus influxum recipiat, permaxime tamen à sole Tipheret lumen boni influxus suscipit. Et quia ab omnibus sephirot semen recipit, ideo coniunx ipsarum dicitur. Vnde si à dextris influit, placidos imbres in nos immittit; si à sinistris è contra. Ideo est magis varia in motu scilicet in effectibus cæteris superioribus. Et nedum Malchut Luna archetypa fœcundatur à nominibus proprijs applicatis decem annumerationibus, quin etiam quando conuenit cum reliquis agnominibus numero non determinatis: quæ stellæ dicuntur, ratione multitudinis & claritatis influxuum, ideò, Luna alter sol non incongruo à quibusdam appellatur: nam ea, quæ sol superius vi masculina generat, hæc ipsius, & aliorum planetarum fœtum suscipiens, inferiori mundo, sibi vicino ædit. ideo eius motus præ cæteris obseruatur, quasi omnium conceptum pariens: à Mercurio enim accipit vim humores commiscentem: à Venere eam, quæ conducit ad formas, geniturę conuenientes: à Marte robur,

robur, & impetum : à Ioue naturalẽ ſpiritum, & rerum omnium fomentum: à Saturno com paginem, & ſtabilitatem : ſed à Sole, qui omnimodam virtutem continet (vt omnes aſſerunt aſtronomi) omnimodam fœturam, & lumen, quæ omnia variè explicat, pro varia ſui complexione, giro, & aſpectibus diuerſis, tam cum planetis, quàm cum alijs ſyderibus. nunc etiam eſt in auge, nunc depreſſa, nunc in extremo ſui epicicli diſtat ab ea. nunc luminis plena, nunc media : nunc vix cernitur: poſtea penitus occulta. ideò non ab re aſsimilatur ei illa ſuprema Luna, Malchut appellata: quę illa, quæ à ſupernis fontibus per diuerſos canales haurit, largitur inferioribus pro recipientium diſpoſitione. & quamuis ab omnibus ſephirot recipiat: id tamen po tiſsime facit à ſole. cui quoties coniungitur, toties fœtu, & viuifica repletur virtute: quam humectatis, & bene diſpoſitis inferioribus in fundit. Ab ipſa quoque vnaquæque res dependet, quouſque ad ſupremam omnium cauſam deueniatur binah, vel cheter. eſt Malchut Ianua introitus ſephirot : quæ de ſe non lucet bono influxu, niſi quantum à ſu perioribus aſſumit : ideò priuata illorum influxu, nox denominatur : nam ſicut Luna planeta de ſe non lucet, niſi ab Sole reſpiciatur : ſic Malchut Luna ſupramundana non

lucet bono influxu, nisi à tipheret sole archetypo spectetur: quod maximè erit post iudicium, de qua psalmus. Et nox (scilicet malchut) sicut dies (id est, tipheret) illuminabitur scilicet nox malchut ab ipso tipheret tanta luce, quanta modo potitur tipheret. Tunc malchut immunis erit à malis influxibus. vnde Isaias dicit. Erit lux lunæ (scilicet malchut) sicut lux solis (id est tipheret) & lux solis tipheret, sicut lux septempliciter, sicut lux septem dierum, id est, lux tipheret erit, sicut lux septem sephirot: quæ dicuntur dies, ratione lucis Diuinæ in ipsis existentis. Sol est cœlestis ignis, vt dicit Plato, omnia decoquens, quæ ad magni animalis cibum pertinent. Dictus est Apollo (vt Speusippo platonico placet) eo quòd vis eius ex multis ignibus constet: omnium scilicet syderum vim & lucem solus continens. nec stellarum concursus suos conducunt effectus, quousq; phœbeo semine grauidentur. Cui & gallus (qui dat vt oua gallinarum fœcunda sint) dedicatus est. Hinc opinabatur Chrysippus Apollinem dici ab à quod est sine, & poly, multitudine, quasi solus sit cœlorum & syderum vim continens. Vnde & Latini solem dicunt, quasi solum lucentem. Et assyrij Adad, quod lingua eorum, solum, significat. Hebræi verò semes, שמש, quod

quod proprium interpretari poteſt, eo quod lux, & eius beneficium ſibi ipſi proprium ſit. Alia autem ſydera ab eo vtrunque impartitum habent: lucetque tanto excellentius, quanto ſublimior eſt ignis ille cœleſtis hoc elementari. Calefacit vterque, ſed intro-pellendo, ille remotiſsimis, vt etiam in viſcera terræ penetret eius radiorum virtus: qua metalla coquit, & perficit, quæ hic elementaris poſtea expurgat. Vulcanus quoq; is dictus eſt à maiori vi, ac violentia ignea: aut quia canus, id eſt, candidus in flamma volat: ille verò cœleſtis dicitur Phœbus à ſpecie & nitore, vnde pulcherrimum fingebant Antiqui. Medicinæ inſuper inuentorem dicebant, ex calore viuifico, & benefica virtute. Fugat ille ſol, vel cœleſtis ignis leones, lupos, & quæque ſilueſtria inimica nobis. per concurſus etiam radiorum, & aſpectuũ, conuenientibus ſtellis & imaginibus illis, peculiari quodam concordi conuentu, multa fiunt in elementis. Et horum omnium virtus, per ſolem, tanquam per verum cœli gallum confouetur: qui & communem vitæ vim, & particularium virtutum ſemina fundit, cuius ſeminis grauidata ſydera, maximè Luna, tempore ſuo in nos fœtum diffundit, tanquam matrix: non tantum Solis, ſed aliorum planetarum (vt ſupra dixi) à qui

bus omnibus ſemen, & influxus à ſuperioribus ſuſceptos, veluti domeſtica mater nobis tribuit. Hoc in minori mundo dignoſcere poſſumus. In corde enim hominis, quod Solis imaginem & virtutem tenet, & communis vitæ fons: & omnium membrorum totius corporis virtus. nam omnia quæ in corpore ſunt, à corde fomentum ſuſcipiunt, & uitæ atque motionis vim quæ à corde tranſit ad cerebrum, quod lunare eſt, & inde ad omnia membra corporis diffunditur per venas, & neruos ab ipſo deſcendentes. Et ſi homo à toto cœlo fauorem ſuſcipiat, potiſsimè tamen haurit à corde cœli, quod eſt ſol, cum ſolaris ſit homo (vt Arabes aſtronomi dicunt) & peculiari quodam munere hoc priuilegio gaudet. Hæc omnia Soli archetypo ac diuino conueniunt, qui decoquit cibum, nedum animalis mundi maioris; quin etiam & minoris mundi hominis videlicet: qui ſecundum theologiam Hebræorum vtriuſq; ſolis influxu decoratur. Quod & docet eius pulchra ſtatua, & erecta, humor ſubtilis, ſpiritus clarus, imaginatio præcipua, veritatis & gloriæ ſtudium: & multa in quibus homo habet, vtriuſque Solis ſymbolum, & peculiarem eius imaginem, & tanto expreſsiorem, quanto perfectior

fectior est. Hinc hominum princeps & caput Christus, plerisque in locis, sol dictus est: à cuius luminis, vitæ, & omnium bonorum plenitudine (inquit Ioannes) omnes accepimus. Haurimus quoque ab alijs planetis, & stellis: Sed virtute Solis, illas suo ipsius semine, vel virtute confouentis. Sicut in mystico corpore (quamuis præcipuè suscipiamus à corde vel capite Christo) accipimus: tamen etiam illius virtute, ab alijs membris: quæ veluti stellæ sunt in magno corpore mystico: vt Daniel & Paulus perhibent. Et sol Diuinus constat ex multis ignibus, id est, influxibus plurimorum siderum archetyporum: quæ multiplicita sidera diuina, conducere non possunt effectus suos, siue semine & influxu Solis istius. Cum sit Tetrag. יהוה, à quo duodecim auaiot eius pendent. Vnde potest dici Apollo, id est, continens vim omnium mensurarum diuinarum: omnia nanque nomina, & agnomina diuina à tetrag. pendent (vt patuit) super illam. Ideo solus lucet, scilicet à se: & est proprium illi lux boni influxus. Et in tantum calefacit omnia tam archetypa quàm humana, & Angelica, tam longinqua, quam propinqua, quantum ipse illa exce-

la excedit in dependentia. Vnde poteſt dici vulcanus, à maiori vi influxuum. Vnde candidus dicitur, quia volat præſto exiſtens in influendo & ſuccurrendo: Quare pulcherrimus dicitur: quo pulchra ſunt omnia: etiam infirma in deformitate deducens ad conformitatem, viuificando, & beneficando illa. Fugat lumen iſtius leonis, & quasq; feras Diabolicas nos infeſtantes. Vnde canit Dauid. Ortus eſt Sol & congregati ſunt, & in cubilibus ſuis collocabuntur: prouidet tamen etiam illis de cibo ex beneficentia ſua: Vnde ſubinfert. Catuli leonum, id eſt, demonum, rugientes & quærentes ab eo eſcam ſibi. Et, ſi concurſu virtutum archetyparum fiant multa in his inferioribus, non tamen abſq; concurſu iſtius ſolis: cuius virtute grauidata ſydera archetypa, maxime Luna Malchut: fœtum in nos diffundit tanquam mater omnium effectuum à conuentu ſyderum cœleſtium productarum. Hæc tamen omnia fiunt principaliter à Tipheret Sole, tanquam à corde omnium fonte, ſuſcipiunt enim ab eo fomentum vitæ ac motionis vim. Dicit ergo concluſio (cum fiat lux ſpeculi non lucentis) id eſt, lunæ malchut (ſicut ſpeculi lucentis) id eſt, tipheret (erit nox) id eſt, malchut de ſe non lucens (ſicut dies) id eſt, cæteræ ſephirot: tunc enim nox, ſicut

dies,

dies, illuminabitur ſcilicet tipheret clarior erit: & malchut etiam, & cætera queq; creata colluſtrabuntur hac luce, poſt diem iudicij: ſed potiſsimè omnes homines, dummodo non ſint inuoluti in peccatorum tenebris, vt lucem illam appræhendere nequeant: quo enim magis quis eſt diſpoſitus: eò magis ea luce perfunditur, vt de Ioanne Baptiſta perhibet ipſa lux, dicens: Ille erat lucerna ardens, & lucens. Sed magis lucebat, & ardebat illa lux vera: de qua Ioannes rependens teſtimonij vicem, ait. Ille vos baptizabit ſpiritu ſancto: qui verè eſt lux, qua illuminat agnus totam Eccleſiam triumphantem: quæ caret omni tenebra, vt ait Ioannes. Et nox non erat illic, quia lucerna eius erat agnus.

Qui ſciet proprietatem choſec, & laiela, quod eſt ſecretum tenebrarum, ſciet cur mali demones plus in nocte, quàm in die nocent.

Non ea tantum, quæ de conuenientia hominis cum cœlis, & de ſuſcipienda ab eis ſanitate, vera ſunt: ſed etiam quid vtilitatis ab eis hauritur, vt meliores fiamus: homines enim à cœlis ſuſcipiunt, vnde mores varios, & multigenam vitam componant, vt aſtronomi omnes affirmant, decernentes hunc benignum ab Ioue: illum impetuoſum ex Marte: alium ex ſole ſplendidum, & id genus multa. Suſcipimus quoq; magnam vim à cœlorum

concen-

concentu: qui nos ad concinnandos mores disponunt, nisi mala nostra dispositione obuiantes concentum in perstrepentem sonum conuertamus. hauritur etiam à cœlestibus corporibus lux, quæ tenebras, & malè operantes fugat. habet enim hæc lux simulachrum quoddam, & vehiculum numinis, & lucis illius, qui ait. Ego sum lux mundi: dum lucem habetis, ambulate in lucem, ne tenebræ (Dæmones) vos compræhendant. Dæmones propriè sunt in duplici differentia (secundum Porphyrium & Proclum) Alterum est genus animarum aut substantialium, & intellectualium Dæmonum: Alterum verò est materialium potentiarum. & huiusmodi sunt appetitus animales semper spiritui aduersantes. Vnde Satani dici possunt, id est aduersantes: vt Apostolus clarè testatur. Caro (inquit) concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem. Hæc enim sibi inuicem aduersantur. quas vires, siue appetitus animales alibi ipse Paulus vocat legem membrorum, dicens. Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. Quod nedum à Paulo, sed à Platone, Porphyrio, Proclo habemus: maxime ubi de anima & Dæmone pertractat. Sunt quoque Dæmones boni. Dæmon enim sapiens inter-

interpretatur : qui ſi bonus, diuinus : ſi verò malus, Diabolus eſt. Dæmonum genera multa ſunt ſecundum noſtros theologos : ſed Michael pſellus de mente Platonis, Porphyrij & Procli, reducit eos ad quatuor genera præcipua : terreum videlicet, aqueum, aereum, & igneum. Terrei enim aduerſantur nobis per carnem, aquei per ſanguinem pituitę admixtum, aerei per ſpiritum ſuperbiæ tumefacientem, ignei verò per eſcandeſcentem & inflammatam iram præcipitant. ſunt etiam aliqui orientales, alij occidentales, alij Meridionales, & alij Aquilonares : quorum primi per diuinationes, ſequentes autem per deſperationem : tertij per nimiam fiduciam, quam habent de bonitate Dei : Aquilonares verò per rebellionem mortales à Deo auertere conantur cum damno ſuo, quia tam mala arbor effecti ſunt, vt non poſsint, niſi malos effectus ſiue fructus producere. non enim poteſt arbor mala bonos fructus facere (ſecundum veritatem Chriſti). vnde in ipſis habet locum illud Ieremię dictum. Si poteſt Æthiops mutare pellem ſuam, & pardus varietates ſuas : Ita & vos poteritis bene facere, cum didiceritis malum. & laqueos tendit in nos arte maligna. quia natura peruerſus, aſtutus & iniquus eſt: vt ſcriptura teſtatur dicens : Serpens erat aſtutus

ſtutus ſuper omnes feras agri : qua aſtutia ſemper in nos abutitur. Quales autem laqueos, & qua multiplici aſtutia in nos tendit explicare nequimus: cum mille nocendi artes habeat: Vnde ſibi nomina mille: vt ſapienter poeta canit: Quas aſtutias colligens papa Leo inquit. non deſinit antiquus hoſtis vbique laqueos tentationum protendere: vt fidem credentium corrumpere valeat. nouit enim cui illecebras carnis ingerat, cui virtus inuidiæ infundat, cui incitamenta luxuriæ apponat. nouit, quem mærore conturbet, quem gaudio fallat, quem metu opprimat, quem admiratione ſeducat: omnium diſcutit mores, omnium ventilat cauſas, omnium ſcrutatur affectus, inquirens cauſas nocendi: vbi viderit quempiam diligentius occupare. Et ſicut tenebrarum principes in tenebris ipſis robuſtiores fiunt (vt dixi) ſic & Angeli lucis, nobis fauentes, virium incrementa ſuſcipiunt à luce, non modo diuina, ſed ſolari etiam, & cœleſti: per quam illa quæque diuina, & ſuprema lux ſplendeſcens, virtutem quandam cœlis: & per ipſos inferioribus influit, a patre enim luminum, à quo omne datum optimum, venit, & eſſe, & motus, & generatio, & omnis operans virtus tam in cœlis, quam in elementis, plantis, animantibus, & hominibus:

bus : ſed illa omnia per cœlos, tanquam per media, & inſtrumenta : fomenta quædam ſuſcipiunt : quæ naturalia dona dicuntur. Fugat hæc ſolis lux tenebroſos principes, ac eorum turmas : vnde in Iob dicitur. Cum viderint Auroram, arbitrantur vmbram mortis. Et, ſicut nox priuata lumine, eis fauet, vt ſint potentiores, ſic lux eos debilitat, vt amittant robur. Dæmones magis in nocte, quàm in die præualent : Quia ex ſiniſtro & obſcuriori latere ſunt. Vnde Apoſtolus vocat eos poteſtates tenebrarum, & Chriſtus loquens excitatis ab eis in necem ſuam, dixit. Hæc eſt hora veſtra & poteſtas tenebrarum. præualent etiam in nocte, quia aduerſantur Deo, qui eſt princeps lucis, lucemq; ipſam inhabitat. Vnde neceſſe eſt, quòd ad tenebras confugiant, & recedente luce eis inimica aliquantulum præualeant. pater de malo Angelo luctante cum Iahacob : qui adueniente Aurora, dixit. Dimitte me : quia Aurora eſt. ſuperabatur à Iahacob, deueniente Aurora lucente : ideo pſalmus dicit. poſuiſti tenebras, & facta eſt nox : in ipſa pertranſibunt omnes beſtię campi : catuli rugientes leonum, vt quærant eſcam ſibi. De quibus ait Petrus. Aduerſarius veſter Diabolus, tanquam leo rugiens, circuit, quærens, quem deuoret. poſtea ſubdit Dauid.

Hortus

ortus eſt Sol: & congregati ſunt: nam (vt dixi) amittunt fortitudinem. Sequitur. Exibit homo ad opus ſuum. tunc enim Dæmones non tantam habent potentiam nocendi hominibus in luce: quantam in nocte. Lumen quod expandit Deus ſuper terræ terminos (ſecundum Iob) eſt lumen illius, qui omnia in omnibus operatur, & eſt multifariam. Aliud enim eſt lumen, quod dat formam, & eſſe particulare rebus: quod iuſsit opifex expandi ſuper materiam informem, quando dixit. Sit lux: qua videlicet informetur materia tenebroſa: & per quam pateant, & videantur formata vt Plato exponit. Aliud eſt homini conceſſum, quo Deum videre poſsit. Iuxta prophetæ dictum. In lumine tuo, videbimus lumen. nec enim Deum videre poſſumus aut contemplari, niſi quatenus ipſe per radium ſuum ſe nobis inſinuauerit: vt docet Dionyſius. Quemadmodum enim non videtur Sol, niſi ipſo ſolari lumine: ita nec Deus videtur, niſi lumine diuino. Eſt aliud quoque lumen legis illuſtrans nos circa facienda. De quo lumine propheta canit. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis. Et, propter hoc dicit Pythagoras. In omni diuino ſermone, lumen habendum eſt. Vnde in Leuitico dicitur coram

altari

altari Dei, ignis ſemper ardebit: cuius rei interpretatio eſt: quod ſemper cum de diuinis loqui voluerimus, diuinum lumen, per oracula nobis prȩſtitum, id eſt, per legem, aſcendere debemus: ſine quibus oraculis (vt Plato docet) de Deo minime loquendũ eſt. Sicut Sol non videtur niſi per lumen ſuum (vt dixi) ſic Deus non cognoſcitur niſi Diuino lumine: & quatenus ipſe per radium ſuum (vt Dionyſius ait) ſeſe nobis inſinuauerit: iuxta illud pſalmographi. In lumine tuo, videbimus lumen. de quo loquens Salomon ait. Delectabile eſt videre lumen: quoniam in lumine beamur, & verȩ ſapientiȩ compotes efficimur. Ad quod lumen & ſplendorem (ſecundum Zoroaſtrem) feſtinandum eſt. Et quale ſit ille ſplendor declarat, dicens. Feſtina ad ſplendorem patris, vnde tibi demiſſus eſt animus. Qui pater à Iacobo dicitur pater luminum. à quo lumine, venit lux meſsiah illuminans omnẽ hominem. Ideò canit eccleſia. Lumen de lumine. Venit quoq; inde omnis anima, radius quidam Diuinitatis exiſtens, quo .ſ. ad eſſe ideatum: quod lumen primũ vocant Hebrȩi enſoph, ſiue corona ſuprema. Et ad dirigendũ in hoc lumẽ, indigemus diuina luce legis nec mirũ, ſi lux iſta nobiliſsima multigena ſit: cũ & anima ipſius lucis ſit radius (vt Triſmegi-

ſtus ait) in corde viuificet, in cerebro intelligat, in oculis videat, & lux itaque optima nota in patre luminum eſt vera lux: in filio ipſius bonitatis exuberantia, & ſplendor illuſtrans. In ſpiritu ſancto, ardens fulgor: in Angelis, ſplendens intelligentia, profuſumque gaudium. in homine, perlucidus rationis diſcurſus: in cœleſtibus, ſplendor viſibilis. in igne vitalis vigor. In perſpicuis corporibus, color. in opacis, virtus quædam benefica, & generans: in centro verò, calor crucians & exęſtuans: adeò vt omnia lucis beneficia perſentiant. Demptis tenebris, ideſt, Dęmonibus & damnatis, quibus opponitur lux, tanquam tenebris ſibi contrarijs. Vnde non ab re primi pullulantis Eccleſiæ ſapientiſsimi inſtitutores, lumina iuſſerunt ad mortuorum cadauera accendi: à quibus non amoueantur, quouſque perfectis ſacris ſacræ terræ condantur. publicasque orationes, & pſalmodias, accenſo lumine, fieri docuerunt: quod & Deus, cui ſacra ipſa exhibentur, exquirit ſcilicet vt omnia ſacrificia igne offerantur. & in altari ſemper, qui lucet, ardeat. Lux igitur inimicatur Dæmoni, ſecundum ſaluatorē, vi quadam hauſta ab eo, qui dixit. Ego ſum lux mundi. Dicit igitur concluſio. (qui ſciet proprietatem choſec) חשך ſignificat tenebram, & caliginem. Vnde

de chaſac חשך ſignificat caligauit, obſcuratus eſt, obtenebratus eſt, inde macſach, מחשך, id eſt, obſcuritas. In conſtructione chaſchim חשכים, id eſt, obſcuri, ignobiles. Similiter, Laiela לילה ſignificat noctem, à quo deſcendit lilit לילית, idem, animal ſilueſtre, lamia, furia, aut ſecundum alios, auis quæ de nocte clamat. Alij putant quòd ſit animal quod in tenebris noctis obambulat. Magiſtri etiam ſic vocant Dæmonem familiarem, lares, laruas, & melancholicam apparitionem, cæteráque ſpectra. Lais ליש etiam ſignificat leonem magnum multorum annorum. Tranſlator noſter vertit, tigris. Hæc omnia ſignificata competunt principi tenebrarum: eſt enim ipſe in tenebris, immo ipſa tenebra & caligo, priuata illa luce diuina, quæ tenebras expellit dempto illo principe tenebrarum & ſequacibus ſuis: qui ab eo obſcurati ſunt, obtenebrati, & ignobiles facti. Factus eſt etiam ipſe tenebrarum princeps, nox, animal ſilueſtre. Leo (vt dixi) lamia, furia, & auis nocturna, non præualens ſufferre lucis ſplendorem: ideò per belle dicuntur: animal ambulans in tenebris, non valens diei aura frui. Ideo multorum annorum Leo dici poteſt, cum ab origine ſui eſſe cœperit animal nocturnum, & obſcurum. Dicit igitur concluſio. (qui ſcie-

rit proprietatem choſech) id eſt, tenebrarũ: quomodo ſcilicet contrariantur luci (& laiela) id eſt, noctis (quod eſt ſecretum tenebrarum) ambo enim termini iſti tenebram ſignificant, quæ luci opponitur (ſciet cur mali, &c.) quia noluerunt lucem illam admittere: ideò (vt inquit Iob) rebelles lumini fuerunt; & tenebræ affecti. Quorum caput in rebellione illa princeps tenebrarum dictus, & factus eſt. Ad cuius ſtipendium accedunt omnes obtenebrati: qui lucem illam, omnem hominem illuminantem, ſuſcipere negligunt: qui enim male agit, odit lucem, teſtimonio Ioannis. nec tamen ſunt penitus ab illa luce ſemoti: adhuc enim beneficium lucis ſuſcipiunt, quo viuunt. Duo enim præcipua emolumenta habemus à luce: alterum eſt vita, qua viuimus: alterum lux, vel lumen, quo poſsit ipſa videri. Qui igitur in tenebris ſunt, viuunt, & non cognoſcunt: in tenebris enim lux remanet, vt platonici dicunt. Sicut frigus ſe habet ad calorem, & albedo ad nigredinem: ſic tenebrę ad lumen: ſed in nigredine eſt exiguum album: in frigore paruus calor: ſic etiam in tenebris eſt modicum lumen: quo viuant: & non quo intelligant: & ita ſunt Dęmones: quare cum tenebra conueniunt.

Licet fiat multiplex coordinatio curruum: tamen quatenus attinet ad philateriorum mysterium duo sunt currus ordinandi, ita ut ex. 2, 3, 4, & 5. fiat unus currus. & sunt quatuor philateria: quæ induit uau. Et ex 6, 7, 8, & 9. fit secundus currus, Et sunt philateria, quæ induit ultima he.

Ordo sephirot variè disponitur, prout ad intra, & ad extra operari habeant: vnde Ioannes in Apoc. scribit duodecim Angelos præsidere duodecim portis illius ciuitatis cœlestis: qui summo, & indefesso concentu girant, & influunt in portas illas: quæ sunt signa stelliferi cœli. quorum capricornus est porta ascensus præcipua: & cancer descensus: cætera verò cum alterutro illorum conueniunt. In hæc autem signa girantes influunt multigeni Angeli: sub eis tamen duodecim ordinati, eum influxum multiplicem, & suauissimum: quem à Diuino nomine suscipiunt, duodecies reuoluto, communicant. Meminit etiam Io. de septem spiritibus, quos dixit pręsidere septem planetis .i. septē inferioribus dimensionibus, nobiscum agentibus. prout autem operantur, alium habent ordinem. de quibus omnibus super porta lucis. notandum est tamen, quod Deus in nobis imaginem suam posuit, non similitudinem: sed illam in libero nostro arbitrio, &

voluntate relinquens: vt, qui velint, illam posſit acquirere: ideo 613. præcepta dedit Deus, vt per illorum obſeruantiam, posſint talem acquirere ſimilitudinem, & ſimiles Deo fieri. Inter quæ præcepta vnum extabat, videlicet, quod illi qui orare volebant, habere tenebantur appenſa in brachio philateria, vt ſimiles redderentur archetypo: in quo ſunt hæc philateria, ſephirot nominata, ſicut patet in arbore dicta Ilan. De hiſce locutus eſt Chriſtus, quando dixit. Dilatant philateria. Sicut igitur ſacerdotes Chriſtiani, ſacra celebraturi, induunt ſe planetas, crucem habentes, ad ſignificandum, quod pasſionis, & crucis Chriſti memoriam facimus: ita (vt habetur Exodi 28.) ſacerdos ſummus cum vellet in ſanctorum ſancta orare, habebat in choſech, quod eſt ſuperhumerale, duos lapides: in quibus ſculpta erant duodecim nomina, duodecim tribuum, ſex pro quolibet lapide: in ephod autem anteriori in parte erant in quadro duodecim lapides: in quibus duodecim nomina erant duodecim patriarcharum. In clamidis fibrijs erant ſeptuaginta duo tintinabula, & ſeptuaginta duo mala punica, quæ deſignabant ſeptuaginta duas nationes, & linguas. quæ in turris Babel ædificio exortæ fuerunt. Et, hæc, ſignum erant ſummo ſacerdoti, vt primo ſacrifi-

crificium pro ſuo populo, ſignato in illis duodecim lapidibus, in pectore exiſtentibus: deinde pro ſeptuaginta duabus nationibus offerre debebat. Et, ſi caſu contigiſſet, populum Iſraelis non fuiſſe benemeritum propter delicta illius influxus: hoc ſtante, talis oratio ad ſeptuaginta duas nationes tranſibat, & illis proficiebat. Et hoc eſt, quod multoties nationes contra Iſraelem præualebant. Habebat igitur ſummus ſacerdos hos lapides ſupradictos, ac mala punica, & tintinabula: vt magis memor fieret, & efficacius moueretur ad orandum pro illis, vt dixi de planetis crucem habentibus: ideo permiſſæ ſunt imagines crucifixi, & aliorum ſanctorum, vt eorum merita, & beneficia, nobis exhibita, memorentur, & vt cor noſtrum ad eum eleuetur: quia valde congruum eſt, per ſenſibilia ſpiritui opem ferre. & facto Chriſtus hæc nos docuit: qui in perpetrandis miraculis, naturæ auxilium adhibuit: patet in aqua, quam in conuiuio in vinum conuertit: quia diſpoſita erat illa materia ad eam formam ſuſcipiendum. Hoc fecit Chriſtus, non quia non poterat producere vinum, niſi materia aquæ præſuppoſita: ſed cum Mundum fecerit ex nihilo (iuxta illud Ioannis: omnia per ipſum facta ſunt) potuiſſet quoque vinum ſine aqua facere. Fecit igitur

id, vt innueret (quod & alibi fecit) quòd ipſe naturę author medijs vel cauſis naturę ſemper vtitur: quouſq; natura ipſi ſuffragatur. Hinc & ad informandos oculos ceci nati accepit puluerem conficiens lutum: ex quo & totum primum corpus humanum confectum eſt. Sic & in cibo & potu Diuino nobis præbendo accepit panem & vinum. Vnde docemur non eſſe quærenda miracula, ubi natura ſuffragari poteſt: quia id eſt abuti diuina virtute: & curioſitati vel gloriæ vanæ cedere: qui miracula abſque neceſsitate appetit. Et, ideo iuſsit Chriſtus hydrias illas repleri aqua, quia vt diximus, aqua eſt materia vino proxima. nam vinum, nihil aliud eſt, quàm aqua per vitem diſtillata: Vnde in iam diſpoſitam materiam forma introducta fuit, ſine multa elongatione à progreſſu naturali. Sunt tamen alia ſacramenta incluſa, quæ pro nunc relinquo. In altaris item ſacramento apponitur aqua vino: quæ facilè in ipſum tranſmutatur: & vinum in ſanguinem: & hoſtia panis facilè formam carnis aſſumit. Ad propoſitum concluſionis: Dicit auctor, quod vau eſt arbor vitæ. ideò, qui vult fructus arboris huius aſſequi vitæ, gratiam videlicet, & gloriam: portare debet philateria. Sunt.n. in hac arbore vau tipheret, omnium aliarum

ſephirot influxus, ſuperiorum videlicet, vt puta ſecundæ enumerationis chocmah, tertiæ binah, quartæ gedulah, quintæ gheburæ. Ex his quatuor vnus fit currus, quatuor rotarum quæ in vau arbore vitæ tipheret continetur. ideò periti hac in ſcientia Iudei, cupientes auxilium ab illis quatuor prænominatis dimenſionibus, ponebant quatuor illas dimenſiones coram ſe, & dicebant. Rogamus te Domine Deus, vt per vau (id eſt, meſsiam, qui eſt vitæ arbor, in quem quatuor illę ſuperiores dimenſiones influũt) vt nos exaudias. Et ſi Chriſtus ſit arbor vitæ, & arbor ſcientiæ boni & mali, habuit nihilominus doctrinam à patre. Sicut enim arbor omnem vim ſuam tranſit à ſemine, conſota & irrigata terra à ſuperno influxu: ſic Chriſtus virtutem ſeminariam habuit à patre. Ipſe enim pater memoria fœcunda dictus, ſemẽ aut germen produxit in arbore illa, quæ irrigata fuit, & continuè irrigatur ab influxu ſuperiori, patris videlicet ipſum filium continuè producentis. Sicut Doctores ſanè exponunt dictum prophetæ. Ego hodie genui te. nã pater ſemper genuit, & quotidie generat filium. Quẽadmodum ſol ſemper produxit, & continuè producit radios ſuos. Fouetur autem hęc arbor, quę Chriſtus eſt, in terra viuentium: quę eſt Diuina eſſentia, ei à patre communicata,

vt bene

vt benè ſapientes exponunt illud Chriſti. Quod dedit mihi pater, maius eſt omnibus, id eſt, diuina eſſentia. Et dicitur hæc arbor ſita in medio paradiſi: quia Chriſtus eſt perſona media inter patrem & ſpiritum ſanctum. Et etiam (vt dicunt ſecretiores theologi) quia in archetypo eſt quoddam ſpacium immenſum habens dextrum gratiæ, & ſiniſtrum iuſtitiæ: in medio autem eſt arbor vitæ, vitam præbens: & arbor ſcientiæ boni & mali. Quæ arbores idem ſunt, diuerſis tamen vocabulis propter varios effectus nominatæ. nam Chriſtus in eo, quòd continebat verbum omnia viuificans, ſeſe vitam & panem vitæ nominauit. in eo autem, quòd ſe omnium iudicem declarauit, fuit arbor ſcientiæ boni & mali. nec enim ſcit bene iudicare, qui non nouit bonum à malo dignoſcere. Vt igitur Chriſtus apertè innueret ſe tenere hunc locum medium, naſci voluit in medio animalium: diſputare in medio doctorum: verſari in medio diſcipulorum: mori in medio latronum: & tandem iudicaturus omnes ſtabit in medio bonorum & malorum: vt vnicuique tribuat quod ſuum eſt. Ideo dixit oraculum Gabrielis. Regnabit ſcilicet Ieſus, in domo Iahacob in æternum. Iahacob enim in archetypo, ſiue in ſupernis manſionibus medium tenet inter Abraham,

braham, qui dextram tenet, Iſahac, qui ſiniſtram poſsidet. Ideo optimè iudex ſedere debet inter dextram pietatis, & ſiniſtram iuſtitiæ: vt hanc cum illa contemperet. Hinc Dauid optans hoc auxilium, & influxum, dicebat. Reſpice in faciem Chriſti tui, futuri videlicet, nobis propitiaturi. Et in geneſi, dicit Deus. Recordabor ſigni fœderis mei, id eſt, Chriſti: qui fœdus eſt inter Deum, & hominem. In ſecundo curru, quatuor ſunt rotæ, videlicet ſexta tipheret, ſeptima nezach, id eſt, fortitudo: octaua hod, qui eſt decor. nona quæ eſt Ieſoth, id eſt, fundamentum, & pactum. Et in orando dicebant. Domine Deus rogamus te, vt per iſta quatuor adiuues nos. & quatuor nomina ponebant ante oculos, vt magis, ac magis ad deuotè orandum promouerentur. Ideo Abraham in geraris exiſtens, adiurauit fidem cum illo Rege, apponendo ſeptem agnas: quæ ſeptem ſephirot præfigurabant. nam iurare, & ſeptenare eiſdem literis hebraicè ſcribuntur. quaſi dixerit: iuro per ſeptem dimenſiones inferiores, vt mihi non influant, niſi reddam tibi, quod promiſero. Vnde iurare ſignificat, & ſeptenare. phariſæi etiam per fimbrias ſephirot haſce præſentabant, easq; dilatabant: vt ſe oſtentarent obſeruatores influxus illarum, & dignos tali fa

uore

uore. quos Christus reprehendit, docens, quod magis efficimur digni influxu tali per munditiam cordis, quàm per extrinsecam simulationis apparentiam. Dicit conclusio. (Quæ induit he) he ה vltima litera Tetrag. est sigillum Malchut: in quam influxus illarũ quatuor rotarum vltimarum, vel philateriorum, vel sephirot deuenit. frustratoria ergo non erant philateria in Iudęorũ vestimentis. quæ quatuor ante, retro, à dextris, & à finistris deferebãtur: vt philateria illa, & fimbrię, memoriæ eorum traderent diuina philateria, & vt ad ipsa fiducialiter recursum haberent.

Supra proprietatem pœnitentiæ non est utendum uerbo dixit.

Hebręi duo hęc vocabula, Diber דבר, & amar אמר, quorum significatum est, dixit, habent. patet Esaię, vbi habetur. Vaidaber Adonai le mose vagiomer elau. וידבר אלהים אל משה ויאמר אליו. vbi noster traductor habet. Et locutus est Dominus Mosi, dicens ad eum. Hoc verbum vagiomer ad malchut refertur: vaidaber verò ad tipheret. Et, sicut vitam in planetis ad Solem influere attinet, & illam exequi ad Lunam: quia superioris fauore mouetur fauor, & inferioris: Sic in Diuinis, fauore Solis tipheret mouetur & Lunæ Malchut. & omnes dimensiones Diuinę suum habent effectum ab illo. peccato-

rum

rum autem remiſsio quandoq; fit à corona ſuprema cheter, immediatè, patre vocata: quádoq; à filio chocmah: nonnunq̃ à binah ſpiritu ſancto. de filio patet, quando dixit Magdalenę. Remittuntur tibi peccata tua. de ſpiritu ſancto item, quando idem dixit. Accipite ſpiritum ſanctum. quorum remiſeritis peccata, &c. De patre dicunt Hebręi (maximè Zohar) quod, ſi quis poſſet immediate patris pręſentiam adire, ilico abſq; alio medio gratiam conſequeretur. ideo Chriſtus, docens orare, dicit. Cum oraueritis, dicite pater noſter. Paulus item vocat illum miſericordiarum patrem, & totius conſolationis Deum. Si ergo cheter pater poteſt immediate remittere, & quandoq; remittit, ſequitur, quòd in ueniæ impetratione pro peccatis, non debemus vti verbo, dixit, ſcilicet vaidaber, quod filio competit: nec vti debemus illud, dicens. id eſt, vaiomer, quod ſpiritui ſancto attribuitur, quia ad patrem immediate eſt accedendum. primam menſuram in Diuinis, Hebræi appellant coronam ſupremam: & Chriſtus illam patrem vocat. à quo primo emanat filius, qui ab Hebręis chocmah, & à nobis ſapientia dicitur. & ab vtroque ſpiritus producitur. Et omne generans prius eſt illa genitura fœcundus: ideo pater prior eſt cęteris perſonis. Qui filius in

fonte

ſonte illo ſupremo paterno exiſtens tanquam idea & principium pullulatiuum, nunquam ab vnitate recedit. Vnde Chriſtus volens explicare illas ſanctiſsimas perſonas producentes & productas: non aliter expreſsit niſi per relationes quaſdam, vocans patrem, filium, & ſpiritumſanctum. pari modo, & in omnibus quæ agit nobiſcum: ſortitur aliquod nomen relatiuum: per quod opus quoque ipſius iudicetur. Dum enim Mundum fabricauit, ſortitus eſt nomen fabricatoris, ſiue creatoris: & id reſpectu creaturæ productæ. Similiter, dum regit, & gubernat ipſum mundum, dicitur rector, & gubernator: ac per regimen & gubernationem coniungitur nobiſcum: ſicut & per creationem, quando creauit, aut produxit. ſic denique ſemper reperies Deum agere, & coniungi nobiſcum· per relationes quaſdam: quæ an ſint reales, vel rationes vt diſputatur à Theologis, non ſit contentio ad præſens. Et dum etiam re ipſa, ſeſe in nobis: non modo per gratiam, ſed meliori modo diffunditur. Ex iſta diffuſione reſultat relatio replentis ad repletum. Et non contentus Deus his, poſuit etiam multiplicem trinitatem in rebus: vt cum eadem omnia ſimulachrum: aut veſtigium Dei trini habeant, ſaltem in hoc: quia cuncta habent egreſſum, & principium

à Deo,

à Deo, progreſſumque ac finem in ipſum à quo proceſſerunt. Quod principium & finis eſt ipſe Deus pater ſicut per literam ſigilli eius quod dicitur aleph א patet: quæ litera eſt prima in ordine literarum, & vnitatam ſignificat: quæ principium eſt numerorum & finis. ideò aleph א mille ſignificat in numeris, finem videlicet & terminum omnium numerorum, decadum, & centenariorum: innuens illud quod eſt principium, & finis omnium, eſſe penitus vnum. Deus igitur vnicus in ſeipſo exiſtit: & etiam diffuſus in multigenas creaturas: ſicut vnum diffunditur in omnes numeros, nunquam diſcedit ab vnitate ipſi propria, & peculiari. immo ex hac vnitate, omnia in vnum redigens ſiue colligens, temperata & concinna reddit. Et ſicut vnum colligit omnes numeros, poſt quadratum primi numeri in denarium, & poſt tot denarios quot ſunt vnitates in denario, colligit ipſos denarios in vnũ centenarium. Et denique enumeratis tot centenarijs, quot numeri, & denarij, colligit omnia in millenarium: quod ſignificatur per aleph א. Quod millenarium eſt obiectum ſalutis: quia eſt finis omnium vt dixi: & patri appropriatur, ratione ſigilli ſui aleph. Et ideo bene dicit concluſio: quod in pœnitentia, non debemur recurrere ad filium:

nec ad

nec ad ſpiritum ſanctum: ſed ad patrem, cui attribuitur remiſsio peccatorum: cum ſit principalis fons midah rachamim. id eſt, miſericordiæ purę, iuſtitię ſeueræ nullatenus ad mixtæ, ſine cuius remiſsione, nullatenus peruenire poſſumus ad illud obiectum ſalutis. Alijs in votis obtinendis ad alias dimenſiones acceſſus haberi poteſt, ſecundum eorum proprietates, vt ſatis declaraui in porta lucis. Ad concluſionem (ſupra proprietatem pœnitentiæ) id eſt, qui vult delictorum veniam (non eſt vtendum verbo dixit). id eſt, non eſt confugiendum ad filium, nec ad ſpiritum ſanctum primo, ſignatos, per vaidaber, & vaiomer: quæ dicere ſignificant. Et, quoniam dicere Dei, eſt facere, & perſonæ Diuinæ ſunt, quæ operantur: operationes enim ſuppoſitorum ſunt: hinc eſt, quod hęc duo verba illas præſentant perſonas: ad quas (vt iam diximus) pro delictorum venia confugiendum non eſt: potius enim ad iudicandum aditæ ſunt, quàm ad prorſus remittendum: ſed ad patrem, qui (teſte Chriſto) neminem iudicat: ſed omne iudicium dedit filio, ſicut decantat Eccleſia: inde venturus eſt iudicare viuos & mortuos. De patre verò idem dicit. Venite benedicti patris mei, &c. & alibi: pater veſter paſcit ea, &c. Vidit illum pater ſuus, & miſertus eſt, Luc.

Dimitte

Dimitte pater illos, quia nesciunt, quid faciunt Luc. & Ioan. pater saluifica me. Idem. pater meus amat vos. Vnde loquens Christus de eo, ait. Qui me misit, mecum est, nec reliquit me solum. Quia vnum & idem erat cum patre in essentia. Sicut sæpe idem alibi fatetur, dicens. Ego & pater vnum sumus. Vnde etiam inquantum homo semper fuit cum patre, quia nunquam ab eius discessit voluntate: & ab ipso nunquam derelictus est. pater enim nullum derelinquit, nisi eum qui per mala opera ab eo recedit. Et de huiusmodi conqueritur ipse pater, dicens. Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ. Quod exemplo declaratur illius patris (vt Saluator perhibet) qui habebat duos filios, quorum alteri dixit. Fili mi semper mecum es, & omnia mea, tua sunt. nec alterum dereliquit, nisi derelictus ab eo: & redeuntem alacri vultu suscepit, donans ei stolam primam: vt videlicet nuditatem ex peccatis contractam tegeret. Vnde celebrari iussit eius aduentum: vt innueret gaudium, quod fit super peccatore pœnitentiam agente, & ad patrem reuertente. De quo gaudio ipse saluator paulo ante dixerat. Et Christus in prædicatione sua sitientes inuitabat ad hunc fontem: sicut & ipse in agonia positus cucurrit ad eum, dicens. pater si possibile est, transeat à

me calix iſte. Confugit Ionas ad mare iſtud ſuperexcelſum, id eſt, ad aquas miſericordiæ paternæ & gratiæ, quam procurauit Niniuitis. Ideo Chriſtus in ſignum paternæ clementiæ, poſuit initium ſalutis noſtræ in aqua baptiſmali.

Cum dixit Iob. Qui facit pacem in excelſis ſuis, aquam intellexit auſtralem, & ignem ſeptentrionalem, & præfectos illorum: de quibus non eſt vltra dicendum.

Chriſtus pro nobis vera hoſtia effectus eſt, holocauſtum, ſacrificium, peccatarium, culpatarium, & pacificorum oblatio. Hoſtia eſt effectus: quia Hoſtia eſt victima illa, quæ offertur, quando quis victoriam de hoſtibus defert: ita Chriſtus, aggreſſus hoſtem humani generis, ſeipſum obtulit patri hoſtiam viuam, & victoriam reportauit. vnde Paulus ad Ephe. Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem, & hoſtiam in odorem ſuauitatis, vt, nos, debellatis hoſtibus, eriperet ex eorum manibus. Fuit quoque Chriſtus holocauſtum, quod totum comburebatur: vel quia aſcendens dicitur. Combuſtus fuit Chriſtus igne amoris, & conſumptus, & in ſpiritualem naturam tranſmutatus: propterea transfiguratus eſt ante

ſuos diſcipulos, mutato paſsibili corpore obſcuro, & graui, in corpus agile, lucidum, & impaſsibile. poſt factum holocauſtum in cruce ſe oſtendit glorioſum, ianuas penetrans clauſas: ideo commodè dicitur aſcendens. Et combuſtus ad modum ignis ſurſum ad patrem aſcendit. Fuit etiam ſacrificium oblatum pro peccato, quod hebraicè peccatarium dici poteſt. De quo Paulus ad Corinth. Qui non nouit peccatum pro nobis peccatarium ſe fecit. non peccatũ, ſicut noſtra habet editio. Fuit inſuper culpatarium, ſacrificium videlicet oblatum pro culpa, vel pro errore, vt proprie loquamur: in quo à ſacerdote, vel vncto peccante, & à turba offerebatur vitulus, à principe verò hircus: ſed vulgaris anima capram offerebat, vel ouem. & ſanguine intincto digito ſacerdotis aſpergebatur cornu altaris, partim ad ipſius baſim fundebatur. vitulo enim hirco, & capra placabatur tribunal Diuinæ iuſtitiæ gheburah: cui omnia illa correſpondent: Quæ etiam in homine ſignificat partem illam in qua fomes eſt peccati. Et aſpergebatur cornu altaris erecti ante ipſum tribunal ſanguiſne ipſius animalis oblati, ad placandas cœleſtes virtutes, tribunali iuſtitiæ gheburah deditas: quæ ſanguinem exquirunt ab hiſce, qui ſecun-

dum carnem peccant, & ſanguinem, vt, ſecundum rectitudinem iuſtitiæ, quiſque puniretur per ea, per quę & peccauit. & hoc fiebat digito ſacerdotis: qui tanquam mediator, interuenit ad placandum Deum cum homine peccante. Chriſtus autem non ſolum ſacerdos, & pontifex: ſed etiam hircus, & vitulus, ouis, & agnus, & omnimodum ſacrificium effectus, ipſemet ſanguinem ſuū fundens in quolibet cornu altaris crucis, per amplius, & perfectius placauit æternum patrem, & tribunal iuſtitiæ Diuinæ ghebu-rah, quàm fieret ſanguine animalium: nec vacat à myſterio ſanguis, qui fundebatur ad baſim altaris in maiori quantitate, quàm is, quo aſpergebatur cornu altaris: quia multò plus eſt ſanguis, & meritum per effuſum ſanguinem acquiſitum, qui ſuperabundat, & reſeruatur: quàm ille ſanguis, vel meritum expoſitum ad cornu altaris digito veri ſacerdotis in purificationem peccantis. Sanguis enim Chriſti, & meritum eius ſatis fuiſſet, ac eſt pro millibus, & millenis millibus mundis. Maior igitur eſt pars, quę reſeruatur, quàm illa, quæ in noſtram actualem expurgationem exponitur. Fuit etiam hoſtia pacificorum: vnde Pau. pacificans per ſanguinem crucis eius, ſiue quæ in cœlis, ſiue quæ in terris ſunt. & Iob. qui facit pacem in excelſis, ſiue in ſublimibus.

mibus. Hoc poteſt intelligi de concordia, qua cœli ſunt incorruptibiles, & indefectibiles. Quamuis ipſi ex aqua & igne (vt Hebræi aſſe runt) compoſiti ſunt. Licet Philo in libro de cœlo & mundo, contendat cœlos non eſſe ex elementis compoſitos. Quod nonnulli affirmare conãtur, dicentes: quòd ſi aquei eſſent, non poſſent diuidere inter aquam & aquam. vt in Gen. habetur. puerilia ſunt hęc. nam vi demus naues, & ſcaphas diuidere inter aquas ſalſas, per quas natant, & aquas fluuiales, vel vinum, quod continent, & tamen lignum compoſitum eſt ex aqua, & alijs elementis. Sunt etiam ligati ſublimes cœli ſuis numeris, vt ad inuicem conueniant in eſſe & motu, & in influxu circa inferiora. per ſublimia intelliguntur etiam Angeli in cœlo habitantes, cum alijs habitatoribus, quicunq; ſint: quos primo Deus concordes effecit. Et, ſi aliqua perturbatio, & diſsidium inter eos ortum eſt, Redemptor ipſos reconciliauit. Iuxta illud Apoſtoli. pacificans per ſanguinem crucis eius: ſiue quę in cęlis, ſiue quę in terris ſunt. Chriſtus enim factus Rex pacificus ſubuexit pacem in cœlum, fugato antiquo hoſte, & perturbatore Diabolo: vt Ioannes narrat. Et eſt etiam ſermo de pace illa, de qua Iſaias loquitur, dicens. Et requie ſcet populus meus in pulchritudine pacis, in

tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta. Habitant enim beati debellatis hostibus pulchra victoria, in tabernaculis fiduciæ, ipsis elongatis, & firmato magno chaos inter ipsos, & in requie opulenta, expoliatis hostibus. iuxta illud Apostoli. Expolians principatus & potestates. Secundum vero Cabalistas. Facit pacem in excelsis, id est, in dimensionibus Diuinis. nam in ipsis, est aqua misericordiæ ghedulah cheset à dextris: & est ignis iustitiæ gheburah à sinistris: iuxta quem ritum tollatis hædum, qui ad sinistram dicitur collocandus, & agnus ad dexteram: vnde innuitur, quòd Christus per illa duo animalia figuratus, medium tenet, de vtroque latere participans. Vnde Ioann. Christus venit non in aqua solum; sed in aqua, & sanguine, regnans in domo Iahacob media inter Abraham & Isahac, id est, in tipheret media inter ghedulah & ghebura. In quo completum est illud Dauitici oraculi: Misericordia, & veritas obuiauerunt sibi: iustitia, & pax osculatæ sunt. Iustitia enim & veritas cum hædo in latere sinistro archetypi gheburah collocantur; misericordia autem, & pax cum agno in dextera ghedulah: medium verò locum tenet mediator Christus Iesus: nam hæc omnia in Christo fuisse necesse est. vt omnis virtus, omne meritum, & omnis gratia con-

tia contineantur, à quo tanquam à ſonte veri paradiſi delitiarum irrigetur vniuerſa terra. Vnde petentibus Iudæis verum ſignum aduentus Meſsiæ, reſpondit Chriſtus. Generatio hæc, ſignum quærit, & non dabitur ei ſignum, niſi ſignū Ionæ prophetæ. Quia ſicut Ionas fuit in ventre cæti tribus diebus, & tribus noctibus: ſic erit filius hominis in corde terræ. Ionas (purus homo, prout poterat) typum elegantiſsimum geſsit. ideo alijs omiſsis, in quibus celebrata eſt trinitas dierum: Ionam ſolummodo expoſuit, & adduxit in ſignum. profecti enim filij Iſrael de monte Ephraim perrexerunt viam trium dierum: & ambulauerunt tribus diebus per deſertum Ethan. Stetitq; Daniel in lacu leonū, & tres pueri in fornace: Ioſeph in carcere, vaticinans per trinum dierum numerum: Hæc tamen ſigna nuſquam adducuntur à ſaluatore in exemplum, & typum: ſed ſolummodo Ionas: quia in eo ſolo celebratus eſt redemptionis progreſſus. Quem vt exemplificemus, exordiemur à nomine, Iona יונה enim columba interpretatur: animal ſimpliciſsimum, quod offerebatur in purificatione mulieris maledictę, & condemnatæ per peccatum originale, vt cum dolore, & immunditia pareret. Ideo apte figurat Chriſtum innocentem, & manſue-
 tum,

tum,oblatum in oblationem, & purificationem omnium inquinamentorum, quæ contraximus per peccatum. Ionæ præceperat Deus, vt prædicaret Niniuitis errantibus. Et Christo præcepit pater, vt prædicaret & redimeret totum mundum deperditum. Timuit Ionas subire onus impositum, & fugere satagebat. & filius Dei cœpit tædere, & pauere, fugamque procurare ad patrem, dicens. Pater si posibile est, transeat à me calix iste. Confugit Ionas ad mare archetypum, ad aquas videlicet misericordiæ, & gratiæ, quas procurauit Niniuitis. confugit & Christus ad aquas salutis omnes inuitans ad illas. Orta est tempestas in mari ex fuga Ionæ aut ex impetrata venia pro Niniuitis: facta contentione ante tribunal iustitiæ Diuinæ: quæ nolebat permittere vt scelera Niniuitarum impunita transirent. Orta pari modo, & excitata est procella in cœlo, & in mundo: quia non patiebatur idem tribunal, vt liberaretur humanum genus, sola intercesione Redemptoris, absque condigna pœnitentia scelerum suorum. Factum est (inquit Ioannes) prælium magnum in cœlo, non solum ex rebellione draconis, & satellitum suorum: sed etiam: quia nolebant pati, vt humanum genus redimeretur, maximè

ximè abſque condigna pœna. Quærebat enim à Deo eſcam ſibi, vt ſcilicet deuorarent humanum genus iuxta flagitia. Obtulit ſeſe Ionas paſſurum pro Niniuitis, dicens. Tollite me & mittite in mare, & ceſſabit mare à vobis: ſcio enim quod propter me venit hæc tempeſtas: at ego non renuo mari tradi; ad quietandos hos tumultus ſuſcitatos contra peccata Niniuitarum: pro quorum venia ſum deprecatus. pari modo Chriſtus videns totum Dei tribunal agitatum: atque expectans vindictam male actorum à genere humano: & quod non poterat ſtante iuſtitia mitigari: dixit ipſe Filius Dei: Ecce ego, mittite in hoc mare memet paratum ſuſcipere omnem pœnam, quæ omnibus debetur tranſgreſſoribus, qui ſunt in hoc mundano mari. De oblatione hac facta ab antiquo loquutus eſt Eſaias: dum in eius perſona dixit. Ecce ego, mitte me. Sed de eadem facto exhibitu habemus in Euangelio: quando ipſi timenti bibere calicem paſsionis, ſemper tamen parato obedire paternę iuſsioni: miſit pater ęternus Angelum, qui confortaret eum: & exponeret quę agitabantur à tribunali Diuino. nam tunc ipſe, ſicut anteà dixerat patri, non mea, ſed tua voluntas fiat: opere compleuit, offerens ſe (vt vaticinatus eſt Eſaias)

quia

quia ipſemet voluit. Et tunc ſuſcepit iniquitates omnium noſtrum: quas pater poſuit ſuper eum. Tuncq; portauit omnes dolores noſtros, qui tot, & tanti fuere, vt clamet Ieremias: Magna & velut mare contritio tua. Chriſtus igitur harum fuit duarum dimenſionum pacificator. quæ ratione effectuum contrariæ cenſentur. pacem fecit, haſce duas in ſe dimenſiones concludendo, & earum effectus: quia pacificans inter diſsidentes interponere ſe debet: ita Chriſti domus tipheret in medio ponitur ſupradictarum duarum enumerationum. pacificauit ergo Chriſtus, per ſanguinem ſuum, quæ in cœlis ſunt: quæ igitur reſtabant in cœlo pacificanda Chriſti ſanguine? niſi intelligamus de patre æterno, & de cœleſtibus omnibus numinibus, nobis pacificatis: quando Chriſtus, ſoluens pro nobis debitum in paſſione, patri nos reconciliauit: qui in tráſgreſgreſsione peccati prouocatus fuerat Adæ. Aliam fecit Chriſtus concordiam. nam ſeptuaginta duo principes, ſeptuaginta duarum nationum Aquilonares, erant à ghebura, contrarij Iſraeli populo tipheret meridionali: & illæ ſeptuaginta duæ nationes idola adorabant: Iſrael ſolus vnius Dei veri cultum habebat: venit Chriſtus, lapis angularis, qui fecit vtraque vnum. nam idolorum

cultu-

culturam abſtulit: & vnus ſolus Deus adoratur. Vnde Plutarchus, dicit. poſt Chriſtum oracula ſiluere. Porphyrius item dicit, quòd Chriſtus abſtulit fortitudinem Deorum, ſicut promiſerat Chriſtus. Si exaltatus fuero à terra in crucem, omnia traham ad me, id eſt, ad culturam vnius Dei. Dicit ergo pacificans ſiue quæ in cælis: quia nonnulli cœlos planetas, videlicet, ſolem, & Lunam adorabant: ſiue quæ in terris ſunt, patet in idolorum adoratione.

Idem eſt breſit, id eſt, in principio creauit, ac ſi dixiſſet, in ſapientia creauit.

Sicut enim purior aqua ſemper ex ipſis fontibus eſt, quàm ſi ex lacunis, inde deriuantibus, hauriatur: ita ſemper puriora quodam modo ſunt, quæ ex ipſis primis linguis, in quibus Dei oracula fuere nobis tradita, tanquam ex limpidiſsimis fontibus hauriuntur. Inter haſce autem linguas cum Chaldaica una quoq; ſit, quæ ad intelligendas, ac explicandas ſacras literas ualde magnum momentum habet: hinc eſt, quòd multi uiri periti Hebræorum lege Hebraicam, Hebraicè notatã, Chaldaicè traduxerunt. Et huiuſmodi labor commendatiſsimus eſſe debet multis de cauſis. prima eſt ipſa antiquitas, quæ certe rebus maieſtatem non paruam addit. alia cauſa eſt, quia omnes ferè loci in Biblia Hebraica

obſcu-

obſcuritatem, & difficultatis habent: in paraphraſi Chaldaica omni obſcuritate ſublata pulchrè explicantur: maximè, vbi ſunt vaticinia de regno Chriſti: vbicunq; enim in veritate hebraica, tecto nomine, de Chriſto agitur, ibi ſemper expreſſum Meſsiæ nomen ponitur. Tertia cauſa eſt auctoritas: nam Iudæi non minorem adhibent fidem Chaldęo, quam Hebræo textui. & huius targum (ſiue traductio, ſiue paraphraſtes) Chaldæus eſt quadruplex: vnus eſt Onkelos, cui tranſlatio pentateuchum adſcribitur: qui filius fuit ſororis Titi Imperatoris: non qui poſt templi deuaſtationem ſecundi eum ſcripſit: alterum verum conſcripſit Ionathan Vzielis filius, qui ante deuaſtationem templi ſcripſit: tam & ſi ſunt, qui velint vtrunque totam linguam in Chaldaicam, Bibliam tranſtuliſſe. Galatinus de Ionatha prædicto verba faciens, mouet hæc, dicens. Ionatha Vzielis filius, Hilleliſque auditor, atque Simeonis iuſti: qui Chriſtum infantulum in brachijs ſuſcepit, condiſcipulus, totum vetus inſtrumentum in Chaldęam vertit linguam atque expoſuit, vt eius æditio non tam interpretatio, quàm gloſa videatur ac expoſitio: quam Iudæi targum, id eſt, tranſlationem nuncupant. & quotieſcunque aliquid ambiguum, vel difficile intellectu in textu

textu Biblię inuenitur, semper ad eandem translationem recurrunt. vnde de eodem, dixerunt magistri, quòd in hora, qua eidem æditioni, & expositioni vacabant, si musca, aut quodcunq; volatile super eum vel super chartam volasset, illico absque vlla eius vel chartæ læsione cœlitus comburebatur. De Onkelos sic scribit paulò post. Totam procul dubio Bibliã Ionathas in Chaldæum (vt prędixi) transtulit: sed eius translatio in pentateuchum rarissima est: idcirco ab alijs, qui eam non viderunt, negatur. ego verò ipsam semel vidi: quæ sic incipit. Min vela bera. ea verò, quæ Onkelosem, sic. Bekadmin bera, id est, in antiquis, vel per antiqua. Hinc etiam Onkelos totam Bibliam in Chaldæum vertit, atq; exposuit. cuius ęditio, atq; expositio, quanuis nunc, præterq̃ in pentateuchũ, vix alibi reperiatur: nõ minoris tñ apud Iudęos est, q̃ illa: de qua nunc meminimus Ionathę, quod ét targũ appellant, quod Chaldaica quoq; scit, sicut illa: licet utraq; hebraicis scripta sit elementis. hactenus ille. Quidã verò putant Onkelum fuisse, quẽ nos Aquilã vocamus: & Ionathã, Theodotionẽ fuisse, ꝙ sit nonnulla nominũ affinitate. Theodotió grecè dicitur, donũ Dei. Idem Ionathan hebraicè: nam Iah idem est, quod Deus, & nathan, id est, dedit: hinc Ionathan, id est, Deus dedit,
vel

uel Dei donum. Sed hæc per coniecturam (ut opinor) à quibuſdam dicuntur. Alius eſt Targum, compilatus à Rabbi Ioſeph: alius compilatus à congregatione Hieroſolymitana: & Targum dicitur Hieroſolymitanus, & ſic incipit. De chocmah breſit bara, id eſt, in ſapientia Deus creauit, &c. quod confirmans Dauid, dicit. Omnia in ſapientia feciſti domine. unde nota, quòd non tantũ catholici, uel chriſtiani omnes conueniunt in idearum poſitione: uerum etiam & externi ſapientes. Zeno antiquus philoſophus Deum prædicat naturę principem, & diſpoſitorem: quem logon.i.uerbum nominat: quod eſt ſuiipſius intelligentia, & rerum faciendarum, & conſequenter idea. Mercurius in pimand. ait. Mens Deus utriuſq; ſexus fœcunditate pleniſsimus, vita, & lux uerbo ſuo mentem alteram opificem peperit. Qui quidem Deus, ignis, atq; ſpiritus ſeptem deinceps fabricauit gubernatores, qui circulis mundum ſenſibilem complectuntur: eorumq; diſpoſitio, fatum vocatur. connexuit inde Dei verbum ex elementis Dei, Deorum tendentibus purum naturę artificium, mentiq; opifici vnitum, conſubſtantiale erat. Ecce quàm clarè docet omnia prȩfuiſſe in illa fœcundiſsima Dei mente, aut intelligentia, quam verbum appellat: iuxta Ioannis doctrinam.

Mens

Mens autem, quam peperit, altera est persona, sed eadem essentia. In qua opifici mente, id est, verbo producto, omnia fabricatus est. primum fabricati sunt septem mentes: qui sunt septem intellectus separati. & Cabalistæ uocant septem dies fabricæ, siue septem inferiores sephirot. qui septem secundum Ioannem in Apoc. & Thobiam, semper sunt in conspectu Dei: qui inferiora exequuntur, quæ supremus cheter iubet. postea loquitur clarè, quomodo uerbum Dei (id est, excogitatio rerum faciendarum, aut in quo est ipsa excogitatio) fabricatum sit hunc mundum, cum primo opifice uniendum. Et sicut ipsum uerbum, siue sapientia chocmah est consubstantialis, & unita primo, id est, cheter patri summo, & coronæ supremę: sic omnia, quę per ipsam sapientiam fabricata sunt, ad unionem deducit. sunt igitur ideę in summi archetypi cheter mente chocmah, siue sapientia, siue uerbo, tanquam rerum causę. Sed quid est intelligentia Dei causatiua rerum, nisi uerbum eius: per quod facta sunt omnia? unde Paulus Colos. ipse est primogenitus omnis creaturę. in quo condita sunt uniuersa in cœlo, & in terra: idque per rationes exemplares, in ipso existentes. quem constituit hæredem uniuersorum, per quem fecit & secula

cula. Vnde Solomon de hac ſapientia loquens, ait. Quando præparabat cœlos aderam; quando ſtatuto ſuo, & gyro uallabat abyſſum. omnia uidelicet, formans, & in omnibus imprimens ſuis menſuris, & ordine. vnde ſequitur. Quando ęthera firmabat ſurſum, & firmaret fontes aquarum, & poneret aquis ſtatutum, ne tranſirent fines ſuos. Cunque ordinaret fundamenta terræ, eram apud eum Amon אמן: quod magiſter in qualibet arte, aut artifex, & figurans interpretatur. Ecce quàm clare profitetur in ſapientia Diuina eſſe artificium, quo cuncta formarentur: Et illud eſt exemplar, & idea rerum faciendarum. Rectè igitur tranſtulit Targum Hieroſolymitanum. Bechocmah bara, id eſt, vi ſapientia Deus mundum creauit.

Quod dixit onkelos Chaldæus Becadmin, id eſt, cum æternis, vel per æterna, triginta duas vias ſapientiæ intellexit.

Ariſtoteles rerum omnium cauſas perſcrutatus, quatuor tantummodo reperit omnibus iam communes materiam, formam, & efficientem, & finem. Quarum tres, ſatis copioſe deſcribit: ſed de cauſa agente in particulari, aut parum, aut nihil reſerauit, hoc tantum dicens. Quoniam Deus, & natura in huiuſmodi operatur. Sed quo influxu, quibus in-

bus instrumentis, & quando ea conducat nullatenus tetigit. Et quia rerum initium deprehendere nequiuit, contendit defendere mundum æternum. Alia quoq; tanquam aliena, & à sua doctrina, & ab humanis ingenijs silentio præterijt. Illi autem qui meliori doctore sunt instructi: Abraham potissimè (in de formatione) de huiusmodi rebus profundiori quodam modo pertractant. Tria enim elementaria principia præsupponunt, terram, aquam, & ignem. Aerem verò non habent tanquam materiam: sed veluti glutinum, & spiritum illa tria connectentem. Quibus ternis principiis tres literas alphabeti ipsorum applicuerunt אמש emes. Et quia illa à quibusdam intelligentijs (quas ophaninos vocant) disponuntur per septem erratica sydera: quæ aliquando in propria, aliquando in peregrina domo reperiuntur, per septem literas denotare noluerunt, quas vocant duplices: eo quòd sint bifariæ productionis, remissionis videlicet: & fortius pro varietate apicum ipsis appositorum. Quæ literæ huiusmodi sunt, begad בגד, caphrat כפרת, Reliquas autem duodecim literas vocant simplices, id est, semper vniformis prolationis, & duodenis signis ascribunt: quæ sunt חטילמנסעק הוז. Et sic omnes literas alphabeti ipsorum

diſtribuerunt: quæ viginti duæ ſunt. Eæ autem permixtæ, & permutatæ inexplicabiles conſtituunt dictiones: qua ſignare volunt innumerabilia corpora: quæ ex illis permixtionibus conducuntur. Volunt inſuper vnumquodque compoſitum denominari illis literis: quæ deſignant cauſas congredientes ad compoſitum illud conducendum. & quia in vnoquoque fabricio ſupereminet aliquod elementum, aliquis planeta, & aliquod ſignum: opinantur vnumquodque ritè denominatum: quando componitur nomen ex tribus literis illas tres ſupereminentes cauſas denotantibus. per hoc aſſerunt Adam cognouiſſe, quod nomen vnicuique rei accommodatum imponeret: Sed quia corpora abſque vita, & anima mortua ſunt, & imperfecta: Hinc literis illis, certa, & accommodata addiderunt puncta. Quæ ſicut literis illis præſtant, quomodo proferantur: & quodammodo viuant: ſic per ipſa volunt deſignare vitam rerum compoſitarum. Et quia omnia emanant, & incrementa ſuſcipiunt à ſupramundanis fontibus: ab ipſiſque ſemper dependent, voluerunt etiam per accenſus ſupra poſitos literis illis deſignare fontes, canales, & influxus illos à denis numinibus, vel fontibus procedentes. Qui denarius numerus. ſi iun-

ſi iungatur cum illis viginti duobus, triginta duo conſtituit. Hinc Abraham docens de Mundi genitura, atque de concinna formatione, & comparatione ipſius, inquit. In triginta duabus ſemitis ſapientiæ, Deus benedictus ſuum creauit Mundum. Quamuis hoc interpretari poſsimus, de triginta duabus gradibus intellectualibus. Has triginta duas ſemitas ſapientiæ, vel gradus, intellexit Onkelos Chaldæus: quando dicit. Becadmin, id eſt, in æternis, vel per æterna. ſunt enim æternæ illæ diuinæ ſemitæ ſapientiæ. cum ſint radij ab illa infinita ſapientia emanantes. Vnde ſecundum Ariſto. ſi ſol eſſet ab ęterno, ſplendor eius eſſet æternus. Cum igitur fons Diuinæ ſapientiæ ſit ęternus, cum ſit filius Dei, erunt & cęteri gradus iſti. & hęc eſt ratio, quare dicant Cabaliſtę, quòd à nemine plenè cogniti ſunt hi gradus & ſemitę, niſi à Meſsiah: quoniam ipſe eſt lux Dei, & gentium. Ideoque & cognoſcit Deum, & Deus cognoſcitur per ipſum. Regius enim propheta ad Deum ſic exclamat. Mitte lucem tuam: quod interpretatur Rab. Salomon Gallus: Meſſiam, qui comparatur luci: quia ſcriptum eſt. paraui lucernam meam Chriſto meo. & Eſaias, ait. Dedi te in lucem gentium, in fœdus populi. & rurſus. Ambu-

labunt gentes in lumine tuo. Scripſit autem Ariſtoteles id quod eſſe verum arbitror: viſionem fieri non poſſe, niſi cum lumine: vt legitur in lib. de anima: nihil eſt viſibile ſine luce. Quapropter ambulantibus nobis ad rerum omnium inſpectionem, conducit ad modum itineri adhibere lumen, vt viam qua poſsimus abſque pedum læſione proficiſci, matura cum prouidentia eligamus. Ad quod receperunt Cabaliſtæ (vt narrat Forbenſis) tramites quoſdam luminoſos, & illuſtria experimenta quæ nominarunt, leb neticot hach ocmah לב נתיכות הח כמה, id eſt, triginta duas ſemitas ſapientiæ. De quibus loquens Rab. Iacob cohen, dicit. quod illæ ſemitæ, dicuntur mirabiles ab Abraham: eo quòd ſint archana recondita, & occulta. Et commentator Rab. Iſahac in eundem librum Abrahæ teſtatur: quòd priſci ſapientes viri, cordati, mites & recti, per fundamenta legis in cabala plurimum exercitati docuerunt nos, quod & patres ambulauerunt per vias multas: vt tandem ſtarent in ſemitis iſtis: quæ dicuntur admirandæ ſapientiæ traditæ per Zadkiel Abrahæ patri noſtro in traditione fœderis. Hæc ille. Et quia has ſingulas declaraui ſuper ſephet ietzira Abrahæ. propter hoc nihil vltra de eis loquar: ne pluries repetita diſpliceant: vide ibi

de ibi, & mirabilia intelliges.

Sicut congregatio aquarum, eſt iuſtus: ita mare, ad quod tendunt omnia flumina, eſt Diuinitas.

Mare, aquarum eſt collectio. & hæc eſt duplex, quædam eſt ſub cœlo, quædam ſupra cœlum: inter has conſtat maſſa cęlorum. Hoc infimum mare exagitatione, & æſtu fœculentum, & ſalſum eſt, homini pro cibo, & potu nocuum, piſcibus tamen fœcundum: corallum quoq; producens: fluuiorum omnium dulcium, & imbrium, regiones fœcundantium origo. eius inſuper aqua, meatus ſubterraneos tranſiens ad fontes, ſua humiditate, & virtute relinquit, vnde terra, ſolaribus radijs confota metalla producat. Hanc tamen fœcunditatem, ab illis ſuſcipit aquis ſupernis: de quibus dicitur. Serpant, aut producant aquæ ſerpituram animæ viuentis. nec enim omnis anima viuens, à mari producitur hoc fœculento: ſed ab illis aquis, quæ ſunt ſuper cœlum: quod, niſi cœlum interpoſitnm iſtis aquis obſtaret, illæ ſuper excelſæ aquæ fœcundiores redderent has infernas, & terram, & omnia inferiora: cœlum enim medium, & miniſtri ibi exiſtentes. & præſidentes, tanquam cenſores, ne plus diſtribuatur infimis rebus, quàm mereantur, aut ordo, vel diſpoſi-

tio principis exigat: obſtant tamen, ſi quid fertilitatis in id genus aquis reperitur: hoc prouenit ab illo mari excelſo Enſoph, cognomento Iod he uau he יהוה, quod eſt ſupra cœlum, id eſt, ſupra decem enumerationes diuinas, non numerandum cum ſupradictis decem, ſed ab illis abſtractum. cuius nomen Iod he vau he in duodecim auaiot partitum ſua in reuolutione, vt in templo Dei, gerente imaginem mundi repręſentaret: ſolummodo fecit mare ęneum, ſuſtentatum à duodecim bobus: quorum tres ad orientem aſpiciebant, totidem ad occidentem: tres ad meridiem, & totidem ad Aquilonem, quemadmodum diuiduntur per eoſdem aſpectus ſigna duodecim cœli. Mare itaque excelſum, & pelagus infinitæ ſubſtantię Deus eſt: ad quem omnia flumina tendunt, vt dicit textus. Cumq; in ipſo prædicto ſummo Deo cuncta contineantur: ideo in ipſo eſt locus particularis, aut ſephirah, aut menſura, quod mare dicitur: aut aquę, vel collectio aquarum; & propriè dicitur malchut, quę varijs nominibus nuncupatur. Vnde Sara hora dicit, quòd omnes ſephirot diuerſis cognominibus nominantur, vt in Ilan arbore patet. Malchut inter alia cognomina hoc habet, ſcilicet mare. De hoc loquitur Salomon figuratè, Eccleſiaſt. primo,

mo,

mo, dicens, quòd omnia flumina intrant mare, varijs ſcilicet canalibus: ita in malchut omnes ſuperiorum ſephirot influxus deſcendunt, & concurrunt per varios meatus, vt patet in arbore ſephirot, omnia enim archetypi flumina ibidem conueniunt: quod confirmans Dauid, dicit. Hoc mare magnum, & ſpatioſum litoribus. non manibus (vt noſtra habet æditio) quorum non eſt numerus: nam, ſicut in hoc mari inferiori ſunt innumeræ piſcium ſpecies: ita in malchut dimenſione conſiſtunt omnia, quæ à ſephirot ſuperioribus proueniunt. Sequitur. Draco iſte quem formaſti ad illudendum ei. accipitur Draco ibi leuiatan pro idea piſcium, non autem pro Diabolo: ideo malchut dicitur mare magnum: in ſe nanque continet ideam rerum omnium creatarum: idcirco fœcunditatem habet totius generationis inferiorum. eſt enim omnium opifex: quæ in eſſe reali ponuntur: nam ipſa omnibus immediatè dat vitam. pręterea malchut dicitur iuſtus: quia cunctis fauorem impartit, ſecundum rerum exigentiam. & ſinagoga legem obſeruando, à malchut bonum hauriebat influxum: idem modo nobis, legem obſeruantibus contingit. Ad concluſionem (ſicut congregatio aquarum

est iustus, id est, malchut, pro vt in ipsa influxus sephirot couniuntur, & in creatis iuste distribuitur (ita mare, ad quod tendunt omnia flumina est Diuinitas) id est, Ensoph, ad quem omnes sephirot tendunt originatiuè, tanquam à primo omnium fonte. aliter etiam intelligitur. (sicut congregatio aquarum est iustus) id est iesot. Influxus enim primo recipiuntur in iesot, anteaquam descendant in malchut (ita mare, ad quod tendunt omnia flumina, est Diuinitas) id est, malchut, qui est Deus, nam omnes includit perfectiones. est igitur Deus. melior tamen est prima expositio. Aliter etiã dicendum est, quòd in Deo pelago infinitæ substantiæ (secundum Dionysium) est sephira, siue mensura, & locus qui dicitur Mare, aut aquæ, aut collectio aquarum. Et est (secundum secretiores theologos) regio meridionalis, chocmah nuncupata, id est, sapientia, aqua misericordiæ, clementię, & pietatis, ac gratiæ. Et est locus, siue possessio peculiaris filij Dei: de quo testatur pater, dicens. Et ponam in mari manum eius, & in fluminibus dexteram eius: ipse inuocabit me, pater meus es tu. Et ego primogenitum ponam illum excelsum præ Regibus terrę. Quod mare cognoscens Ionas, cum durus nuncius ad Niniuitas, delectus fuisset (vt

dixi

dixi in præcedentibus) bonus & pius vir simplex columba nomine & re : ne seuera mandata perferret, iter arripuit ad ipsum mare per tharsis significatum, vt sentit Hieronymus. Illuc enim proficisci voluit, vt inde misericordiam, & veniam pro Niniuitis reportaret. Quod & fecit : suscepta tamen in se pœna, vt seruaretur Dei iustitia, quæ nullum delictum impunè permittit. Hinc ad sedandos tempestuosos impetus à ministris seueræ iustitiæ Dei excitatos, ait. Ecce ego, mitte me in mare hoc agitatum, & cessabunt fluctus : suscepta videlicet pœna, quam debebant Niniuitæ. Gratum quippe habuit Deus hoc charitatis opus : voluit tamen, vt Niniuitæ ipsi cooperarentur ad placandum Diuinum tribunal propria virtute seu pœnitentia, quam fecerunt ad prædicationem, Ionę & saluati sunt. Ad hoc quoq; mare confugit Iesus, vt pro nobis inde reportaret veniam, & gratiam tandem quidem copia : vt pro toto mundo, & mille mundis sufficeret. Hinc & Samaritæ illi, & in templo aquam gratis offerebat : sed vt faceret satis tribunali iustitiæ Diuinę pœnam pro delictis exigenti, sponte mari agitato sese obtulit suscipiens omnes tempestates, & fluctus. iuxta illud psal. Omnes fluctus tuos induxisti super me : voluit tamen Deus, vt

ipſi cooperemur per opera pœnitentiæ reuertentes ad ipſum Deum: vt clamabat ipſe redemptor, & præcurſor eius, vterque dicens. Agite pœnitentiam, & appropinquabit regnum cœlorum, impetrata iam venia. Ideo ſaluator ad modum Ionæ, in ſe ſuſcepit omnem pœnam noſtram. iuxta illud Eſaiæ: Attritus eſt propter ſcelera noſtra. Hoc eſt excelſum illud mare, & regio meridionalis archetypa: ad quam ambulabat Deus commiſſa trangreſsione à protoplaſte: & per quod mare delectatur dirigere greſſus, vt canitur in pſal. In mari via tua, & ſemitæ tuæ in aquis multis. Magis enim frequentat iter miſericordiæ & clementiæ ſignatæ per mare, quàm iuſtitiæ & punitionis. Frequentat & aquas ſapientiæ, in qua omnia fecit, omniaque moderatur greſsibus quidem à nobis non perceptis. Ideò ſequitur. Et veſtigia tua non cognoſcentur: quia nullus in illos triginta duos gradus ſapientiæ intrauit, nec Moſes, dicente veritate infallibili: Nemo nouit filium, ſupremam videlicet ipſam ſapientiam, aut aquam: niſi pater cheter Elion, ſiue corona ſuprema: neque patrem quis nouit, niſi filius, & cui voluerit filius reuelare. Vnde ſi volumus ad hoc mare deuenire, tranſ-

eundum

eundum eſt per hoc mare fœculentum: ſicut Apoſtolus myſtico ſermone diſſerit, dicens. Omnes mare tranſierunt: & omnes ſub Moſe baptizati ſunt in nube & in mari: cuius aquæ, cum repræſentent aquas illas ſuperexcelſas gratiæ, & ſapientię, ad quas pergimus, ideò à ductore noſtro, nobis inductus eſt tranſitus per has aquas inferiores, tanquam per ſacramentum illarum, in quibus mundamur, & beamur, vt habetur. niſi quis renatus fuerit denuo ex aqua & ſpiritu ſancto, non intrabit in regnum cœlorum. His enim aquis ſenſibilibus renaſcimur aquis illis: de quibus habetur in Apoc. in conſpectu eius, tanq̃ mare vitreum ſimile cryſtallo. Mare ergo iſtud, ſiue congregatio aquarum, ſcilicet materiæ, & gratiæ eſt iuſtus, id eſt, Chriſtus iuſtificans omnes per mortem ſuam, vt dixi: Ita eſt etiam mare, id eſt, principium omnium rerum, ad quod tendunt omnia flumina creaturarum: cum ſit finis earum, quietans omnia creata.

Per volatile, quod creatum eſt die quinta, debemus intelligere Angelos mundanos: qui hominibus apparent, non eos, qui non apparent, niſi in ſpiritu.

Sapientis eſt doctrina, quod homo eſt, cui data eſt omnia continendi virtus: ideo vltra inferiora, & media, alterabilia videlicet, &

cet, & cœlestia, apprehendit etiam Angelos, & ipsum Deum, vt sit quodammodo vinculum omnium, & verus mundus, omnia continens, cum omnibus versans: cum superis numinibus, siue sephirot, ac dimensionibus per fidem, & sapientiam: cum me dijs. s. Angelis per rationem, & discursum: cum infimis elementis, ac elementaribus rebus per sensum, & dominium: estq; cum omnibus symbolum habens, cum materia in proprio subiecto, cum elementis in corpore quadrifario, cum plantis in vegetatiua virtute, cum lapidibus in esse, cum animalibus in sentire, cum Angelis in mente, & sapientia, siue in intelligere, cum cœlis in influxu partium superiorum ad inferiores, & in motu circulari, tendens, vnde venit, cum Deo in omnium continentia: quam habet homo compositione, Deus autem simplicitate quadam. hinc ait Mercurius. Homo cęlicolis est præstantior: vel saltem pari sorte potitur. Et, quia in habentibus symbolum, facilis est transitus, hinc homo dum ab Angelis vigorem, & influxum suscipit, dicitur seraphicus, cherubicus, Angelicus, & huiusmodi, pro influxus suscepti natura. habet itaq; homo conuenientiam cum omnibus illis: & ab omnibus suscipit purgationes, & illuminationes, atque profectus.

Sed

Sed ad particularia deſcendendo, ſuſcipit homo ab Angelis, vt ſit bonus Dei nuntius, & Diuinę mentis interpres: ab Archangelis, vt omnibus dominetur, quibus datum eſt pręſidere: à principibus, vt etiam ſubditorum omnium vires complectens, ad ſe omnes vi quadam occultiſsima, & ſupercœleſti attrahat: à virtutibus vim ſuſcipit, qua in veritatis hoſtes, & brauij, pro quo pugnamus, roboretur: à poteſtatibus præſidium in mundanæ huius domus inimicos: à Dominationibus auxilium, quo ſubijcere poſsimus inimicum domeſticum carnis, quem ſemper nobiſcum portamus. &, vt debitum finem conſequamur, à Thronis ſuſcipimus, vnde compaginemur, & vnde in nobis ipſis collecti: memoriam in illa æterna ſpectacula figuramus. à Cherubinis mentis lumen, aut ſuperexcelſas imagines, & figuras: quibus ipſa contemplari poſsimus: à Seraphinis verò, vt perfecto amore tandem ipſis inhæreamus: talem enim in nos influxum demittunt, qualem à ſupernis dimenſionibus recipiunt. Cherubini nanq; formas ſuſcipiunt, & ideas, vnde ipſorum intellectus multipliciter ornatus noſtrum quoque depingat. Aſtant & Throni aptè pro negocio compacti, vt firma ſint ſedilia, noſque diſponant, vt Dei templum effecti,

ſuſci-

ſuſcipiamus ipſum Deum, tanquam in hoſpitia ſibi gratiſsima commigrantem. cęteri verò (vt nonnulli docent) ad nos mittuntur. Dominationes enim veluti archetypi præcipiunt, quæ reliqui exequantur. Virtutes opere complent cœlos mouentes, omnigenum præſtantes influxum: quem nihilominus à primo fonte cheter mediate ſuſcipiunt, poteſtate arcent ea, quæ ordinem diuinæ diſtributionis perturbare aliquo modo videntur. principatus publica curant, gentes, principes, magiſtratus, prouincias, regna: Archangeli verò Dominis, Regibus, Pontificibus, & quibuſcunque regentibus præſident, atque ſacris interſunt. Angeli autem ſingulis hominibus ſinguli ſaltem cuſtodes aſsiſtunt. ſunt etiam qui minutiſſimis herbis, lapillis, & omnibus inferioribus virtutem ſubminiſtrant, & iſti dicuntur volatiles. quos dicit Moſes creatos fuiſſe quinta die. & volant ſuper faciem firmamenti, inter Deum, & nos deſtinati. Vnde Dauid decantat, dicens. Mittit Angelos ſuos in circuitu timentium eum, vt eripiat eos. Inter enim munifica Dei dona annumeratur: vt deſtinet proprios cuſtodes & miniſtros ad nos, vt nos cuſtodiant, adminiſtrent, & ſeruiant. Iuxta illud Apoſtoli. Omnes ſunt adminiſtratorij

torij ſpiritus, in myniſterium miſsi. Vnde idem Vates alibi canit. Angelis ſuis, Deus mandauit de te, vt cuſtodiant te, in omnibus vijs tuis: non ſolum cuſtodia particulari, ſed generali. Angelorum enim aliqui cuſtodiunt in die, aliqui verò in nocte. Quorum iterum aliqui obſeruant primas excubias: alij ſecundas: alij tertias: alij quartas. nonnulli etiam primam anni partem, trium videlicet menſium: alij ſecundam, alij tertiam, alij verò quartam. Et hanc mutationem poſuit Deus in Angelis ſuis: vt Iob ait. pro quo vulgata æditio habet. Et in Angelis ſuis reperit prauitatem. Iſti verò ſunt Angeli adminiſtratorij, vel adminiſtrantes: & qui mittuntur. Et iſtos facit Deus, ignem vrentem, ſecundum Dauid. neceſſe eſt enim vt Angeli ab eo, qui ignis eſt comedens, igniantur. vt inflamment homines cuſtodiæ ſuæ commiſſos igneo amore: vt opus Dei non negligenter, ſed feruenter faciant. Hinc horum ſupremi, qui mundi curam habent, Seraphini, id eſt, incendentes dicuntur dum vident homines curæ ſuæ creditos: igne Diuini amoris ſuccenſos, decantant. plena eſt omnis terra gloria Domini. ſimiliter cernentes animas in peccatis confuſas: flent ſuper eas, ſicut dicitur in pſalmo. Super flumina Babylonis

lonis, illic ſedimus, & fleuimus, dum recordaremur tui Syon. nam ſedere dicuntur, ad denotandum ocioſum opus, quod faciunt. Vnde ſicut Angeli gaudent ſuper peccatore pœnitentiam agente: ita flent & dolent ſuper induratione peccatoris: & quamuis ſemper videant faciem patris, vt Saluator ait: dolent tamen ſicut Deus dicitur dolere, iraſci, pœnitentia duci, & tangi dolore cordis intrinſecus. qui tamen beatiſsimus eſt, inalterabilis, & omnino immutabilis. Et ſi Angeli ſemper vident faciem patris: fortè ſunt in cęlis. Et in terris: cum incorporeum non circunſcribatur loco, nec loco aliquo determinetur, ſed eſt vbicunq; virtus eius extenditur. Angeli poſſunt virtute ſibi à Deo tributa tueri nos, & videre faciem patris. Qui quidem pater, quanuis ſit in cœlis præcipuè, nihilominus vbique eſt, vt omnis Theologorum ſchola concludit. non ſunt tamen ſtabiles: quia ab officijs mutantur ſuis (vt dixi). Auſcultant enim ſponſam in horto morantem (vt dicit Salomon) tanquam amici. Amici enim ſunt Angeli, qui tanto affectu, animam ſibi creditam cuſtodiunt,vt non tantum eam defendant & diligant, ſed omnia, quę loquitur, & operatur, ſiue ſecundum legem, ſiue contra, Deo referant: vel remuneranda, vel

remu-

punienda. Hinc alibi dixit idem ſapiens. ne detrahas Regi, quia aues cœli portabunt vocem tuam, id eſt, Angeli: vt ſapientiſsime Zohar exponit. Ex aduerſo autem bona ſimiliter reportant. Vnde Tobiæ Raphael dixit. Quando orabas tu, ac ſepeliebas mortuos: ego obtuli orationem tuam Domino. Et, ob hoc Angeli aſcendunt & deſcendunt per ſcalam, quam Iahacob vidit: vt in Geneſ. legimus. Auſcultant autem eos potiſsimè, qui in hortum voluptatis introducti ſunt. Et iſti dicuntur zeuahot צבאות. De quibus in Gene. dicitur. Completi ſunt cęli, & omnis exercitus eorum. pro quo communis æditio habet. Et, omnis ornatus eorum: zeuahot enim vel zeuaha צבא nō ornatum, ſed exercitum, vel militiam ſignificat. Et hi Angeli nedum ornant cœlum, ſicut familia inhabitans domum: ſed pro Rege pugnant in fauorem noſtrum: iuxta illud pſal. Angelis ſuis Deus mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis. Vnde in quarto volumine Regum legitur, quòd militia magna Angelorum cœleſtis exercitus uenit in adiutorium Eliſæi: quos cum non videret Giezi puer eius, orauit Eliſæus, dicens. Aperi Domine oculos pueri huius. Vnde ipſe Giezi apertis oculis vidit montem plenum equorum, & curruum igneorum in circuitu

Eliſæi. Et hi pugnant vice & loco Domini: de quo ſcriptum eſt. Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis. Et, vnuſquiſq; habet genium deputatum: Qui ſecundum aliquos, ſunt Angeli inferiores, in miniſterium miſsi. Alij dicunt quòd deputantur Angeli ex vno quoq; Angelorum choro: per quem (vt alias dixi) tranſit anima infundenda. Vnde ſicut ſunt diuerſi gradus miniſterij inferioris: ſic ſunt diuerſæ intelligentiæ tuentes nos. nam Angelus Abrahæ fuit zadchiel: Adam Raziel: Ioſeph Gabriel: Chriſto autem, non dicam in tutelam: ſed in principem militiæ datus fuit Michael: qui (teſte Ioanne) pugnauit contra ſerpentem antiquum: Chriſti præcipuum hoſtem. nec (vt opinor) vnus & idem ſemper vni pręeſt: ſed ſicut homo conſcendit altiorem gradum: ſic altior ei intelligentia datur. Et, iſti Angeli fiunt quandoq; familiares cum his qui ſuæ curæ addicti ſunt. Habuit.n. Abraham Angelos optatę prolis, & multarum rerum nuntios. Iahacob Angelorum familiaritate, in tota ſua peregrinatione ſæpius vſus eſt. Elias non minus mente, quàm corpore manu Angelica paſtus eſt. Petrus quoque liberatorem à carcere Angelum ſenſit, & comitem: quouſque ciuitatem egrederetur, & pericula euaderet. Ioannes pluries gauiſus eſt

conſor-

consortio Angeli, à quo & celeberrimam visionem edoctus est. Et, alios quàm plurimos omittens: breuiter me expediam. Mosi (inquit Paulus) lex data est per Angelos, cum ipso nimis familiariter agentes. nec tamen eorum tantummodo contentus fauore, patrocinio, & consuetudine, ad Diuinitatem aspirans: Deum quæsiuit, sui itineris ducem, magna confidentia ipsi protestans & dicens: nisi tu veneris nobiscum, non vadam. Deus itaque clientulos suos tanto numine Angelorum munire studuit: vt nedum Angelorum familiaritate gaudere possit, quin etiam & fieri Angelum. Efficitur enim quis talibus dignus, qui Deo munda, & pura mente ministrat, & semper oblectatur mundis, in visceribus, in cute, in vestibus, in habitaculis, & in vtensilibus: quorum omnium immunditia, aerem frequenter inficit, influxumque illum mundissimum cœlestium, & diuinorum disturbat, & mundos Dei ministros fugat. Vnde Christus. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Et, Isaias canit. Lauamini, & mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarũ. non loquitur ergo Moses de volatili animali inferiori nostro corporeo: quod declarãs pręsens conclusio vel dictum, dicit. quòd sunt Angeli ad nos missi, & sursum ascendentes

Deo nuntium de creatis referunt. Et isti sunt alati: ideo Deus, in Exo. præcepit, vt facerent cherubim alas habentes: quod, si non sic essent, haud tali forma præfigurari iussisset Deus. De his loquens Salomon, dicit. non loquaris quidquā mali de Rege (Deo) quia aues cœli (Angeli alati) referunt illud. nam, sicut præsentant orationes nostras, ita & mala, quæ gessimus (vt dixi). illi verò, qui non apparent, nisi in spiritu, id est, loquuntur intra nos. Loquuntur enim Angeli, & collaudant opificem: teste Paulo in cœlesti gymnasio edocto. Si linguis hominum loquar & Angelorum. Habent igitur Angeli linguam suam, qua loquuntur, & adinuicem, & nobiscum: non quidem per vocalem sonum: sed efficientes nouum conceptum in his, quibus loquuntur, meliorem quam si per audibilem vocem exprimeretur. Illud autem instrumentum, per quod innotescere facit alteri quæ bulliunt in mente, qualecunque sit, lingua vocatur. Quæ (vt ait Plato & Aristoteles) data est, vt ipsius auspiciis exprimamus ea, quæ mente concepimus. Lingua carnea duplicem administrat cibum, corporalem videlicet nobis ipsis, & spiritualem cæteris. De primo inquit Marcus Varro: quòd lingua dicitur, quasi cibum ligans: ipsum enim videtur cum

voluens dentibus conterendum prębet: postea globans in ventrem demittit. De ſecundo, lingua cæteris præbemus verbi Dei pabulum. Et quod facit homo voce ſenſibili, efficit Angelus imprimendo conceptum. Vnde ſicut Ioannes dictus fuit vox: ita Apoſtoli & prædicatores in eo, quod manifeſtant occultum Dei verbum, dicuntur linguæ. immo & ſpiritus ſanctus qui mouet linguam, & pręſtat copia fandi, in linguis igneis apparere voluit. De Angelis, ſi enim procul eſt Angelus vehementiori clamore indiget. Factus verò propinquus in audientis aure ſuſurrando ſubloquitur. Et, ſi poſſet cum audiente animo & ſpiritu copulari, nullo ſono prorſus egeret: ſed ſermo eius mente conceptus nullo penitus ſono audienti illaberetur. Hoc quidem animabus è corpore egreſsis, Angelis, & dæmonibus contingit, hos enim omnes ſine ſtrepitu (vt in pluribus) aduerſari, nulli dubium eſt, & multigena clam nobis inferre bella. Sicut enim aer præſente lumine colores, & formas ſuſcipiens traducit in illa, quæ naturaliter huiuſmodi ſuſcipere poſſunt: quos colores ſuſcipiendo ſpecula repreſentant ſuſceptas imagines inſpicientibus: ſic Dæmoniaca corpora (vt quidam aſſerunt) eas quas recipiunt à phantaſia, vel cogitatiua virtute for-

mas, figuras, atque conceptus in ipſum animal noſtrum tranſmittunt: multas nobis illecebras ingerentes, formas ſubindicantes, ſuſcitantes iam penè ſopitas voluptates, ſimulachra paſsionum frequenter concitantes vigilantibus, atque dormientibus: ſed hi perturbant animas arte, atque ſophiſtica fraude. Angeli verò, & meliores mentes eodem modo operantes alia, & hæc quidem meliora ſuggerunt, ſecundum eam locutionem (inquit Auguſtinus) quam ſublimiorem Deus habet ad eos per immutabilem operationem atque determinationem eius. De quibus vnus erat ille, qui Ioannem alloquebatur, quando recepit Apocal. quia dicit. Cum eſſem in ſpiritu, in Dominico die, &c. Similiter qui apparuere cęteris ſanctis, in oratione exiſtentibus: iſti creati fuere, quando dixit Deus. Fiat lux, & facta eſt lux. Angelicę igitur mentes bipartitæ ſunt, in aſsiſtentes ſcilicet & miniſtrantes. verùm aſtant primò ſeptem ſpiritus, quibus credita eſt diſpenſatio totius regni cœleſtis, & inferni. hi enim (ſecundum Cabaliſtas) omnia regunt vicisſitudine quadam horarum, dierum, & annorum: ſicut de planetis, quibus præſunt, & de his loquitur Ioannes, dum dicit. Et, ſeptem lampades ardentes ante thronum Dei. qui ſunt
ſeptem

ſeptem ſpiritus Dei. per quos cuncta diſtribuit. Iſti aſtant, vt audiant quæ iubet iudex ac princeps, & eius mandata exequuntur per inferiores, qui mittuntur.

Nomen Dei quatuor literarum, quod eſt ex mem מ, *zade* צ, *pe* פ, *& zade finale* ץ, *Regno Dauidis debet appropriari.*

Deus vnus multiplicibus vocatur nominibus, non vt illis plures exprimantur eſſentię, aut Deitates, ſed proprietates: quæ & ſi ab eodem fonte Deitatis emanant: ibidem tamen radicatæ, ſemper vnum ſunt; ſed ratione ad nos habita, plures dicuntur: in quos multa beneficia, & diuerſa munera per diuerſos canales diſtillant. Quapropter Deus ipſe vnitiſsimus diuerſa nomina ſortitur. De quorum numero eſt mazpaz מצפץ. In arte Cabaliſtica, datur vna ſpecies cabalizandi: quæ dicitur literaria commutatio (vt patuit in loco proprio) vt dictio certis literis ſcripta ſymbolicè deſignet aliam dictionem, per alias literas compoſitam; & fit per alphabetariam reuolutionem, iuxta librum creationis Abrahæ, variationibus ſeu permutationibus viginti duabus, ſecundum quod ibi tot alphabeta leguntur. Exemplum præbet nobis mazpaz nomen Dei: quod literis his quatuor conſcribitur מצפץ, de quo Cabaliſtæ in hac concluſione lo-

 quuntur.

quuntur. Quod nomen in textu bibliȩ non legitur: eſt tamen ſymbolum & ſignaculum Tetragrammati ineffabilis, & procedit ex alphabeto vltimo, quod eſt vigeſimum ſecundum libri ſepher iezirah: diciturque athbas, illic commutantur litera iod י pro mem מ, & he ה pro zade צ, vau ו pro pe פ. vt ſit mazpaz, Tetrag. יהוה, prolatum Adonai. quod attribuitur Dauidis regno, dicto malchut: ratio eſt, nam hoc nomen conſtituitur ex maz, quod hebraicè in ſexto ordine coniugationis verborum hebraicorum: & maza in quinto eorundem, ſignificat, ſuxit, & mulſit, expreſſor, & emulſor, ac expilator populi: quod congruè malchut competit: ſugit enim malchut lac influxus omnium ſephirot ſuperiorum, ad ſe trahens, tanquam omnium ſuperiorum ſephirot matrix. & eſt populorum expilatrix: eſt enim quæ reddit vnicuiq; , ſecundum opera eorum: & regnum de gente in gentem transfert, propter earum iniuſtitiam. Componitur etiam ex paz, quod eſt aperire, liberare uinctum. In prima coniugatione idem eſt, quod leuare vocem, iubilare, gaudere, os aperire ad cantum: in ſecunda coniugatione idem, quod confregit, vulnerauit, diſſecuit, vulnus, plaga: quæ omnia congruunt Malchut, nam Malchut eſt Ianua ingreſſus ad Tetrag. Libe-

rat

rat vinctos, reducens de captiuitate, iubilat recipiendo influxum à superioribus sephirot: & iubilare facit creata, influxum communicando: aperit os ad cantum: ideo in oratione matutina auxilium petimus ab ea, incipiendo ab ipsa, dicendo. Domine labia mea aperies, & os meum, &c. Et eadem vulnerat, & sanat: occidit & viuificat. Ego occidam, & viuere faciam: percutiam & sanabo. Et est, quæ plagas Ægypto intulit: congrue igitur mazmaz datur Malchut, regno Dauidis. Dauid enim virtute istius, ac fauore hostes est persecutus, Reges debellauit, occidit Goliam: & leonem superauit, & cætera, vt in porta lucis patuit.

Nullus Angelus habens sex alas unquam transformatur.

De Angelorum corporibus magna est recentiorum theologorum dissensio cum philosophis: nam theologi recentiores affirmant omnes Angelos esse incorporeos, & Dæmones item malos: assumere tamen quandoq; corpora, quibus mox exuantur. Dionysius in Diuinis nominibus affirmat Angelos esse incorporeos. Augustinus tamen super Gene. sic prodit. Dæmones aerea, atque ignea dicuntur animalia: quia corporum aereorum natura vigent: nec per mortem dissoluuntur: quoniam præualet in eis elemen-

tum

tum ad agendum aptius, quàm ad patiendũ. Idem astruere uidetur Angelos omnes ab initio creationis suæ corpora habuisse aerea ex puriore superioreq; aeris parte formata, ad agendum idonea, non ad patiendum; eaque post confirmationem bonis Angelis conseruata: malis autem in lapsu demutata ui aeris & crassioris qualitatem fuisse, ut igne quoq; possint torqueri. Magnus autem Basilius non Dæmonibus modo, sed & puris etiam Angelis corpora tribuit, ueluti spiritus quosdam tenues, & aereos, atque puros. Consentit his etiam Gregorius Nazianzenus. Et, quoniam Dæmones omnes mali sunt naturæ, ut Deos pariter oderint, ac homines: iccirco Diuina prouidentia Angelos bonos nobis puriores præfecit propinquos; quibus nos tanquam pastoribus, seu rectoribus commendauit, vt nos quotidie adiuuent, Dæmonesq; arceant, compescant, & religent, ne nobis noceant, quantum vellent: quemadmodum legitur in Thobia: quòd apprehendit Raphael Dæmonium, nomine Asmodeum, & relegauit ipsum in deserto superioris Ægypti. Omnes itaq; homines diuersorum spirituum ministerio reguntur, ducunturque ad quemcunque gradum uirtutum, meritorum, & dignitatis, qui se illis dignos præstiterint. Sunt & Angeli

alij alati, qui ſex habent alas, & iſti ſubſunt ſex Angelis, qui cum ſeptimo aſtant ante Tribunal Merchana malchut, ipſius ſemper intenti iuſsionibus. Quorum nomina habentur ex tribus literis Tetrag. יהוה, ex quibus tribus literis יהו, ſex fiunt reuolutiones. quæ ſunt ſex nomina, collata ſex prædictis proceribus, ſuper mundi ſex partes conſtitutis, & iſti Angelorum multitudinem habent ſub ſe, qui ſunt alati, ut cito parere illis præcipientibus poſsint. Et, iſti alati ocium non habent, preſsi à negociorum multitudine, ſe transformare in diuerſas corporum formas. & ſi ille, qui apparuit Beato Franciſco in monte Aluernæ fuit ſex alis alatus in hominis forma, hoc ex priuilegio fuit. Si minus igitur ſunt merè ſpirituales, eis non repugnat alatos perſiſtere. Alæ Seraphinorum & cæterorum Angelorum, ſunt vires, quibus feruntur, volantes quocunque volunt: Vnde & Angeli aues à Salomone dicuntur: vt zohar rectè ſentit. Hinc forſitan ipſi paſsim cum alis pinguntur. ſunt etiam alæ illæ, cum quibus (vt Plato ſcribit) ad cœlum volamus: intelligentia videlicet purificata & amor perfectus. Sunt nempe virtutes ſcala per quam in Deum conſcendimus. Iuxta illud prophetę. Ibunt de virtute in vir-

tutem

tute, & videbitur Deus Deorum in Sion. Quam ſcalam vidit Iahacob in Betel: in cuius faſtigio, velut in Sion, vel ſpecula, videbatur Deus: vt propheta canit. nam hæc eſt ſcala de qua Auguſtinus particularem tractatum ædidit, ſcala videlicet paradiſi: quam quatuor gradibus conſummat prout à ſaluatore ſe didiciſſe fatetur, qui ait. Quærite, & inuenietis: pulſate & aperietur vobis. Quærite, legendo videlicet, quia in ſcriptura habemus omnia, quæ nos ad fœlicitatem ducunt. Et inuenietis, meditando & opere exequendo. pulſate, orando & petendo vim & fauorem illius, qui dixit. nihil ſine me poteſtis facere. Et aperietur nobis, contemplando, illa videlicet æterna ſpectacula: vt Ricardus exponit. Reuertitur igitur principaliter anima ad Deum, à quo exiuit: Alias intellectus & voluntatis (& ſecundum Platonem) actibus earum potentiarum, ſpeculatione videlicet & operatione virtutum. Vel alij columbarum, quibus volare deſiderabat propheta, dicens. Quis mihi dabit pennas, ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam; in loco videlicet mihi proprio & à principio præfinito. Etiam alis amoris Dei & proximi, vt ſentit Hieronymus; Et alis Aquilę. Iuxta illud Deuteronomij. Sicut Aquila prouocans filios ſuos ad volan-

volandum, & ſuper eos volitans expandit alas ſuas, & aſſumpſit eum. Quæ Aquila eſt ſpiritus ſanctus (vt dicunt ſecretiores Theologi) quam alio nomine ſachinam vocant. Et quamuis (ſecundum Apoſtolum) opera noſtra & paſsiones, quas toleramus: non ſint condignæ ad futuram gloriam, ad quam properamus: Volamus tamen ad illam, non alis à nobis confectis, ſed gratia Dei condonatis. Hinc notanter dixit propheta. Quis dabit mihi pennas, ſicut columbæ? nam recognouit illas à datore omnium bonorum dandas. Aſcendimus etiam attractu quodam; iuxta illud ſaluatoris. nemo venit ad me, niſi pater meus traxerit eũ. Attrahit enim latione communi, de qua dicitur ab Apoſtolo portans omnia verbo virtutis ſuæ. Etiam latione particulari, ſicut Saluator in parabola ouis omiſſę, dicens: quod inueniens eam, imponit in humeros ſuos gaudens. Et, iſte eſt Chriſtus. Quod contemplans Auguſtinus in perſona Chriſti, ait. Cum eſſes inimicus patri meo, reconciliaui te, humeris meis portaui te, patri meo reddidi te, à quo veniſti. Quod Moſes iam prædixerat, dicens. portauit te Dominus Deus tuus, vt ſolet homo geſtare paruulum ſuum, donec venires ad locum tuum. portat etiam, nos exonerando onere peccatorum:

torum: quo exonerata anima cœlum conſcendit, naturali inclinatione ſibi à principio indita. Hinc Eſaias, ait. poſuit in eo Dominus iniquitates omnium noſtrum. Sunt igitur ſex alæ ſeraphinis (vt teſtatur Iſaias) vt duabus corpus tegant, & duabus pedes, cæteriſque duabus volent. per ſex etiam alas, intelliguntur ſex gradus virtutum, quos extendunt ad ſex partes Mundi corporis ſphærici, ſcilicet ante, retro, dextrorſum & ſiniſtrorſum, ſurſum ac deorſum. Quos Angulos deſcribit munitos Abraham ſex reuelationibus trium literarum nominis ſancti יהו: per hæc exequuntur ſeraphini, quæ Deus committit. Ophanini enim (vt dicunt ſecretiores Theologi) materiam diſponunt: ſeraphini vero excalefactoria virtute & vita omnia diſpoſita complent. ipſorum enim eſt cura replere totum mundum, & omnes eius partes ſua excalefactoria virtute: Ideoque ſex alas habent. Seraphini vrentes, ardentes, aut exęſtuantes interpretantur. non quippe erunt, veluti hic corporeus ignis, conſumens, & crucians: ſed veluti ſupremus, aut ſupramundanus ignis, qui inflammat, probat, & viuificat. Deferunt enim ſupremum illum ignem ad inferiora, viuificantes omnia, & inflammantes piorum corda.

dà. Quod officium fecit aliquando, veluti ſummus ſeraphinus, Chriſtus: qui dixit. Veni mittere ignem in terram: & quid volo, niſi vt ardeat. Et, quia ſeraphini deferunt illum ignem ſpiritus ſancti, tenentes in terris aliquando vicem ipſius: Hinc creditur Origenem dixiſſe, Seraphinos eſſe ſpiritum ſanctum, non quidem re ipſa, ſed officio, ſicut Angelus Moſi multoties dicitur Adonai, vel Deus. Et, hoc quatenus Dei officio fungebatur, Dionyſius ille magnus, ex officina præceptoris ſui, ſexdecim Seraphinis attribuit, dicens. Seraphinorum cognomen eſt, mobile ſemper circa Diuina, inceſſabile calidum, acutum ſuperferuidum, inflexibilis ſemper motionis, ſuppoſitorum agminum reductiuum. Actiuum exemplar: Recalefaciens illa inferiora: Reducens in ſimilem caliditatem cœlitus illo igneo vigore comparato, ea quæ tanquam holocauſta ſumma vi incendij expurgat.. non circunuelatum exiſtens, ſed lucidum inextinguibile, ſemper illuminans, omnem tenebroſam obſcuritatem expellens. Et, propter has rationes conueniunt cum primo mobili. cum .n. primum ſit, quod mouetur, & ab ipſo primo mouente immediate, merito in reuolutione ſua ſemper in ipſum primum fertur: vt eius iuſſa capeſcens expleat in alijs omnia

ad li-

ad libitum imperantis. Oportet ſecundo vt inceſſabili calore vigeat: quo ſine intercapedine moueatur, & tanta vi trahat ſecum omnia: vt à tanta machina minime impediatur. Acutum inſuper vt ſit, neceſſe eſt, in virtute qua omnia penetret: & vſque ad vltimos globos vim ſuam diffundat: Et, cum omnes rapiat, feruentius eſt ſuper illos omnes: Ideo ſicut dicit: ſuperferuidum eſt. ſcilicet genus ſeraphinorum: ſi videlicet debeant omnes inferiores mouere: & ferueſcentes & Deificos facere: ſic ſuperferuidũ eſſe debet illud, quod omnes ferueſcere facit ad motum: & cum inferiora omnia ad eius nutum moueantur, vt ſemper expleant, quæ ſupremus iubet: coguntur ambo habere motum inflexibilem: Et, ne videatur vtriuſque vanus labor in mouendo ſibi ſubiecta. ſicut ſeraphini vi ſua ignea reducunt inferiores mentes in Deum: ſic iſtud rapiens ſuo igneo impetu mouendo omnia ea diſpoſuit: vt in primum redeant. Et, quia vtrunque non modo impellit, ſed præcedendo rapit ſecum, dicuntur actiua exemplaria. Quorum ſeraphini amoris incendio: & globus iſte celerrimo motu & influxu omnia calefaciunt: reducunq; ſic in id incendium quo ipſi accenſi ſunt: ſed illis vim hauriunt à Deo, quo fruuntur & hic à magni
nomi-

nominis reuolutionibus duodecim : quas auaioth vocant Hebræi: Quarum quælibet vni ſigno præponitur : & totum nomen, quod Hebræi quatuor literarum, græci Tetrag. Pythagorei Tetractim dicunt, omnibus ſignis. Quorum virtus eſt in primo mobili, vt docent Aſtronomi: quamuis imagines in ſtellato cœlo appareant, non tantum in ſitu ſyderum: ſed in veris figuris: ſicut comprobarunt certis temporibus, & inſtrumentis viri probatiſsimi: qui oculis proprijs viderunt Tauri, vel Arietis figuram in orbe ſignorum. Illis igitur ſancti ſanctorum, & ſanctiſsimi nominis virtute illi inflammando: & hic tanquam rota fullonum purgando, quos mouet, incendunt: vt tanquam holocauſta aſcendant ad ſupremum. Et, ſicut ſeraphini nihil cognoſcunt ſuperius, quo obtegantur, cum ſint primæ luci abſque medio addicti: ſic iſte circulus ſuperiorem non habet circulum mobilem: cum ſit contiguus empyreo globo, & Dei ſedili: quod tanta diuina luce eſt perfuſum: vt nihil obſcuret, ſed illuſtret indutus naturam ſuperioris: ſicut omnia denaria: vnde vtrique ſemper lucidi ſunt. Continent etiam inextinguibile lumen, & incendium, quo ſemper inflamment, & illuſtrent: vt illi perpetuo colluſtratiuo incendio, & hic raptu, & ui

ſua ignea poſt multos circuitus, proiectis feci bus omnia purganda reddat opifici expurgata: adeò vt in eundem deſtinatum reditum faciant.

Data eſt circuncisio ad liberationem à virtutibus immundis, quæ in circuitu ambulabant.

Deus ad ſacrificia inſtituenda deueniens, multa præcepit pro diuerſis, varijsq́ue expiationibus offerri. quod durum videri non debet, Deum delectari ſanguine animalium fuſo, carnibus aſſatis, aut combuſtis: & horum, atque aliarum rerum odoramentis, vt pleriſq́ue in locis dicitur. Et odoratus eſt Dominus odorem ſuauitatis. ideò inter maxima habentur ſacramenta. Vnde, pro huius rei declaratione, tenendum eſt, quod Deus ſummus nullis odoribus, nullis ſaporibus oblectatur, nec cibis paſcitur corporalibus animalium, aut panibus confectis & oleo linitis, aut adipe quoque perfuſis: licet hæc omnia in lege fieri iuberetur: & hoc in ſacramentũ eorum, quæ à Chriſto verè fieri debebant: & eorum, quę conſequenter à nobis peragenda ſunt: mortificando videlicet, membra noſtra, & ea offerendo in ſacrificium acceptabile. quorum illa figuram gerebant: & præterea, vt virtutes illę, quæ nos continuè de criminibus, à nobis perpetratis, & omnibus bonis omiſsis accuſant ad tribunal Dei, placarentur

his

his peractis, quę figurabant veram illam oblationem: per quam plena expiatio fieri debebat omnium peccatorum, ideò circuncisio instituta est, dicente Salomone. per quæ quis peccat, per ea puniri debet. cum igitur omnia peccata ex carne, & sanguine proficiscantur: idcirco Deus ordinauit peccata per sanguinem expiari. Vnde Pau. sine sanguinis effusione non fit remissio. Et, quoniam tempore patrum Christi sanguis nondum erat effusus, hinc est, quod Deus ab illis propriam requirebat carnem, & sanguinem: & propterea circuncisio est instituta, vbi caro computatur, fitq; effusio sanguinis. Effundebatur etiam animalium sanguis, quia Diabolus Carnifex Dei, & minister iustitiæ, illorum animas accusabat, quæ circuncisa non fuerit, peribit. quod confirmat Paulus. caro, & sanguis regnum Dei non possidebunt, id est, incircuncisi carne, vel spiritu. Et contra circuncisos carne non præualebat Diaboli accusatio: sicut nec modo præualet contra spiritu circuncisos. quod confirmat Ioannes in Apocal. dicens. proiectus est accusator fratrum nostrorum. quia Christus suum pretiosum effundens sanguinem, mortificauit circuncisionem, dicente Paulo. Si circuncidamini, Christus nihil vobis proderit: quia diminueret meriti sui

efficaciam. Ex lege, non iustificabatur quis, nisi à peccato per ignorantiam contracto, aut per mentis surreptionem, & huiusmodi. Ad hoc quod lex iustificet vere hominem: oportet primo quòd tollat peccatum: & liberet hominem à seruitute peccati, & à debito. secundo quòd reddat ipsum charum & acceptatum, & dignum vita æterna: & tunc homo dicitur verè iustificatus: quia dignè vitam meretur ęternam: quia ergo homo propter peccatum originale erat vita æterna priuatus: & propter actuale erat ad sensus penam æternam in inferno obligatus: & sic in Dei ira & odio. Vnde primo oportebat ipsum absolui & purgari ab vtroque peccato: secundo reduci in gratiam Dei & gratificari ad vitam æternam consequendam. circuncisio verò non poterat de se à peccato originali & seruitute absoluere: & ipsum reducere in Dei gratiam, & facere ipsum meritorium, & dignum vita ęterna. pellicula enim illa quæ scindebatur, & modicus ille sanguis in circuncisione effusus, vilissimus erat respectu animæ: quare sufficiens precium non erat pro toto homine redimendo, maximè quo ad animam: & sic eam redimere non poterat, nec à debito liberare. Similiter nec animalia in lege imolata, & sacrificia: nec cætera legis veteris sacramen-

cramenta, poterant pro peccato ſatisfacere: nec hominem à mortali peccato liberare: quia ſanguis ille de per ſe gratus non erat Deo: ideo modum tenere non poterat inter Deum & peccatorem: vnde homine melior eſſe debuerat, & Deo inferior: quod minimè fuit. Concludit ideò Pau. ad Gala. dicens. non ex operibus legis, ſaluabitur omnis caro. Dico ergo, quòd ſolum lex vetus à peccato per ignorantiam contracto tantummodo iuſtificabat: ab iniquitate verò quam Auon עון dicunt, & à tranſgreſsione, vel rebellione, quam piſah פשע nominant: & ab impietate, quam raſa רשע nuncupant, nequaquam. Ideo Dauid commiſſo adulterio, quod eſt iniquitas, & homicidio, quod impietas dicitur: ſciens quòd huiuſmodi ſacrificijs non purgabantur: dixit. Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium dediſſem, vtique holocauſtis non delectaberis. Huiuſmodi autem lapidari iubebantur, vel aliquo necis propriæ genere expiari: à quibus omnibus veniens Meſsias nos liberauit, eo quòd in ſe precium infinitum continebat, & de ſe liberum erat & immune, & nulli peccato obnoxium: & de per ſe Deo charum & acceptum, tenens medium in dignitate inter Deum & hominem. Ergo hoc ſacrificium, & eius paſsio fuit ſufficiens ad redimendum ab

omni peccato omnem hominem, cum fuerit Deus & homo, & eius precium in ualore erat infinitum ratione dignitatis. & inquantum homo erat liber ab omni peccato in natura & in persona. Et sic propter puritatem erat sufficiens oblatio, & erat Deo charum & acceptũ propter immensam charitatẽ & obedientiã. Vnde Esaias, hoc negotiũ aperte describit, dicens. parauit Dominus brachium suũ (dextrum videlicet misericordię, & gratię) in oculis omniũ gentium. Quod tantummodo erat in populũ Israeliticũ extensum. Vnde sequitur. Videbunt oẽs fines terrę salutare (vel salutẽ aut saluatorẽ) Dei nostri, quem, s. mittet pro omnibus redimendis. post modũ ad gentes propheta sermonẽ dirigens, subinfert. Recedite, recedite à cultura (Dęmonũ videlicet, & idolis) pollutum (idolotitum) nolite tangere. exite igitur de medio eius, cultus scilicet idolatriæ, & mundabimini ab omnibus inquinamentis, & pollutionibus vestris. Vos qui fertis vasa Domini (qui habetis potentias receptiuas diuinitatis, adeò vt dicamini templum, & habitaculum Dei). sequitur infra vates, dicens: Disciplina pacis (modus reconciliandi cum Deo acquirendus super eum) & liuore eius sanati sumus; nam omnes nos errauimus, quasi oues, vnusquisque in viam suam declinauit:

omnes peccatis & iniquitatibus, & eis reatibus erant obnoxij, à quibus non poterant eripi. Ideo posuit in eo Dominus iniquitates omnium nostrum. Quod opus, quanuis cum repugnantia partis sensitiuę, tñ voluntariè aggressus est, vnde sequitur. Oblatus est, quia ipse voluit. Hinc dixit Petro conanti eripere eum de manu capientium. Calicem, quem dedit mihi pater non vis, vt bibam illum? Et, cum antea abhorreret Petrus nomen, & crucis opus, dixit ei. Vade retro satana, scandalum mihi es, quia non sapis, quæ Dei sunt, sed quæ hominum. Quia igitur voluntariè suscepit hoc opus, ideo non aperuit os suum in sui defensionem, sed tanq̃ mutus stetit corã Herode & Pilato, qui eum quærebat liberare: vnde sequitur. Sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet. Agnus quidem fuit tollens peccata Mundi, & scelera omnia, quæ nullo sacrificio expiari poterant, immolatus in vero pascate, & transitu ad meliorem vitam. Et, ideo solus crucem pro nobis tulit, vt canit Esaias. Torcular calcaui solus, si enim collegas huius misterij habuisset, teneremur non vni tantum Redemptori, sed pluribus: nec ipse habuisset hanc gloriam, vt solus esset omnium Redemptor. Loquens enim Paulus de hoc triũpho crucis, ait, palam triumphans

in ſemetipſo. Hinc dixit ipſe Chriſtus Petro. Si peterem à patre duodecim legiones Angelorum: daret. Sed non peto videlicet: quia non expedit. cum ſolus decertare debeam. Et, in hoc certamine derelictus fuit à patre, vt ipſemet conqueſtus eſt in cruce, dicens. pater, quare me dereliquiſti? Alioquin enim non fuiſſet paſſus. nam Diuinitate fruens non patitur. Derelictus etiam fuit, quia nullum habuit coadiutorem, vt ſolus pateretur: ſicut dictum eſt. pater enim miſericordiarum, & totius conſolationis reliquit eum ſolum ſub tribunali Gheburah ſeueræ iuſtitiæ: nullum ſubſidium Ghedulah, ſiue Cheſed, id eſt, gratiæ & conſolationis, & pietatis ei præſtans (ſicut proprium eſt ipſius patris) vt ſufficienter pro generis humani ſalute pateretur. Verum eſt, quod in operibus perpetrandis nunquam derelictus fuit à patre. ideo dixit ipſe. Qui me miſit, mecum eſt, & non relinquit me ſolum. In ſimili propoſito, clamat propheta in perſona Chriſti, dicens. Deus meus clamabo per diem, & non exaudies: & nocte non tacui: vt habet veritas literæ. Dum enim tanquam homo timeret horrendum caſum paſsionis: non fuit exauditus: neque in cruce orans in die: neque orans in nocte in antro montis oliuarum, dum patrem oraret, vt tran-

vt transiret ab eo calix. Causam autem, aut cur non fuit exauditus, statim innuit, dicens. Tu autem in sancto habitas, laus Israel. Habitat enim semper in sanctuario suo: cum semper sanctus, semper in beneficium, & vtilitatem nostram operetur. Ibi itaque stabat pater nolens à decreto sancto suo recedere. Et orauit Filius contra patris decretum: sicut ipsemet prædixerat, dicens. Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo. Hoc fecit indulgens humanæ timiditati. Et, ne alijs peccatum imputaretur, si timore naturali refugerent ea, quæ ratione subeunda sunt. Fuit tamen exauditus semper in nostrum beneficium & suum: quare benedicit ipsemet. Scio pater, quòd semper me audis. profiteri ergo debemus, vnicum esse omnium Redemptorem: in quem credentes salui efficimur, dicente Petro. non est in aliquo alio salus. Quod & ipsemet Redemptor reserauit, dicens. Sic Deus dilexit Mundum, vt filium suum vnigenitum daret: vt omnis qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Hic enim videtur conclusum totum hominis, redemptionis, & fidei negotium: quod fuerit videlicet productus homo primus de terra terrenus: qui Diaboli, & mortiferi serpentis venenum imbibens recessit à Deo

trahens secum in radice totam arborem generis humani in seruitutem diaboli, & in pabulum mortis, secundum quod dictum fuerat. Quacunque hora comederis, suasu scilicet Diaboli serpentis, morte morieris. Bene enim nouerat sapientissimus opifex hominem euadendum & tentandum à mortis Angelo, & virulento serpente: vnde fuit vulneratum humanum genus letali, & irreparabili vulnere; quia peccatum fuit quodammodo in spiritum sanctum; vt alibi dixi. Hinc medela afferri debebat ab homine, qui non esset de stirpe illa infecta: sed descenderet de cœlo cœlestis: cuius pelle primo tegeretur hominis nuditas terreni per peccatum inducta. postea carne ipsius melioris serpentis à nobis comesa sanaremur à vulnere inflicto à serpente illo nequissimo. Et hoc est quod noster bonus serpens & cœlestis homo, ait. Sicut exaltauit Moses serpentem in deserto, ita oportet exaltari Filium hominis, vt omnis qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam æternam. postremo credendum est, quòd venerit ea magna virtute, qua posit nos eripere de imperio mortis, & à potestate tenebrarum, & facere nos credentes (vt Petrus ait) genus electum, regale sacerdotium, gentem sanctam, populum acquisitionis,

tionis, ſiue acquiſitum, & ereptum de perditione per peccatum inducta: & detrahentem noſtram terream ſortem impellentem ad caſum illo mortifero Angelo, immundo & ſordido, qui ambulat in circuitu, cum Angelis ſuis apoſtaticis, quęrentes quos deuorent.

Ideo circuncisio fit octaua die, quia eſt ſuperior, quàm ſponſa uniuerſalizata.

F. A. Sola ſacramenta nouæ legis de ſe poſſunt tollere, & gratiam conferre, & hominem iuſtificare: ſunt.n. huiuſmodi ſacramenta, inſtrumenta realiter virtutem continentia, & pretium paſsionis inſtitutæ ad peccata tollenda, & ad gratiam conferendam, & iuſtificandum hominem. Cauſa ideò quare veteris legis ſacrificia de per ſe non poterant hominē iuſtificare, nec per ſe tollere peccata, erat: quia Chriſtum reipſa non continebant: nec paſsionis pretium eius: ſed ſacramenta nouę legis, aut Chriſtum realiter continent, ſicut in euchariſtia, aut paſsionis eius virtutem & pretium continent: quemadmodum eſt baptiſmus, confirmatio, & pœnitentia, & cœtera ſacramenta: ideò illico gratiam inuiſibilē efficiunt & conferunt. & continuo ſoluunt pro peccatore: nā Chriſtus per eccleſiaſtica ſacramenta operatur, tanq̃ inſtrumentum vſuale continens paſsionis eius pretium & theſaurum

ſaurum virtualiter. Sacrificijs verò & ſacramentis veteris legis, non erat Chriſtus realiter, nec eius paſsio: ſed ſolum tanquam in ſigno: inquantum illa erant Chriſti figura immolandi in cruce: ideo nec de præſenti gratiam efficiebant, quam figurabant. nec ſoluebat redemptionis pretium, quod per Chriſtum figurabant in cruce ſoluendum. non ſic de nouę legis ſacramentis: quia continuo efficiunt quod ſignificant: eo quod realiter continent paſsionis Chriſti pretium. nam ſacramentum Euchariſtiæ illico per ſe gratiam confert recipienti diſpoſito: & ipſum Deo reconciliat: & omnes pro quibus offertur reconciliat Deo. niſi habeant obicem. Similiter baptiſmus continuo ſoluit paſsionis Chriſti pretium, pro baptizato, & in pœnitentia pro peccatore pœnitente, &c. Iuſtificant nempè illum, & vita æterna hominem dignum efficiunt: Vnde decens homo illico volat ad cœlum in paſsionis Chriſti virtute, quam per ſacramenta recipit. Et in confirmatione dantur gratiarum dona ſpiritus ſancti. Dicendum ergo, quòd omnes fideles veteris inſtrumenti, per ſolam fidem de Chriſto futuro, fuerunt iuſtificati, & à peccatis abſoluti: non poterant tamen conſequi repromiſsiones, niſi per Chriſtum. Vnde Pau. ad Hebr. enumerat principales patres veteris

ris teſtamenti : incipiens ab Abel, probando quòd omnes illi per fidem Chriſti futuri perſecutiones paſsi ſunt : & facti ſunt Chriſti membra. Erat enim ipſe eis creditus, ideo ab eo redimi expectabant. Et ideo tanquam Chriſti membra meruerunt Chriſti paſsionem participare, quia ſub tali fide abſoluti ſunt à peccato. Abraham enim in præputio exiſtens iuſtificatus fuit per fidem, eo quod credidit Deo, quando ſuſpiciens in cœlum, credidit ſemen ſuum ſpirituale per Chriſtum multiplicandum, ſicut ſtellas cœli: & quia credidit, ideo reputatum eſt illi ad iuſtitiam. Gene. 15. per ſolam ergo Chriſti fidem ſaluati ſunt patres veteris teſtamenti. In circuncisione peccatum originale tollebatur, non in virtute circuncisionis, ſed in virtute fidei Chriſti futuri, quia illa circunciſio, non in ſe continebat pro peccato ſufficiens pretium, nec ad placandum Deum: nec iuſtificandum hominem. Et ſic eſt dicendum de ſacrificijs veteris legis, quia non continebant tale pretium vt pro peccato ſatisfacerent, & populum Deo per ſe reconciliarent: ſed talis iuſtificatio in fidei virtute fiebat, quam offerentes habebant de Chriſti paſsione; Et ſic antiquorum circunciſio de per ſe nullius erat valoris ad tollendum peccatum, niſi ratione fidei conferentis. Ideo ſacramen-

ta no-

ta nouæ legis à quocunque conferri poteſt, etiam ab heretico, & ſchiſmatico, vel Iudęo, in fidelis abſentia. non ſic de ſacramentis veteris legis: quæ fidem in agente requirebant, eo quod in ſe non continebant, quod figurabant, cum eſſent ſignum. Et, ſignum ſortiebatur circuncisio. primo ſignum diſtinctiuum, Iudæorum à cæteris na tionibus. Secundo erat ſignum figuratiuum, paſsionis Chriſti futuræ, per effuſionem illiuſmodi ſanguinis. Significabat etiam præputij cordis abſciſsionem. prout Deut. 10. dicitur. Circuncidite præputium cordis veſtri. Et, figurabatur peccati abſciſſio, per illius pelliculæ abſciſsionem. Tertio præfigurabat quoddam caſuale tributum. Quarto fidem ſignificabat pręputium per Chriſtum in cruce ſoluendum: & ſic erat ſignum fœderis & peccati, atq; pretij futuri. Sexta cauſa aſsignatur in præcedenti concluſione, ſcilicet vt liberarentur à ſpiritibus immundis. Septima aſsignatur in præſenti con cluſione: quæ eſt, vt oſtenderet influxum ieſot præcedere & eſſe ſuperiorem, influxui ſponſæ vniuerſalizatæ. Vnde nota quod circuncisio (vt habetur Leuit. 12.) octaua die fiebat: tamen neceſsitate vrgente, citius fieri poterat, & tardius, ſine legis ſolutione. Hoc autem factum eſt, quia octa-

uus

uus dies octauam figurat ſephirah ieſot, quæ octauo ponitur loco, computando pro vna ſephirah hod & nezach. prima eſt cheter: ſecunda eſt chocmah: tertia eſt Binah: quarta eſt ghedulah: quinta eſt gheburah: ſexta eſt tipheret: ſeptima eſt hod & nezach: octaua eſt ieſod, à qua omne pactum, & fœdus, omnis enim legis dictio, quæ fœdus ſonat, vnum de tribus ſphiriſticis luminibus inſinuat, ſcilicet El chai ieſod, Adonai Malchut, Elohim binah, ſine prudentia, fœdus Elchai iezot, eſt fœdus pacis, fœdus ſabbati. Inſtituit mundi conditor circuncisſionis fœdus, vt per ipſum Elchai conſortes efficiamur: vnde dicit lex: ſi circunciderit, & circunciſi membri præputium membri coronam non patefecerit, pro nihilo circunciſio ipſa reputabitur. Membri enim circunciſio, & coronæ oſtenſio, abditum pandit introitus ad vitam: nam ieſod æternam dat vitam: & ideo dicitur Elchai, id eſt, Deus vitæ. nam iſte inter ſephirot, extremum obtinens locum, à cunctis ſuperioribus haurit gratiam, & vitam: in quā nos per Adonai Malchut tranſmittit, & diffundit. quatenus enim ipſam dimenſionem gratię ſuſcipit, El appellatur: ex quo aūt vitam abſorbet, viuus dicitur. quæ duo in ſe vniens, Deus viuus nuncupari ſolet: & hanc

vitam

vitam non minus Angelicis, quàm cœlestibus choris, totiusq; terrarum orbis multitudini vberrimæ vitæ munus impartit. cui inhians Dauid, dicit. Sitiuit anima mea ad Deum Elohim, ad Deum El viuum: per quorum connexionem omnia vota consequimur, & ideò cognominatur Sadai: nam est sufficiens nobis satisfacere, nosque beare. à simili ergo quia circuncisio erat arabo æternæ vitæ, ita quod qui non circuncidebatur, damnationis arabonem habebat, iuxta dictum legis. Anima, quæ circuncisa non fuerit, peribit de populo: propter quod Abraham se, & totam familiam suam circuncidit: ideo talis circuncisio octauo fiebat die, vt præfiguraret Iesot, qui est superior in ordine sephirot, quam sponsa Malchut, quem iesot præfigurabat pelliculæ priapi præcisio. tunc signum erat, quòd iesot aspiciebat Malchut bono influxu, & Malchut aspiciebat talem circuncisum, simili fauore à iesot recepto: nam sponsa Malchut talem promittit influxum, siue semen, qualem, vel quale à iesot masculo recipit. & à cæteris item omnibus, eò quod Malchut sit omnium sephirot sponsa: ideò dicitur vniuersalizata: quasi omnium semina sephirot in se recipiens, earum tanquam matrix, & vxor extat. Est sponsus & sponsa ar-

ſa archetypi. De ſponſo canit Salomon in canticis, dicens. ſponſus meus eſt candidus, & rubicundus. Ex his enim caloribus reſultat illius pulchritudo: qui dicitur ſpecioſus præ filijs hominum. Alludit hic & Salomon ad effectus, quos in nobis ipſe ſponſus operatur. nam aliquando præbet ſe candidum: gratia videlicet pietatis & miſericordiæ: aliquando vero inflammatum, zelo videlicet iuſtitiæ. Hinc non ab re dixit Ioannes, quod Ieſus venit, non in aqua ſolum: ſed in aqua & ſanguine. Intelligitur etiam de ſupremis coloribus: de quibus Plato in Timæo & Phædone (prout ab antiquis theologis didicerat) ampliſsime ſcribit. In dextera enim eſt candidus, ratione influxuum gratiæ & miſericordiæ: in ſiniſtra verò rubicundus, reſpectu defluxuum iuſtitiæ & punitionis. Quod ipſe Chriſtus verus ſponſus innuit: dum ait dicturum ſe ijs, qui a dextris eius erunt. Venite benedicti patris mei, id eſt, coronæ ſupremæ: poſsidere paratum vobis regnum, ſcilicet omnium ſeculorum Enſoph. Et ijs qui à ſiniſtris eius erunt. Ite maledicti in ignem æternum ſæuæ iuſtitiæ. De quibus, ſcilicet dextra & ſiniſtra, dicitur in canticis. Leua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. non eſt ſermo de laſciuo amplexu: nam huiuſmodi ne-

faria diuinis non miſcentur . id maxime e cum paulò ſuperius dixerit . Ordinauit in me charitatem . ſicut ergo de oſculo locutus eſt ſerpens , ita & hic ſpiritualem amplexum innuit : Dei videlicet, cuius ſiniſtra (vt ſæpius dixi) eſt iuſtitia ſeuera , robur , ac fortitudo . Quam ſiniſtram optat ſubſterni capite ſuo , id eſt , rationi & ſuperiori parti : vt inde roborata fortius agat in rebus diuinis & ſacris . Optat quoque amplexari dextera illa , de qua ſcriptum eſt . Delectationes in dextera tua vſque in finem . Et iterum . Dextera Domini fecit virtutem , dextera Domini exaltauit me . In qua dextera reſidet caput & ſponſus noſter Chriſtus . Iſte ſponſus eſt Tipheret (ſecundum Cabaliſtas) qui auſcultat ſponſam malchut , in horto morantem . tanto enim affectu cuſtodit eam ſibi creditam : vt ne tantum eam diligat : ſed omnia bona ſua illi impartitur : eam conſtituens principem remunerandorum , & mulctandorum : Et verſa vice : ſponſa ita ſponſum diligit , vt languere dicatur , præ dilecti amore (vt dicitur in canticis) cum inter eos ſit amor reciprocus , impenſus & idem repenſus : Et ſic ita carè diligit ſponſam , vt ei in horto præbeat vbera ſua (vt habetur in canticis) in horto , ſcilicet voluptatis , qui in

tribus mensuris consistit supremis: ibi est chocmah habens vbera plena lacte: diuinæ scilicet sapientiæ: similiter sponsus introducit sponsam in cellam vinariam, id est, in vnionem amoris signatum per vinum: quá vnionem habent sephirot, quæ in vnam coronam supremam vniuntur; in amplissimo ordine sphiristico, siue in magna domo Dei, sicut multa grana vuæ in idem vinum conueniunt. Ideo sequitur ibi sponsa, dicens. ordinauit in me charitatem. Et, quia sponsus gaudet de fauore præstito suæ sponsę ab inferioribus dimensionibus: ideò ait. Descendi in hortum, vt viderem poma conuallium, idest, influxum in sponsam demissum à conuallibus, id est, ab humilioribus seu inferioribus numerationibus. Et quia influxus diuini supradicti infinitæ sunt perfectionis: ideo sponsa eos degustans, ait. Et, fructus dulcis gutturi meo: Quia etiam isti inferiores sephirot in sponsam influentes, sunt in duplici ordine constituti: scilicet à dextris Austri, & à sinistris Aquilonis. ideò sequitur sponsus vocans eos omnes ad influendum in hortum vbi erat sponsa, dicens. Veni Auster & Aquilo, & perflate hortum meum. Ab Aquilone quippe perflari petit, vt robur, & fortitudo veniat, qua corroboretur sponsa contra venenum Samuelis.

Austrum quoq; gratię postulat: vt Mundum hunc inferiorem irroret bonis charysmatibus, contra antiquum serpentem. Ideo sequitur sponsus loquens cum sponsa, dicens. Tempus putationis aduenit, scilicet vt tu sponsa amputes à te talia bona, & creatis impartiaris. Et quamuis iste sponsus habeat in sponsas omnes septem dimensiones inferiores: quia omne superius, respectu inferioris dicitur vir & masculus, & omne inferius habet rationem fœminæ. nam omnes nos, qui grauidamur à facie Dei: & qui in operando locum tenemus inferiorem ac fœmineum (cum Deus teneat superiorem & masculinum) ideo creata respectu ipsius meritò fœminæ dicimur: Viri respectu mulierum, tenent vicem masculi: Quemadmodum cœli respectu terræ, quæ ab eis grauidatur, habent rationem masculinam: respectu vero Angelorum, & Dei, à quibus influxum suscipiunt, habent rationem fœmineam: sicut ab antiquis theologis diffusè scribitur. Vnica tamen est columba sua (vt in canticis dicitur) quæ est Malchut: quia mulier à principio fuit deputata vna vnicuique. Hinc secundum legem, non permittitur sacerdoti (qui immaculatus esse debet) coniungi pluribus mulieribus. Quamuis alijs permittatur licite, ad euitanda maiora

ſcandala. Et quia pulchritudo mulieris, eſt occaſio amoris viro in eam: ideo ſponſus declarat motiuum amoris præcipui erga ipſam, dicens. Oculi tui, ſicut piſcinæ cheſbon: ſicut enim ſponſa iſta eſt plena omnigeno defluxu, ita eſt plena oculis, id eſt, cognitionibus omnium rerum, etiam antequã fiant. Sicut enim piſcina eſt locus in quo omnes congregamur aquæ: ſic Malchut ſponſa eſt piſcina in qua aquæ congregantur illæ: de quibus dictum eſt. producant aquæ ſerpituram animæ viuentis. Quæ quidem aquę ſunt rationes ideales. Hinc piſcina illa dicitur chesbon, id eſt, cogitationis. Ideę enim ſunt excogitatæ rationes rerum producendarum. Sunt etiam aquæ illæ, omnium influxus ſephirot; & qui à Malchut ſponſa, vltimum obtinet locum: ideo ab omnibus ſuperioribus ſemen recipit deciſum ab eis. Et hoc modo dicitur ſponſa vniuerſalizata, id eſt, vniuerſalis: ſiue communis omnibus ſephirot.

Nullæ ſunt literæ in tota lege, quæ in formis, coniunctionibus, ſeparationibus, tortuoſitate, directione, defectu, ſuperabundantia, minoritate, maioritate, coronatione, clauſura, apertura, & ordine decem numerationum ſecreta non manifeſtent.

F. A. Tantæ eſt dignitatis lex, vt admirans dicat Dauid. Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua. In lege enim ſunt mirabilia Euangelij, quo lex grauida erat. In lege docetur Mundi fabrica, & modus. vnde rerum ſpecies, ordo, formæ, materia & operatio: quiſ ve ſit omnium finis. per legem inſtruimur, qua via, & quo itinere in Deum pergere poſsimus. Ibidem inſtruimur de euentibus rerum præteritis & futuris: & quòd Dei prouidentia omnia eueniunt. Ibi edocemur de concentu & mirabili rerum armonia inter ſe, & cum Deo: Abſq; etiam controuerſia oſtenduntur Ideæ ibidem: in quibus eſt tanta vis (vt Auguſt. rectè ſentit) quòd niſi illis intellectis nemo ſapiens eſſe poſsit. Ibi enim ſignificantur nobis intelligentię reconditiſsimę: & commercium earum nobiſcum: immo conſortium Dei: & quomodo poſsimus illum trahere ad nos, vt ipſo impleamur, & ipſe familiarius agat nobiſcum. Et (quod maius eſt) in lege docemur, quomodo in ipſum Deum transformari & Dij effici poſsimus. Sed hæc tam occulto myſterio reſerantur, vt indigni videntes non videant, & audientes non intelligant. Docet ergo nos lex ad Deum conſcendere, ita quod Euangelium mittit nos ad legem, dicens. Si vis ad vitam ingredi,

ſerua mandata Dei; Et iterum. In lege, quid ſcriptum eſt? Quomodo legis? per Euangelium fit remiſsio illorum peccatorum, quæ per legem expiari non poterant, niſi per mortem eorum, qui ipſa committebant. per Euangelium etiam promittitur denarius diurnus, vita æterna, atq; regnum cœlorum, quę nequaquam per legem dabantur. Obſeruatio legis mandatorum vitam præſtabat, fauente Euangelio: ſed ſine Euangelio, non pollicebatur lex, niſi regnum terrenum, & fauorem temporalem. Quamuis hæc figurent æterna, ſicut in lege figurabatur Euangelium: poteſt etiam in lege & per legem quis dici & effici ſanctus. Vnde Deus dixit patribus. Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum; Vnde hoc verbum chados קדוש, id eſt, ſanctus, ſignificat dedicatum vel initiatum Deo, & in ipſum Deum directum, tanquam in finem vltimum. Eſt enim Deus dicatus, aut initiatus hominibus. Et ſibi ipſi dedicatus & directus in ſeipſum. Et ideo ipſe dicitur principium & finis. Et.i. eſſe verè ſanctũ, vt Plato in Euthyphrone concludit. Qñ videlicet reddimus Deo, quod ab ipſo immediate accepimus, animã videlicet & imaginem. Quod per legem (vt norunt ſapientes) facere docemur. Deus aũt reducit in ſeipſum non quod accepit, ſed quod ab æterno, &

à ſeipſo habuit. Lex quippe circulum perficiebat, & ſi iuſtificare nequiret. perficit.n. Lex aſsimilando: ſi non complet iuſtificando. Tota enim Dei intentio in lege eſt (vt alias dixi) vt per ipſam ipſi Deo penitus efficiamus. Sicut in aliquibus præceptis patet. Quamuis in alijs idem fiat, ſed occultius. Vbi enim de ſanctificando ſabbato agitur expreſsè dicitur. Requieſcite in die ſeptimo: ſicut Dominus Deus veſter eo die requieuit. Et in menſe primo iuſſum fuit comedi azima ſecluſo penitus fermento, quod eſt panis corruptus: in memoriam fabricæ Mundi eo tempore factæ: & productionis rerum abſque aliqua corruptione præuia. Nam abſolutus fuit primus Opifex à lege naturæ, qua dicitur. Corruptio vnius; eſt generatio alterius. Et hoc idem faciunt reliqua legis præcepta. Et quia iſta aſsimilatio fieri non poterat abſque pręuia iuſtificatione: ideo illa lex iuſtificabat. Vnde Dauid. Lex Domini immaculata conuertens animas. Et pluries in lege ſcriptum eſt. Et propitiabitur ſuper eum ſacerdos. Et iſta iuſtificatio fiebat in lege, non per legem. nam legis proprium eſt dare præcepta faciendi & non faciendi. addere quoque pœnam tranſgreſſori. Si autem propitiatio aliqua fiebat, id erat ex Euangelio, legem ſemper concomitante. Et hoc

in vir-

in virtute fiebat agni, Christi videlicet ab origine Mundi, pro omnium expiatione occisi (vt ait Ioannes) non autem in virtute sacerdotis legalis: quia & ipse expiatione indigebat, vt perhibet Apostolus. non enim poterat homo spiritualis expiari per legem: cum ipsa lex sit animalis, animalemque hominem expians. Etiam cum esset lex seruitutis efferre non poterat in libertatem spiritus: præfigurabat tamen legem nouam, cuius grauida erat: ideo magnæ fuit dignitatis, ratione tantæ prolis. Et ideo vt eius dignitas ostenderetur, scripta fuit digito Dei, vt legitur in Exodo: quia ea tunc sacramenta, quæ non nisi à Deo dictari potuerant: Et etiam vt lex perpetua esset, scripta fuit à Deo. nam omnia, quæ ab ipso Deo immediatè procedunt, sine causa secundaria, incorruptibilia sunt: vt Plato simul cum Plotino asserit. Hinc & in tabulis sapphirinis cœlestis videlicet coloris, ipsa lex descripta fuisse dicitur. Et quamuis huiusmodi Tabulæ dispersæ videantur: non tamen est abolita lex: quæ in cœlo scripta fuit. Quod indicabat color ille sapphirinus. sublatæ verò fuerunt illæ tabulæ quia lex cesſit Euangelio, in quo tota lex completur & perficitur. Hinc Christus dixit. non veni soluere legem sed adimplere. Et qui legem adimplebāt, hanc consequaban

tur

tur perfectionem, vt dicerentur fideles in tota domo Dei, ſicut de Moſe dictum eſt in numeris. Inter beatos etiã computabantur. pſal. Beatus vir qui in lege Domini meditatur die ac nocte. Et ſubinfert propheta. omnia quæcunq; voluit fecit, & proſperabuntur. Et iterum. Beati immaculati in via, qui ambulãt in lege Domini. Beati qui ſcrutantur teſtimonia eius, in toto corde exquirunt eum. Quam beatitudinem & fœlicitatem adhuc mortales ſentiunt ex conſonantia mirabili, quam perfectam in ſe habent. Omnis enim voluptas à conſonantia. Conſonantia autem reſultat ex præceptis affirmatiuis obſeruatis, cum virtutibus denotatis per oſſa, quæ cum illis præceptis numero æquantur, & ex præceptis negatiuis in neruis, numero cum ipſis æquatis. vt alias dixi. nam tota lex concinnat nos cum Deo, & inde iucundos reddit. ſicut peccatum diſſonans pœnam & animi afflictionem homini affert. Fructus etiam multi promittuntur ijs qui legem obſeruant. patribus. n. ſub figura degentibus, promiſſum fuit figuratiuum regnum. Iuxta illud Chriſti. Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata Dei. non tamen patribus dabatur regnum cœlorum legem obſeruantibus, quia non erant regenerati, & facti filij regni, nec renati ſecundum ſpiritum niſi pauci ex priuilegio,
virtu-

virtute tamen illius, qui nos regenerauit. Vt labor & pœnitentia eorum erat sanctifica re hominem animalem, quousque veniret tempus renascendi, & statum in melius trans mutandi. Tanti est lex vetus, vt omnia quæ in ea scripta sunt, sint grandis misterij plena. Vnde minima alphabeti litera hebraici est iod, apex verò est punctus, siue accentus; quæ omnia in scriptura debito numero, pondere, & mensura, & sacramento sunt collocata: ideò Rab. Symeon Ben Iochai, & post eum Elchana, & alij, non solum sententias, & verba interpretari conati sunt, sed etiam rationem reddere de literis, ipsarumq; figuris, cum apicibus sub, & supra positis. & vt aliquid, exempli gratia, in medium afferamus. prima alphabeti litera est aleph א quæ patris cheter Elion est sigillum, quæ constituitur ex vau & iod, ו י, quæ literæ simul vnitę constituunt aleph א. Vau est arbor vitę tipheret, quæ vita est duplex, Diuina videlicet & humana, siue creata. quatenus representat Diuinam vitam, ponitur vau ו in aleph א, quatenus verò creaturarum vita est, in Deo. in quo viuimus, mouemur & sumus. ponitur iod in ventre vau, & fit aleph א quæ est litera Diuinitatis, & primi fontis omnium bonorum, scilicet cheter. se-

ter. ſecunda litera alphabeti eſt beth ב, quæ cum tribus lineis figuratur, & eſt vndequaque clauſa, dempta parte ſiniſtra, quæ reſpicit cheter: quia eſt in chocmah: ideo beth aptam habet partem, reſpicientem aleph, poſitum in cheter patre, ad ſignificandum, quod à patre, quicquid in ſe continet filius, habet: Beth ב enim eſt ſigillum filij: & ſignificat bait, quod idem eſt, quod domus: & indicat ſapientiam ſuperiorem: in qua omnia collata prius erant, quàm in proprias formas educerentur: & per ipſam producta ſunt omnia, iuxta illud pſalm. Omnia in ſapientia feciſti. Quod confirmans Ioannes, ait. Omnia præfuiſſe in verbo, veluti vitam creatricem. & poſtea omnia per ipſum verbum facta fuiſſe. idcirco dicit Elzohar, quod chocmah filius, Dei eſt domus. in qua pater cheter omnium formas ideales poſuit. Sigillum Binah eſt litera he ה quę conſtituitur ex litera res ר & iod י in ventre literæ res ſic ה. Et fit he ה quę reddit numerum quinarium. De qua litera loquens Elchama, quęrit. quando Iudei liberari habeant à captiuitate Ægyptiaca: reſpondit, dicens: hoc erit, quoniam numerus bis centum efficietur numerus quinarius, id eſt, quando ſpiritus ſanctus Binah ſuam apponet manum. Res ר enim dat numerum 200.
ſi ei

si ei addatur iod in ventre. fiat he ה, quæ tantum significat quinque: & tunc liberabuntur: quia he ה est sigillum spiritus sancti, per quem fit remissio. Liberandi ergo erant Iudęi, quando numerus 200. fieret quinque, hoc est quando placuerit spiritui sancto. Et nota quod populus Israelis stetit 400. annos in captiuitate Pharaonis. pro quibus orauit Abraham, & Isahac, & Iahacob. Et si prorsus non fuerunt exauditi, saltem ex parte: in illis nanque quadringentis annis steterunt centum & nonaginta annos in Ægypto maximo in fauore: idque meritò orationis prædictorum patrum: & ducentos decem in tribulatione, & graui seruitute. quæ seruitus breuior fuit per orationem supradictam 190. annis. res ר enim litera reddit. 200. & iod. 10. Res & iod separata dant numerum 210. etiam tantum steterunt in captiuitate, sine seruitute: sed vnita iod cum res, & formato he ה, tunc breuiati fuere dies seruitutis eorum: quia he ה dat quinque, & quinquies decem reddunt quinquaginta, quod est tempus Iobilei: in quo fiebat remissio, ad denotandum, quod per he ה liberati fuerunt. Aliud mysterium continetur in literis cuiusque dictionis: quoniam, si reuoluatur per modum apud Iudęos celebrem, qui dicitur siruph, diuersa

inde

inde extrahuntur myſteria decet ſephirot : vt in dictione chamor כמר, quæ aſinum ſignificat : ſi præponatur vltima litera habebimus rechem רחם, quod pietatem ſignifi cat & clementiam : qua vſus eſt Chriſtus erga Iudæos : ideo Aſinam equitauit . per ſiruph, ſiue per alphabetariam commutationem, ex nomine Tetrag. יהוה, eliciuntur nomina mazpaz & kuzu : de his & ſimilibus, vide ſuper Ilan, & in tractatu reuolutionis nominis Tetrag. nonnunquam per numeri ęqualitatem nomina commutantur, vt mitattron, pro ſadai : vtrunq; enim trecentum. 300. & quatuordecim. 14. hoc modo ſadai שדי, ש 300. ד 4. י. 10. quę ſimul noſtrū 314. reddunt. Et mittatron מטטרן. מ 40, ט 9, ט 9, ר 200, ו 6, ן 50. qui omnes numeri ſimul reddunt. 314. Alio quoq; ordine à literis illis excerpuntur myſteria. aſſumendo videlicet, aut primas, aut extremas literas diuerſarum dictionum : ex quibus componitur nomen illius : de quo occultè loquuntur verba oraculi. accipiamus exemplum de Iahacob : qui de Chriſto vaticinatus eſt, dicens. Veniet ſilo, & ipſi congregabuntur, hebraicè ſic. שילה ולו יקהת יבוא, hoc eſt : Iauo ſilo velo iikat. Quarum dictionum primæ literę ſunt, iod י, ſin ש, vau ו, quę ſimul vnitę reddunt hoc nomen Ieſu ישו, vt ſit ſen-

ſenſus : donec veniat Meſsiach, qui eſt Ieſus : cui congregabuntur gentes, eius cultum ſuſcipientes, ac teſtamentum eius. Hoc idem nomen multis in locis ſcripturæ probari poteſt Tetrag. יהוה. Item extrahitur ex textu Exodi in verbis Moſis ad Deum, ibi. Mihi quid, id eſt, ſi Pharao interrogans, à me quæſierit, quod nomen eſt Deo tuo? mihi quid? & nomen eius quid, id eſt, quid reſpondebo illi de nomine tuo. In illis verbis hebraicis eſt nomen Tetrag. שמו מה לו מה, lo ma nomen eius quid, id eſt, mihi quid nomen eius quid? à fine extrahitur Tetrag. יהוה: quaſi dixerit, iod he uau he eſt nomen eius. De literis hæc pauca nunc ſufficiant. Accedamus ad apices, qui duplices ſunt inferiores videlicet, & ſuperiores: inferiores maiori ex parte puncta dicuntur: hebraicè dicuntur negudoth, id eſt, literas viuificantia: nam literę ſine punctis mortuæ exiſtunt: quia moueri, ſeu proferri nequeunt. Superiores autem apices, qui à nobis accentus dicuntur, hebraicè, tagnamim, id eſt, Diuinum ſpiritum ſanctum ſignificant: eorum enim myſterio nos in Deum reducunt: quæ omnia myſteria in Chriſto completa fuere, dicente ipſo. Iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant, id eſt, in Chriſto compleantur. At quia hæc

ſunt

ſunt arcana abſcondita à ſeculis: de quibus difficillimum eſt afferre iudicium, & completam tradere notitiam: nec in nulla alia lingua, quàm hebraica intelligi, & docere poſſunt. Diuina enim nomina ab Hebręis habita ſunt, qui habuerunt à Deo; ſine quo nullatenus quis capere pôt veros ſermones, veraq́ue nomina: quibus Deus nuncupatur: ideo de ipſis alia dicere non poſſumus, niſi quæ à deo ſunt nobis ſua benignitate reuelata; ſunt enim Diuinę omnipotentię ſacramenta, atq; vehicula, non ab hominibus, non etiam ab Angelis: ſed ab ipſo ſummo Deo, certo modo, pro ſuorum caracterum immobili numero, & figura, ſempiterna ſtabilitate inſtituta, Diuinitatisq; harmoniam ſpirantia, Diuinaq; aſsiſtentia conſecrata. Quare illa ſuperi timent: tremunt inferi: Angeli colunt: pauent Dęmones: & omnis reueretur creatura, omnisq; veneratur religio; Virtutem nobis magnam pręſtant. Deificantq; vnionem, atq; etiam ſupra naturam mirabilium operum, effectuumq́ue potentiam, ideo de his cum ſale loquendum; nam hæc ſancta inter ſapientes diſſeminanda ſunt, non autem vulgaribus propalanda. Hanc doctrinam vltra prædicta ſi explicare voluerimus, nec vires noſtræ debiles ſuppetent, nec tempus, nec carta, & atramentum

ſuffi-

ſufficiunt. Sed (vt verbis Ioannis vtar) nec totus mundus capere poſſet eos, qui ſcribendi eſſent libri, ſi exararentur per ſingula ea, quæ docuit Ieſus. Diuina tamen opitulante gratia, quantum ipſum lumen & lux vera Ieſus meos dignabitur colluſtrare oculos, pro viribus Euangeliſtarum veſtigijs inhærentes aliquid innuemus de his mirabilibus, quæ continentur ſub cortice literæ vtrius paginæ, maximè antiquæ. Quæ quidem lex plena ſapientia primo data eſt Moſi: ſed à Chriſto conuoluta & conducta in melius: quemadmodum ſi figulus eandem maſſam, quę erat ſub vna figura, conduceret in aliam, nihil addito, niſi noua forma, ſubſtantia & materia eadem permanente. Chriſtus itaq; doctor noſter, eam legem, quæ prius ſubacta erat ſanguine animalium, pro ſanctificando homine animali rurſum ſubegit, tanquam maſſam aliquam proprio ſanguine circunuoluit, & conduxit pro ſanctificando homine ſpirituali & meliori nihil perdens, nihil relinquens, quod ad ſubſtantiam legis pertinet, ſed figuram tantum, & effectum commutauit in meliorem ſortem. & hoc eſt quod dixit: Iota vnum, aut vnus apex non à lege præteribit, donec omnia fiant, & compleantur videlicet per Chriſtum, id eſt, Euangelium, & Euangelij aſſeclas, quæ in le-

 gedicta

ge dicta ſunt. Iota quippe eſt minima alphabeti litera, ex qua (inquit Hieronymus) oſtenditur, quòd ea, minima putantur in lege, ſacramentis ſpiritualibus plena ſunt: & quod omnia recapitulantur in Euangelio. Eſt etiam apex, punctus & accentus: Quæ duo ſimul cum literis de ſubſtantia ſacri eloquij ſunt (vt dicunt ſecretiores Theologi) nam literæ legis corpus faciunt, puncta animam tribuunt, & mobile reddunt corpus illud: accentus autem dant ſpiritum, vitam cœleſtem, & conſonantiam harmoniæ cœlorũ conformem: vnde illa tria complent, & perficiunt legẽ vt facientia eam quodammodo viuant. Iuxta illud Pauli. Viuus eſt ſermo Dei, & efficax. Viuit quidem quia penetrat vſque ad interiora animæ, & ſpiritus, & ad penetralia cordis omnia proſpiciens. Efficax autem, quia diuidit ſpiritum ab anima, animali videlicet vniens illum cum portione ſuperiori: vt tandem deducat etiam animalem animam iam ſpiritui ſubiugatam in Deum, vt canitur in pſalmo. Lex Domini immaculata, id eſt, perfecta, conuertens animas, ad creatorem ſuum videlicet, à quo proceſsit: & ſapientiam prȩſtans paruulis malitia .ſ. & aſtutia humana: ſicut Doctor noſter Chriſtus, poſtquam de iſta ſapientia occultata prudentibus Mundi locutus eſt, ſubiunxit.

xit. Et reuelaſti ea paruulis: Qui immunes à peccato, & mundo corde admittuntur ad hanc doctrinam: ſapientibus mundi, tanquam immundis porcis, & canibus denegatam. De quo loqui volens Paulus cum Hebræis, inquit. Grandis eſt nobis ſermo. Et inter perfectos pertractanda. eò quod ſit donum cœleſte, & manna abſconditum, quod nemo ſcit, niſi qui accipit. Ideò non pertractandum de ea niſi inter expertos: quia alij capere nequeunt. Inſuper quomodo homo ſit particeps ſpiritus Dei, & vnum & idem cum ipſo. Quomodo etiam deguſtatur bonum, & melius verbum Dei q̃ id, quod foris ad aures ſonat, & plebs eis in parabolis diſſeminatur, iuxta illud noſtri doctoris dictum ad ſecretiores diſcipulos. Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei: cęteris autem in parabolis. Quæ inſuper ſint virtutes futuri ſeculi, & fœlicitatis quam expectamus: quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, niſi ſubuectus fuerit quis virtute ſpiritus ſancti, ad ea cognoſcenda: quæ homo proprijs viribus indagare non poteſt. Sicut caute loquitur Iſaias, dicens. non videbit Deus abſque te, quæ præparaſti diligentibus te. Demonſtrata tamen hæc fuerunt, primo parenti, dum in voluptatis paradiſo exi-

ſteret, quem ſecretiores Theologi: ſimul cum Paulo vocant ſeculum futurum, id eſt, nobis reſtituendum: qui illud perdimus. A quibus dependet cognitio perfecta, de origine & fine animæ: de Angelicis ſpiritibus, de conditione, de qualitate ipſius immenſæ gloriæ, de ratione illius paradiſi voluptatis deſcripti penitus ſub metaphoris: Quæ omnia in medulla, & nucleo Euangelij includuntur: Ad quæ deuenit, qui ſcit auferre corticem & frangere nucleum: Cuiuſmodi erat ille, qui dixit. nos autem reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes. Sicut ergo in veteri (vt dicit concluſio præſens) nullæ ſunt literæ, quæ in formis, coniunctionibus, ſeparationibus, tortuoſitate, directione, defectu, ſuperabundantia, minoritate, maioritate, coronatione, clauſura, apertura, & ordine decem numerationum ſecreta non manifeſtent. Sic eſt in nouo teſtamento, cum ſit proles veteris. Et ſic patet, quantæ ſapientiæ ſit. Vide in tractatu de literis hebraicis.

Qui intellexerit, cur ſit dictum, quod Moſes abſcondit faciem ſuam: et quod Ezechias uertit facies ſuas ad parietem: ſciet quæ eſſe debeant orantis habitudo, & diſpoſitio.

Neceſſaria eſt nobis oratio, quoniam per eam procuramus, ea quæ non habemus. ſumus enim nos vniuerſi partes, ideò vniuerſo

uerſo indigemus: vt docet Proculus de mentes Porphirij, & aliorum ſapientum. Et cum ſalus vnicuique naturæ, & conſeruatio ex ipſius conuerſione, ad totalitatem ſuam veriſſimè dependeat: Ab eo qui virtutem poſsidere cupit, precationibus inſiſtendum eſt: & crebro ſupplicandum: vt is eam influat: qui omnem in ſe continet virtutem, & ſummum bonum eſt, atque bonitatis cuiuſcunque cauſa: non tantum ſerie, & ſucceſſu quodam exiſtens, ſed immediate omnia producens: etiam ſi volueris materiam ipſam. nec ab aliquo ſemouetur, aut diſtat Diuinitas: ſed omnibus ex æquo adeſt: cum vnumquodq; Dei munere exiſtat. nec extra Deum eſt aliquid: cum ipſe omnia complectatur, & comprehendat: Et quicquid extra Deum imaginamur eſt penitus nihil. Addit Iamblicus precum neceſsitatem ſuper omnẽ ſpem: quia omnia producta ſunt & cuſtodiuntur à Dijs, iubente ſummo. Ideo qui ſaluari cupit exorandum ſibi eſt ad eos qui ſaluant: à quibus res ſuperari nequeunt: nam omne genitum à parentibus diuulſum, & radice: ad non ens ſtatim, & perditionem dilabitur: eo maximè, quæ quamuis in ſeipſa proceſſerint: in parente tamen permanent: vt ſunt creata omnia, quæ à Deo incipiunt, & in ipſum deſinent. Deum, ſe-

cundum perfectricem trinitatem, qua à Deo procedunt in seipsis existunt, & in ipsum Deum tendunt. Gyrum enim quendam creata omnia efficiunt (vt sequitur Proclus de mente Platonis) à Deo incipientia, & in ipsum desinentia Deum, veluti circuli linea: quæ ibi clauditur vnde incipit. Vt autem reuertantur indigent fauore illorum, à quibus processerunt: Fauor verò precibus impetratur, quarum est suadere tum Angelis, tum etiam Deo: vt hic scilicet iubeat: illi custodiant tutela perpetua: & eandem illuc reducant, vnde venimus. Et quamuis omnibus oratio necessaria sit: præcipue tamen viris probis: cum applicatio quædam sit, & coniunctio illorum ad Deum. Simile nanque simili complicati & coniungi natum est. probus autem, & integer, Deo similis est: Hinc cum ipso complicandus, vt auxilium impetret, quo abstrahatur à cæco carcere, & vinculis corporeis, in quo existens, peregrinatur ab eo, cui similis est: & cui vniendus venit. Et sicut à parentibus abducti pueri supplicant natura impulsi, donec ad eos reuertantur: Sic nos à vero omnium patre semotos, vt reducamur, illum orare: & illi supplicare oportet. Hinc Academici nonnulli orbos illos, & vtrisque parentibus carentes dicebant

bant: quia orationibus, precibusq; spretis, ad superiorem Diuinamq; naturam conuerti negligebant. Ideò apud varias hominum nationes: quicunque nomen aliquid sibi duce virtute vindicauere, circa precum, orationumq; studia se exercuerunt, vt Apud Indos Brachmanæ: apud Persas Magi: Inter Græcos Theologi: in Assyrijs Chaldæi, qui festa Deorum, & abdita mysteria sanxere, ea orationibus venerantes. Quanto magis id nobis faciendum est, quibus cœli ianua iam est reserata. Quot autem sunt animi bene compositi, prolatæ voces, aut intensæ cogitationes ad Deum pro indigentijs temperandis, ant donis aliquibus impetrandis, tot sunt cantilenæ suauissimæ Deo porrectæ, vltra laudes, & hymnos, quos frequenter in eius honorem persoluimus. Ad illas autem cantilenas quam optimè concinnandas Proclus quinque præbet exactissima documenta. Quorum primum est cognitio ordinum diuinorum, ad quos ille qui precatur, accedit; non enim propriè expediteque accedere potest, qui illorum proprietates ignorant. Quamobrem oraculum, siue Diuina responsa primam in sacrorum Dei cultu iubent ignis accensam esse notionem; Quod à Mosaicis institutis

eſt acceptum. nam in Leuitico ſummo iubente oraculo, præcipitur. Ignis in altari meo ſemper ardebit. Secundum eſt cognatio, affinitaſque noſtra ad Deum ipſum, ſecundum omnifariam in nobis ſinceritatem, expurgationem, & fidelitatem in commiſsis: Iuxta illud quod ſummus Doctor, ait. Qui fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis eſt: ille meus frater, ſoror, & mater eſt. Tertium eſt contactus: ſecundum quem diuinam tangimus eſſentiam ipſo animi ſupremo capite: & ad illam inclinati innitimur. Quo ſenſu dicit Ioannes. Quod audiuimus, & vidimus, & contrectauimus de verbo vitæ. Quartum eſt adhæſio. Vnde Dauid. Mihi autem ad hærere Deo bonum eſt. Quintum eſt vnio: quæ vnum illud quod in animo eſt, in Dei vnitate collocat: & ſtabiles nos reddit in vnum redigens actum: ſecundum quem non noſtri ſumus, ſed Dei: in diuino manente lumine: & ab ipſo in gyrum circumplexi. Et hic eſt finis optimus verarum precum, vt applicet conuerſionem ipſam manſioni: & vnum quod ab vno Deo procedit: rurſum in vno collocet, & ſtabiliat. Hoc eſt facile iter ad fœlicem, beatamq; vitam, dum precationibus eleuamur, & in Deum conſcendimus: qui alioquin appræhendi non poteſt à nobis: niſi hoc medio orationis:

nis : nam ad Deum patrem preces dirigere debemus. patrem dico archetypum. De quo loquens Proculus, ait. omnia orare præter primum : In quem rectè orantes dirigunt preces. Quod & Christus docuit, dicens. Cum oraueritis, dicite pater noster. Et hoc vt recognoscamus omnia danda ab eo : sicut ipsemet recognouit, dicens. Omnia mihi tradita sunt à patre meo. Et iterum. Mea doctrina non est mea : sed eius qui misit me. Et hoc etiam quia pater est fons primus misericordiæ, & pietatis. Hinc Apostolus vocat ipsum patrem misericordiarum, & Deú totius consolationis. nam ipse misit ad nos Redemptorem : Ioannis. 3. Sic Deus dilexit mundum : ut filium suum vnigenitum daret : vt omnis qui credit in illum non pereat, sed habeat vitam æternam. Ideo hunc patrem iugiter orare debemus, id est, feruor orationis & charitatis debet esse continuus in habitu, si actu esse non potest. Ad hunc sensum dixit Christus. Oportet semper orare, & nunquam deficere. Quia oratio ascendit in conspectu Dei : sicut incensum : sicut canit Dauid. Homo enim in feruenti oratione, dirigit orationem in cœlum, veluti sagittam ab arcu & brachio robustissimo proiectam : & quandoq; tantæ est efficaciæ, vt mutare posit sententiam Dei. sicut de Ni

niui-

niuitis in Iona, & de Achab in tertio Regum volumine. Ezechias autem orando meruit dilationem vitæ quindecim annis. pari modo Moſes orans placauit Dominum. Verum cum in oratione petamus, nondum habemus quod concupiſcimus, ſed poſt exauditam orationem, & iam adepto optato munere introducimur ad penetralia, in quibus proſpicere licet illa ſpectacula æterna, pleno animi oblectamento. Et hæc eſt vera contemplatio, ſicut in de Arca myſtica bene diffinit Ricardus, dicens, Contemplatio eſt libera mentis perſpicacia in ſpectacula ſapientiæ cum admiratione ſuſpenſa. pulſatus enim Dominus precibus aliquando ex quamplurimis cubiculis aliquod, in quod ingreſſus colluſtratis oculis videt ſpectacula diuinæ ſapientiæ vulgo reconditiſsima. Et quia in infinitum extenduntur, omnia penetrare nequiens remanet videntis mens cum admiratione ſuſpenſa. nam in Eccleſiaſtico dicitur. Exaltate Dominum quantum poteſtis, maior eſt enim omni laude. Quis.n. magnificabit eum ſicuti eſt? Beati quamuis videant eum ſicuti eſt, non tamen quantus eſt, quia hic infinitus, illi autem determinatos habent ſuæ virtutis gradus. Hinc Eſaias cum Deo ipſo familiariter agens, inquit. Verè tu es Deus abſconditus. Abſconditus quippe, &

pe, & patens. Est enim Deus omnibus in rebus, hinc omnibus patens. Estq; in se ipso tanquam in abysso suarum tenebrarum contectus omnes latens, vt in Dauitico carmine dicitur. posuit tenebras latibulum suum, in circuitu eius, tabernaculum eius, tenebrosa aqua in nubibus aeris. Cum particulari.n. homine agens, aliquando abscondit faciem suã ab eo, & ait. non videbit me homo & viuet. Reuertitur tamen homo ad Deum per orationem. Et ad hoc faciendũ & consequendũ, verti debet orans, ad parietem. nam tota mens & intentio nostra dirigenda est in Deũ: qui à nobis post parietem quendã occultatur cum inuisibilis sit: ideo Deus apparere solet in nube. In Exodo.n. legimus ꝙ cum Aaron populũ alloqueretur, apparuit gloria Domini in nube. Et Mosi dixit Deus. Veniã ad te in caligine nubis: sicut ante impleuerat tabernaculum. Et in transfiguratione Domini: Ecce (inquit Matthæus) nubes lucida obumbrauit eos. Hoc facit Deus, ne videatur à nobis, gloria maiestatis eius indignis. Et ne offendantur aspicientes à splendore ipsius. si.n. (vt inquit Apostolus) non poterant intendere filij Israel in faciem Mosi ob splendorem vultus eius: qui erat homo corruptibilis: quanto minus in gloriam summi, & incorruptibilis Dei. paries verò qui interponitur inter

nos

nos & Deum patrem, & Malchut: sine cuius ingressu, minimè ad penetralia ascendere possumus. Et ad hunc ingressum faciendum, oportet nos cum superis habere commertium, id est, oportet quod nos conformemur illis in rectitudine, spiritualitate, munditia: & in cunctis pro viribus nostris. Hinc Syrianus in sua Theologia docet: quòd Ecclesiasticæ Hierarchiæ sacerdotes, & alij operantes proportionari debent anagogicis virtutibus cœlesti Hierarchiæ. Immo oportet, quòd conformemur summo Hierarchę: si verba Pauli obseruare volumus, qui ait. Quos pręsciuit & pręde stinauit, scilicet Deus, conformes fieri imagini filij sui. Quo sensu iterum dixit. nemo potest dicere Dominum Iesum, nisi in spiritu sancto, id est, nisi participet de spiritu sancto: sicut ipse Christus plenus fuit, de cuius plenitudine (teste Ioanne) omnes accepimus. Et quia in habentibus symbolum facilis est transitus, ideò ex illa ui symbolica, & conformitate operamur. & ex vi consonantiæ. nam adeò hæc efficax est, vt ad motum vnius consonantis, sequatur motus alterius: sicut patet de veris amicis, quorum alter mouetur ad motum alterius. cum vtrique sit (vt dicitur) Idem velle, & idem nolle. Hinc Orpheus in operatione singularis docet, quòd secundum quod

est

est idem nomen, per analogiam tamen: virtutum naturalium & diuinarum, idem est hymnus: idemque est opus: ut dicere possimus. Si dispositionem habeam ad suscipiendum lumen & fauorem Solis. Dum operatur in me sol: operatur & Raphael; siue quæcunque sit intelligentia ipsi soli pręsidens. Operaturq; & illud numen, cui sol & intelligentia illa respondet. Quod quidem numen Dauid, Esaias, & secretiores theologi vocant Tipheret, quod est cor Archetypi, sicut Sol cor cœli. Et vtrunq; respondet cordi nostro per illustrationem & feruidam charitatem superis correspondenti. possumus.n. Deo & superis correspondere, si antiquos theologos sequi voluerimus, & benè Euangelij verba perpenderimus. In omnibus enim membris & operationibus Deo conformari possumus. Quod probat Dionysius longo sermone omnia membra humani corporis sua nota, per analogiam in Deo reperiri. Vnde pro omnibus citat scripturam attestantem, quod in Deo sunt oculi, palpebrę, aures, os, lingua, & cętera huiusmodi, quibus nos conformari docemur in Euangelio. primo enim cordi Diuino conformari monemur, dum dicitur. Estote misericordes, sicut & pater vester cœlestis misericors est. Manibus verò conformari nos Deo

Chri-

Christus hortatur: dum ait. Date & dabitur vobis, à manibus Dei videlicet. Oculis quoque, dum dicit. Beati qui lugent, id est, qui emittunt ex fonte oculorum lachrymas: quia aperietur eis fons diuinus consolans eos. Et sic de alijs membris: pro qua similitudine habenda: abscondere debemus faciem, sicut fecit Moses: & illam vertere ad parietem. sicut fecit Ezechias: vt dicit conclusio. Et hoc quandiu degimus in hoc mundo. quia orare debemus ad parietem Malchut: relinquendo hæc visibilia & sensibilia, quæ facies dicuntur, quia à nobis de facili apprehenduntur. Vnde Ieremias. Eleuabit se supra se sedens solitarius: Ideò orare debemus in abscondito, id est, relinquendo temporalia: & contemplando æterna. Ideò, dum Deus in monte Sina Mosen alloqueretur, Moses non assuetus lumini Diuino, faciem suam abscondit, non habens tunc oculum purgatum. nam (vt dicunt secretiores theologi) si quid obscænum, & immundum deturpet oculos, habent locum, in quo expurgentur, antequam deueniant ad lucem illam collustrantem, & perficientem, ne offendatur ipse fœdus & debilis à claritate eius, ita assuefaciendus est oculus antea, quàm in eam plenissimam lucē figat intuitum: quia (vt inquit Plotinus) sor-

ſordidus infectus oculus, nec dum bene purgatus aut debilis, ſi in ſpectaculum lucidiſsimum intendatur, illico caligabit: oportet enim viſurum videndo cognatum, ſimilemque prius effici, quàm ad ſpectandum adhibeatur: neque enim oculus vnquam videret ſolem, niſi factus ſolaris, neq; rurſus animus, niſi factus pulcher, ac Diuinus: ipſam pulchritudinem, & Deum intuebitur: neque lucem ſuſcipiet, niſi factus lucidus, & clarus: hinc Solomon in prouerbijs, ait. Semita iuſtorum, ſicut lux, ſplendet, vadens, aut proficiſcens, & lucens, vſque ad perfectum diem. Oportet igitur, vt qui Deum contemplari deſiderat, oculum habeat purgatum, alioquin à lumine illo offenderetur, vt patet de nouo à ſomno ſurgente, & in lucem aſpiciente. tunc enim eius oculi diſgregantur: niſi paulatim oculus fiat ſolaris: ita fit inſueto lumini Diuino à fortiori, hoc idem accidit populo Iſraelis, qui in Moſis faciem aſpicere non poterat, lucentem ex conſortio Diuino. ita à ſimili, de Ezechia dicatur. qui orans, ipſi apparuit Diuinus ſplendor, quem ferre nequiens (quia inſuetus erat talis luminis) faciem vertit ad parietem: illud enim lumen inacceſsibile. hinc de illo loquentes, per multa deuia,

erra-

errarunt quamplurimi, omnes vtiq; illi, quorum oculos ipse non collustrauerat. ideò iubet Pythagoras, vt de Diuinis nemo sine lumine loqui præsumat, sine illo inquam lumine, de quo psal. canit. In lumine tuo videbimus lumen. Qua luce Adam perfusus, Deum ipsum ad meridiem deambulantem vidit, vocem cognouit, & creatarum rerum omnium naturas, vt singulis quibusq; conueniens nomen imponeret, ritè perspexit. De Patriarchis item dicatur, de prophetis, Apostolisque, &c. Omnes ab illo Diuino lumine sunt perfusi. Alia ratio Mosis, & Ezechiæ, quare sic fecere, fuit nempè humilitas: ideò, qui exorari desiderat, ad horum exemplum faciem abscondat, indignos se putantes: vt de publicano legitur: qui humilitate fuit iustificatus, Phariseus verò, superbia condemnatus. Oratio enim humiliantis se, cœlos penetrat: quod confirmans psal. ait. Accedens ad cor altum (superbum) exaltabitur (elongabitur) Deus.

Nulla res spiritualis, descendens inferius, operatur sine indumento.

F. A. pro fundamento habetur firmo, quòd homo ad Dei imaginem sit formatus, & sic necesse est, vt consimili ei figura gaudeat. Deo enim modo humano membra tribuimus, oculos videlicet, & manus, &c. dexte-

dexteram habet pſal. Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis. de ſiniſtra pater: ad quam collocabuntur mali in nouiſsimo examine. de ſeſsione Iſa. cœlum mihi ſedes eſt: & terra ſcabellum pedum meorũ. de ambulatione Gene. dicitur, quod ambulabat ad meridiem: & pſal. Viderunt ingreſſus tuos Deus. De oculis, & auribus, pſal. palpebræ eius interrogant filios hominum. De naribus, Exo. odoratus eſt Dominus odorem ſuauitatis. De ore. Iſai. Os Domini loquutum eſt. De gutture, Cant. Guttur tuum, ſicut vinum optimum. De capite, canti. caput tuum, ſicut chermel. De manibus, pſal. & Iob. Manus tuæ fecerunt me. De digitis, pſal. Videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum. De dentibus, cant. Dignum eſt vinum dilecto meo ad potandum, & cibus labijs, & dentibus eius. De humeris, Iſai. Factus eſt principatus ſuper humerum eius. De brachijs, Iſai. Brachium Domini, cui reuelatum eſt. De corde, primo Reg. Inueni hominem ſecundum cor meum. De dorſo. Iere. Dorſum, & non faciem oſtendam eis in die perditionis eorum. De pedibus, pſal. Et caligo ſub pedibus eius. Dicitur etiam Deus aliquando veſtitus modo humano: idq;, quando veſtitum variis indumentis, ſeſe nobis oſtendit opifex. Et

ſunt indumenta, per quæ Deum cognoſcere poſſumus: quem in nuda; & pura eſſentia apprehendere nequimus. Membra ſunt vires multiplices in illo vno ſimplicisſimo. Et veſtimenta ſunt viæ quædam, per quas in nos ſeſe diffundit. Dum per membra, id eſt, per vires eius multiplices, quo ad nos: ſed in ſe vnicum aliquid operatur. De quibus veſtimentis Cabaliſtę in Ilan, ſiue in arbore ſephirot diſcutiunt: per hæc enim veſtimenta, omnis virtus, ab eo emanans, procedit: nam à Deo nudo, penitus ſemoto ab omni reſpectu nihil fluit: nam in ſe continet omnia, tanquam fons omnis bonitatis. In eo enim quod influit, relationem quandam induit: quod ipſi, veſtimentum nuncupant. Et decem ſunt veſtimenta. Deus enim dicitur nudus, quando conſideratur in ſua nuda, & pura eſſentia, penitus ab omni relatione remota, tam intrinſece, quàm extrinſece aduenientę. quatenus eſt hic, nulli ſe communicans. Et dicitur Enſoph, de quo in concluſionibus Mirandulæ. Ipſe igitur ſummè hic, antequam cum creatis ageret, genuit filium, cum quo ſimul ſpiritum ſanctum producit. Dum igitur filium genuit, primam induit veſtem: quæ ſcholaſticè dicitur paternitas; & dicitur cheter Elion: &

dici-

dicitur pater luminum. De qua veſte pſal. Amictus lumine, ſicut veſtimento. Qui Deus pater in ſinu ſuo ſuſcipiens filium, quem genuit: aliud induit veſtimentum, quæ dicitur chocmah, ſiue ſapientia: & pater cum filio ſpirans ſpiritum ſanctum, induit veſtimentum Binah, ſiue intelligentia. poſt autem ſanctiſsimam, & intrinſecam productionem voluit ſe in creata diffundere: vnde ſeptem alia veſtimenta ſe induit. quorum primum dicitur cheſed, ſiue miſericordia, pietas, & clementia: quo ſe in alios diffundit: ipſosque pientiſsimè regit: clementiſsimè præuenit, iuſtificat, & remunerat. Et, quoniam clementia in menſa iuſtitiæ libramine temperatur: ideò ad iuſtitiam indumentum aſſumit, & dicitur ghebura, ſiue iuſtitia midah adin. De quo veſtimento Angeli admirantes, dixere: Quare rubrum (ſcilicet iuſtitiæ) factum eſt veſtimentum tuum. Et, cum ſit ſummum pulchrum, omnia pulchrifaciens, maximè naturam humanam: cui omnimodā imaginem ſui tribuit: hinc aliud veſtimentum induit, quod in ſcriptis ſacris maximè in pſal. dicitur tipheret: quod nos, nunc decorem, nunc magnificentiam, nunc pulchritudinem habemus, propriè tamen eſt nomen gloriæ, & pulchritudinis Diuinæ. De quibus

Dauid. Dominus regnauit, decorem indutus eſt, indutus eſt Dominus fortitudinem, &c. poſt hæc duo alia veſtimenta, amictus eſt ſummus moderator: quibus nobis magis domeſticum ſe prębuit: per quæ multa dona nobis donat. de quibus pſal. Confeſsionem, & decorem induiſti. nam per ea facit Deus homines celebres. & dicuntur nezach, & hod. Et, quia nobis Deus vitam præſtat, & eſſendi ſtabilitatem: ideo induit ſe aliud veſtimentum, Ieſod vocatum: Diuina deniq; hæc maieſtas vltimum aſſumit amictum: quo nobis penitus familiarem ſe præbeat: & hoc Cabaliſtæ vocant malchut, hoc eſt, regnum: nam ipſe nos domeſticè regit, tanquam Rex populum ſuum. Dicitur etiam ſechina, id eſt, inhabitatio Dei in nobis immediata. De quo Ierem. Tu autem in nobis es Domine, &c. poſtremo Deus veſtiuit ſe humanitate, vt hominem veſtiret Diuinitate. Ad concluſionis propoſitum (nulla res ſpiritualis, &c) nam, ſi Deus creare voluit mundum, induit ſe veſtimentum creationis: Si noſtri miſeretur, induit miſericordiæ veſtimentum: Si punit, iuſtitiam induit, &c. quia implicat Deum in ſe ſtare, & aliquid creare: nam operando, ſtatim oritur relatio inter Deum, & creaturam, quæ (ſecundum Scotum) rationis eſt:

melius tamen foret dicendum, quod sit realis: nam id genus relationes sunt indumenta quædam: quibus dicitur Deus nobiscum agere. creaturæ verò ad Deum relatio est realis secundum omnes (nulla res spiritualis) id est, Deus in se absolutus (descendens inferius) operando (operatur sine indumento) scilicet relationis modo dicto.

Peccatum Sodomæ fuit per truncationem vltimæ plantæ.

F. A. Peccatum tam in Angelis, quàm in hominibus fuit, & est quando quis discedens à summo bono, vel maiori oblectari vult in minori (secundum Dionysium & Vgonem eius interpretem). Hinc totam peccati summam complectitur ipse Deus, dum inquit per Ieremiam: Duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquarum viuentium Dominum: & foderunt sibi cisternas dissipatas: quę continere non valent aquas. nec tantummodo peccatum est, quando præeligitur bonum creatum, summo bono: sed etiam quando existentibus duobus bonis creatis, præeligitur minus: sicuti prę-ponens commodum proprium publico, aut multorum vtilitati. A quo errore declinans Apostolus aiebat. non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis: pari modo, quando bonum & delectatio corporea prępon itur

oblectamento ſpirituali. Eſt igitur peccatum, & error, quando debitus peruertitur ordo; vt verum ſit illud Auguſtini: malum eſt priuatio ordinis, aut debitæ rectitudinis. Hic autem error, aut peruerſio ordinis non eſt ex aliqua virtute à Deo tributa, ſed ex debilitate, aut obſcuritate, noſtra ignauia contracta: quam ſaluator, & cum eo Dionyſius, & Damaſcenus vocat noctem, vel tenebras, dicens. Qui in tenebris eſt, neſcit quo vadat; Et iterum. Qui ſequitur me, ſummum vide licet doctorem & directorem: non ambulat in tenebris, peccatorum videlicet. Quas tenebras ſequitur ſempiterna nox inferni, de qua iterũ ait. Veniet nox, quando nemo poterit operari. Et ſicut nox, vel obſcurum eſt priuatio lucis: ita error eſt priuatio rectitudinis. Vnde concluditur, ꝙ proprium eſſe peccati eſt priuatio boni: in quam currit homo, aut peruertendo ordinem in electionem: aut præſumendo à ſe, quod à ſummo doctore recognoſcere deberet. itaque culpa non eſt à Deo, ſed à voluntate male eligente, aut nimis præſumente, ſed benè eſt à Deo illud quod malè præeligitur, & voluntas; quæ propria culpa errat in eligendo. Ad propoſitum, ſicut ab arbore, vel vltima planta Archetypa rectè & debitè ſuſcepta omnis iuſtitia, omne rectum, omne deniq; bonum pro-

procedit: ſic ab illa arbore violata omne malum in genus humanum, & etiam in Angelos prouenisse pater. malũ. n. non niſi à bono prouenit (ſecundum Auguſt. & Dionyſiũ) dicunt. n. iſti omnium malorum, principium & finis eſt bonum: nam nihil operatur ad malum aſpiciens, ſed ad bonum, quod aut negligit, aut indebite appetit. peccauit enim Angelus nolens hanc arborem ſuſcipere tanq̃ verum Dominum, & verũ legiſlatorem, atq; obedire regulis in eodem deſcriptis. nolenſque reuereri ipſum tanquam mediatorem, & per quem cohæredes efficeremur iuxta Regis edictum; Quod Paulus cum Hebræis propalauit, dicens. Et cum introduceret eum primogenitum in orbem terræ, dixit. Et adorent eum omnes Angeli Dei. Hinc peccauit & Homo, auſus extendere ad ipſum rebellem manum, qui ſub typo arboris ſcientiæ boni & mali, in medio paradiſi collocata à Moſe dicitur. Sola ergo illa deordinatio, & inconcinnitas, aut carentia ab ordine, & conformitate cum regulis exiſtentibus in illa arbore eſt malum: vnde clariſsimè infertur, quòd ab illa arbore prouenit malum, non quidem ab ea productum, ſed quoniam operans ab ipſa declinat, vt apertè intonat Apoſtolus, dicens. ſublata lege, tollitur peccatũ. Et iterum. Si lex non eſſet, peccatũ non im

putaretur. Sed lex eſt ipſa veritas, & agen-
di regula: quæ in verbo incarnato eſt quod
nunc Ieſus dicitur, & Redemptor. Olim
autem arbor vitæ, & arbor ſcientiæ boni &
mali: quia inde cognoſcimus bonum & ma
lum: & inde habemus, vnde operemur bo-
num & malum. Vnde Adæ peccatum &
Sodomæ. ambo hanc vltimam plantam & ar
borem malchut à cæteris plantis ſephirot
truncarunt. Et ambo irremiſsibilia per hu-
manum remedium: nullus enim homo fuit
ad huiuſmodi offenſionem ſufficiens ſatisfa-
ctor: impari tamen ſorte: nam Adæ pecca-
to prouidit Deus de remedio per mortem
vnigeniti ſui: in cuius ſignum Deus coope-
ruit Adam pelle agni, qui tollit peccata mun
di, remittendo ei delictum, donando ei pel-
lem ſuam, id eſt, vitam: quia Chriſtus, mo-
riendo, viuificauit Adamum. peccatum ip-
ſum Adæ, cum fuerit in Deum, non potuit
reparari, niſi per Deum. non enim interfuit
ignorantia, quia hæc data eſt in pœnam pec-
cati. nec mera fragilitas, quia nondum ſen-
ſualitas rebellauerat, ſed affuit ſuperbia, quæ
fecit & Angelos, & hominem ab opifice ſuo
apoſtatare: quia præſumpſerat vterq; vendi
care ſibi gradum eminentiorem, quàm ipſi,
competeret. vt dixi in concluſionibus Miran
dulæ. nec etiam peccauit ex ignorantia aut
fragi-

fragilitate: sed nimis ex cognitione lympidissima præsumens aggredi voluit. Vnde fuit crimen lesæ maiestatis. Quæ scelera nullo sacrificio expiarentur, nec lege purgari poterant: quia lex neminem iustificabat (secundum Paulum) ideo non contentus Deus, quod homo perizomate ex folio ficus contexto cooperuisset nuditatem suam: vestiuit eum tunicam pelliceam: confectam quidem ex pelle illius agni, de quo dixit Baptista. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Et sic hanc plantam malchut viuificauit ac reuixit, cæterisq; plantis dimensionum adiunxit: quod confirmans Christus, dixit. Regnum Dei (malchut) intra vos est: meis scilicet meritis vobis donatum. quod valde cupiebat Dauid, dicens. Tu es, qui restitues hæreditatem meam mihi. Deus enim nunquam peccatores omnino relinquit, demptis Sodomæis: qui adeò hanc plantam Regni truncarunt, vt eis spes nulla fuerit salutis: quia nec purus homo, nec Diuinus, vt messiah, satisfacere potuerunt, secundum Cabalistas: idq;, quia pro eis nullum fuit à Deo prouisum remedium. Et eorum peccatum non tantum fuit sodomiæ, sed etiam, quia exciderunt, & penitus euulserunt vltimam plantam, id est, vltimam mensuram malchut (qua immediate cum mortalibus agit)

nè amplius producerer in eis fructum remiſsionis, aut bonorum operum, idque, auertendo faciem ſuam prorſus à Deo, malum ſemper cogitantes. Idem fecere, qui diluuij aquis ſubmerſi fuerunt. nunquam enim quiſquam populus penitus deletur, niſi idolatriæ peccatum intercedat, rebellionis, & crimen læſæ maieſtatis. Et pluit ſuper has ciuitates ſulphur, & picem ad terrorem, & in vindictam tantorum ſcelerum: & præterea, vt illa eſſent ad ignis fomentum. quem Deus in eorum perniciem miſerat. picem igitur, & ſulphur pluere voluit Deus, vt indicaret eos infernis tormentis abſque vlla ſpe exitus deſtinatos, vt aſſerit Zohar: & inſuper in ſignum deteſtationis, & fœtoris eius peccati. Et vſque in hunc diem apparet ira Dei in illa patria; Aues enim ſuper lacum illum volantes, illius aquæ fœtorem ferre nequeuntes, in illum cadunt, fructus ſunt pleni fumi: multaque alia ibi contingunt: quæ me narrare per ſingula tędet. Concludunt Cabalei, quòd ſicut betel eſt porta cœli: ita locus ille Sodomorum eſt porta inferorum. Ideo Leuitici 20. Lex ſeuerè vetat concubitum cum maſculo. Hoc non fuit inditum ex mera Legiſlatoris voluntate: vt aliqui ſceleſti ſcribere auſi ſunt. nam nulla lex eſt

merè voluntaria: cum habeat vnaquæque rationem, propter quam inducta eſt: & inter alias leges hæc, quæ iubet, nequis coeat cum maſculo coitu fœmineo, ſed morte moriantur ambo. Vterque enim operatus eſt nephas: contra videlicet ordinem naturæ. Hinc dicitur hoc nephas vitium contra naturam. Sicut etiam Plato paucis verbis, vbi de republ. bene inſtituenda agit: concludit, dicens, ne ſemines ſemen, vbi germinare vel pullulare nequit. Similiter coiens cum iumentis, eandem pœnam ſubire iubetur. Hic enim etiam naturæ ordinem peruertit ſeminando vbi nihil naſcetur, aut monſtrum naſcetur: quod eſt contra naturæ intentum, vt naturales concludunt. Etiam in hoc vitio cadit homo à dignitate ſua: dum cum beſtia ipſo longè inferiori commiſcetur. In cuius ſceleris deteſtationem iubet lex, vt occidatur ſimul cum beſtia cum qua coit, & comminatur, quòd terra euomet huiuſmodi ſcelera perpetrantes. Sicut euomit gentes ibi præexiſtentes: quæ huiuſmodi ſcelera perpetrarunt. Animalia quoque iubentur occidi nedum in deteſtationem, ſed veluti polluta & immunda. Et, quia interceſſerunt in peruerſionem naturæ. In tali quoque ſpurciſsimo

cissimo coitu interueniunt spiritus immundi polluentes vtrunque. Ideò iubentur huiusmodi polluta & immundata tolli è terra, ne cæteri polluantur in eis.

Per secretum orationis antelucanæ, nihil aliud debemus intelligere, quàm proprietatem pietatis.

F. A. Tempus partitur per binarium quaterdenum à Solomone, dicente Tempus nascendi, & tempus moriendi, &c. Et dixit hoc sapiens propter rerum periodos: vt aliqui asserunt: sed cur binario quaterdeno ipsum partitus sit: non declarant. Fecit igitur sic, quia sunt septem fontes supramundani ad primam causam pertinentes, & septem cœlestes, planetæ videlicet: ipsis supramundanis correspondentes: quibus omnia, quæ tribuit Deus inferius, partitur. Et hi pertinent ad causas secundas: Vnde dierum ac temporum partitiones fluunt. Qui fontes simul iuncti sunt quatuordecim: influentes bona benè dispositis: mala verò malè dispositis. sicut patet de sole, qui lutum indurat, cæram autem liquefacit. Hinc sapiens horum secretorum non ignarus: huiusmodi quatuordecim fontium effectus geminat. picturam huius temporis Iosippus græco sermone conscripsit. quòd videlicet interrogatam tempus, quid nam esset, respondit. Occasio

caſio omnia donans: tam bona videlicet, quàm mala. Hinc Simonides laudauit tempus, eo quod omnia bona ab ipſo producantur. Paron aut Pythagoræus illud damnauit, eo quod omnia mala in ipſo fiant. Et quærenti cur ſemper graditur, ait. curro irreuocabiliter ſequens cœlorum motus. Et ſciſcitati, quare haberet talos geminæ naturæ, quia volito (inquit) ſub æthere, partim cœleſte, & partim terrenum. Et interrogatum cur in manu nouaculam gereret, dixit. Quia omnia mihi ſubiecta præcido, & occido. Requiſitum autem cur comam haberet in facie, reſpondit. quia obuianti mihi ſum opportunum, poſteriora calua habens, quia nemo appræhenderet retrorſum, cum ſim irreuocabile. Confert igitur tempus operibus. non quidem confert tempus, quod eſt menſura motus & quietis (vt dicunt naturales) quia illa menſura nihil operatur: ſed conferunt res, quæ magis ſunt diſpoſitæ ad effectum aliquem aliquo tempore, quàm alio, producendum. Comprobamus enim quod corpora noſtra ſunt melius diſpoſita & fortiora, quando ſol eſt in ſuis cardinibus, quàm quando eſt in carceribus, vel depreſsionibus ſuis. Et cum mutentur Angelicę cuſtodiæ ſingulis tribus menſibus, & ſingulis tribus horis, immo in qualibet hora diei eſt aliqua muta-

qua mutatio (vt ſapientes norunt). Hinc ma iorem fauorem habere poſſumus ab eis vna hora, quàm alia. Ipſi enim ſequuntur ſyderum diſpoſitionem. Vnde dixit Angelus, cum Iahacob luctans. Dimitte me, quia aurora eſt: tempus videlicet quo cogor laudare Deum (vt aliqui dicunt) aut quia debilitor luce: cum poteſtas mea ſit tenebrarum, propter hoc, quibuſdam horis noctis, horror inuadit mortales: quia illis horis præualent tenebrarum poteſtates: quę nobis inimicantur. Hinc propheta canit. poſuiſti tenebras & facta eſt nox: in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſyluę: catuli leonum rugientes, vt rapiant. Sermo enim eſt de tenebrarum poteſtatibus, quæ nobis inimicantur, vt omnes exponunt. Et hę in nocte præualent, maximè autem ante mediam noctem. Quo tempore iudicium durum (quod Hebræi din דין appellant) præualet. Aliquibus autem horis lætamur: quia tunc nobis occurrunt Angeli boni amici & fauentes: Vnde cor noſtrum dilatatur, & ad opus exequendum inflammatur. nec enim melior obſeruatio haberi poteſt, ad opus incipiendum & proſequendum, quàm dum cor inflãmatur, dilatatur, & gliſcit ad opus aliquod perficiendum: quia tunc fauent cœli, Angeli & omnia. proficiſcitur hæc temporis differen-

ferentia apud ſuperos, qui tempori non ſubiicimur. Quamuis enim illi non ſubijciantur tempori huic à motu cœleſti prouenienti: habent tamen ſpatia ſua, quibus hæc temporis ſpatia correſpondent. Alioquin non dixiſſet Deus. Cum me laudarent aſtra matutina, id eſt, Angeli: qui ad laudes matutinas deputati ſunt perſoluendas. Vnde ſequitur. Et iubilarent omnes filij Dei: multaque ex ſcriptura colligi poſſunt: quibus clarè patet, quod etiam apud Angelos, ſunt quædam ſpatia diſtincta: in quorum aliquibus magis Deo vacant: in aliquibus autem, magis nobis fauent, ad hoc Deo concurrente. Et de hoc tempore, propheta canit. Ego verò orationem meam ad te Domine tempore beneplaciti Deus. Hinc Proclus inter cætera, quæ docet cognoſcenda à benè orante, commemorat tempus. Hanc temporis obſeruantiam in orando docuit nos Chriſtus. Vnde ipſe in Ioanne, dixit. nondum venit hora mea. Dauid etiam propheta elegit, & eligere nos docuit horas orandi, dicens. Veſpere, mane, & meridie. Et, iterum. Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi. Eccleſia tamen id prohibuit dierum, & horarum obſeruationes, ne ſuperſtitionem incurramus aliquam. Cum ergo Chriſtus omnia no

uerit

uerit: absque superstitionis periculo tempora obseruauit. Quæ quidem tempora, si quis debita ratione obseruaret, non solum non peccaret, sed fauorem susciperet. Hinc pater æternus expectauit tempus mittendi filium suum. Iuxta illud Apostoli. At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, pari quoque modo ordinauit pascha in plenilunio: diem remissionis in mense septimo, septembri videlicet. Iobileum in anno quinquagesimo: & multa huiusmodi, vt in his conformes supernis faciliorem & abundantiorem influxum susciperemus. Animalia quoque obseruant tempus. Vnde Ieremias dicit, quod hirundo, ciconia, turtur & huiusmodi cognoscunt tempus suum. Id habent à natura, quam Auerrois vocat intelligentiam non errantem. Et hoc, siue sit illa vniuersalis: quam Platonici vocant animam Mundi: siue sit particularis prǣsidens vnicuiq;: vt docent secretiores theologi. Vnde colligitur, quod omnia expectare debent tempus in cœlo decretum pro quocunque opere perpetrando: vt in psal. dicitur. Ordinatione tua perseuerat dies, & omnia videlicet, quoniam omnia seruiunt tibi. Hinc scriptum est. Sapiens expectabit tempus operandi scilicet. propterea Deus & Christus omnium sapientissimus suum tempus expectauit:

ctauit: quia omnia tempus habent ſuum: vt Salomon ait. Et ſi manſiones illæ Diuinæ, apud ſe non habeant tempus, quo menſurentur: agunt tamen in tempore quo ad nos: qui tempore menſuramur. Mouentur etiam ipſę ſecundum tempus ſupremum: quod propriè non dicitur tempus per partes diuiſibile: ſicut tempus, quo mēſuramur: ſed eſt tempus, cui noſtrum tempus per analogiam quandam correſpondet. Quod edocemur à Moſe & Petro: qui dicunt, quod millenarius annorum correſpondet vni diei ſupremo. Quod clarius reſerat Zohar exponens illud, quod de Iahacob in Geneſi dicitur. quòd videlicet ipſe Iahacob ſeruiuit pro Rachele ſeptem annis: & viſi fuerunt illi dies pauci: dum videlicet reſpiceret ad ſupremum ſeptenarium, qui dicitur Beerſebah, puteus videlicet ſeptem. In quo quidem puteo colligitur virtus ſeptenarij ſupremi: à quo proficiſcitur virtus ſeptenarij inferioris, & planetarum omnium. Vnde ſpatium, quod inferioribus per dies & horas diſtinguitur & prolungatur: in ſupernis eſt indiuiſibile & vnicum. Sicut nos menſuramus diebus & annis: attamen Deus vnico actu æternitatis totum progreſſum vitæ noſtræ vidit. Et ſeruiuit Iahacob (ſecundum Zohar) ſuperiori ſeptenario pro Rachele, præ amoris magnitu-

dine, inferiori autem ſeptenario, pro Lea. Et quia ſuperior numerus nullatenus ab vnitate diſtat, ſed eſt totus ſimul: ideò ille ſeptenarius viſus fuit breuis. Septenarius autem, quo pro Lea ſeruiuit: cum fuerit ſeptenarius inferior, non fuit viſus adeò paruus: cum hic curriculis ſuis currat. nam pro Rachele, vita contemplatiua deſignatur, pro qua ſervitur in ſpiritu, qui abſolutus eſt à tempore: niſi quatenus tempori alligatus eſt: ſeruiturque mente abſorpta in illo vno, de quo Saluator inquit. porrò vnum eſt neceſſarium. Quod vnum eſt penitus abſolutum à tempore. Et ſic mens in illud fixa à tempore abſoluitur: vt patet in patientibus raptum: in quo ſi per annum ſtarent, reuerſis poſteà videretur non ſtetiſſe ibi per horam. Sic beatis omnibus contingit: qui in Deum eleuati temporis ſucceſsionem non cognoſcunt: ſed gaudent in illa æternitate, vel euiternitate. Lea autem vitam actiuam ſignificat, in qua homo operari nequit abſque diſtinctione temporis illius: quo menſuramur nos & omnia opera noſtra. Omne ergo tempus aptum non eſt ad fauorem, à ſupernis ſuſcipiendum: quod ſapiens oſtendit, dum dicit. Omnia tempus habent, tempus deſtruendi, & tempus ædificandi, tempus acquirendi, & tempus perdendi,

dendi, &c.' Et iterum ſapiens. Expectabit tempus. & alibi idem. Et vidi, quod non eſſet velocium curſus, nec fortium bellum, nec ſapientum panis, nec doctorum diuitiæ: ſed tempus, & caſus in omnibus. Vnde eligere tempus orandi, & operandi laudabile eſt, iuxta illud: pro hac (ſcilicet remiſsione) orabit omnis ſanctus in tempore oportuno (vt dixi). oſtendere autem per ſingula quod tempus ſit fauſtum, vel infauſtum ad orandum, vel operandum, eſt valde difficile, & pene impoſsibile: aliqua tamen recenſebimus, vltra prædicta. Cum igitur Angelis nocitoribus, ſiue deputatis miniſterio iuſtitiæ ghebu rah permittitur, vt locum quempiam flagellent, tempus illud infauſtum eſt: & ab eo loco fugiendum eſt, ut Loth: qui à Sodomæis flagellandis fugit, ab Angelo monitus. Et tunc ſtandum eſt in loco tuto, ſicut Iſraelitis dictum fuit, vt, cum primogenita Aegyptiorum occidenda erant. Et abſtinendũ eſt ab opere: quod tamen abſq; detrimento differri poteſt, vt de Ioſeph Zohar perhibet, quod noluit rem habere cum vxore tempore famis: quod eſt flagellũ quoddam. ideò ſcriptum eſt, quod ipſe Ioſeph duos habuit filios ante tempus famis. Fauſtum autem tempus eſt in ſolennitatibus, aut media nocte, mane, meridie, & veſperi (vt ſupra

 dixi)

dixi). Et, qui in orando ſunt aſſueti, facile comprobant, aduertentes, quanta ſit differentia inter tempus, & tempus. Et, licet Angeli non ſubijciantur tempori huic, à motu cœleſti prouenienti: habent tamen ſpatia ſua, quibus hæc temporis ſpatia correſpondent (vt dixi). Et oratio, ſubmiſſa voce facta, eſt efficacior: Hinc Moſi ſubmurmuranti, & fortè mente ſola loquenti, dixit Deus. Quid clamas ad me? vnde Zohar ait. Kol קל hinc vau audita fuit in domo Pharaonis, & auditur à Deo, quæ (vt ipſe ait) ſignificat vocem, ſine ſtrepitu factam: ſed cordis affectu; quę vox talis eſt cæteris efficacior, ſecundum R. Eliazar, eo quod ſit maiori effectu, & attentione facta, quàm ea quæ fit cum clamore. poteſt enim quis ſine voce exaudiri. Vnde dicit Apoſtolus. pſallam ſpiritu, pſallum & mente. Vnde Doctor veritatis inquit. Veri adoratores adorabunt patrem in ſpiritu & veritate. Zohar autem aſſerit, quòd tria requiruntur ad hoc quod quis conſequatur benedictionem in oratione: mens videlicet, intentio, & verbum. Mens inquam, quia non caſu oratio proferenda eſt: & orans percipere debet, quid dicat: intentio verò, quia petitio in Deum dirigenda eſt propter aliquem finem: Verbum autem, quia orans exprimere debet, quid

velit. Quod verbum duplex esse potest, alterum scilicet mentale, & hoc sufficit soli Deo: quia ipse solus cognitor est conceptus mentalis. Alterum verbum est expresio conceptus, quod necessarium est Angelis: quorum cura est orationes nostras ad Deum deferre. Ipsi enim cogitationes mentis percipere nequeunt (vel saltem finem eorum) nisi quatenus Deus reuelando, aut homo, verbis manifestando significauerit. pro huiusmodi orationibus in lege ordinati fuere duo agni offerendi, & sacrificandi: vnus in hora matutina, & alter in vespertina: qui duplicem significabant orationem, in istis duobus temporibus faciendam. In hora matutina sacrificamus Angelis bonis, & beneuolis, & fauorabilibus, mysterio ghedulah misericordiæ deputatis. Et non sat est his tantum fauorabilibus Angelis satisfacere: sed oportet etiam pcare, & colere Angelos seueros Diuinæ iustitię gheburah deputatos: ideo hora vespertina eis sacrificare debemus vt nobis placabiles fiant. propter hoc Deus hæc duo tempora in lege præcepit, mane videlicet & vespere obseruari, & in illis agnos offerri, & sacrificari, & Deum orare vt placabiles nobis reddantur duæ dimensiones videlicet ghedulah & gheburah. Oratio igitur antelucana, siue matutina, tribunali gratiæ

ghedulah offertur, ad fauorem aliquem assequendum ab Ensoph summo Deo. Oret igitur tali hora, qui Deum sibi propitium desiderat: idque manuducentibus bonis Angelis, placidisque, ghedulah dedicatis. Qui verò ab aliquo periculo præcaueri, & à malo iam illato liberari desiderat, vespertino tempore oret: quia tunc, iustitiæ seueræ Angeli placantur, & satisfacti tali oratione redduntur. Dicit ergo conclusio (per secretum orationis antelucanæ) id est, ante lúcem factæ (debemus intelligere proprietatem pietatis) id est, ghedulah: quæ tali hora viget. Et sic patet conclusio.

Sicut extrinsecus timor est inferior amore: ita intrinsecus est superior amore.

F. A. Amoris, & timoris vsus est necessarius, vt quàm optimè dicit Augustinus. Ad omne rectè factum amor, & timor ducit. Amor vtique benignæ promissionis, & rei promissæ, atque timor iustitiæ punientis: quæ, tanquam calcaria, impellunt ad omne opus bonum: aut, tanquam panis & vinum, mentem reficiunt operantis. Si autem hæc duo inordinata fuerint, & diligatur, & timeatur, quod non debet, efficiuntur calcaria ad omne malum: & cibus, atq; potus lætalis. hinc Aug. aduersam

priori ſubinfert ſententiam, dicens. Ad omne peccatum amor,& timor ducit. Sicuti .n. amor, & timor Dei trahit ad omne bonū: ſic amor,ac timor mundi ad omne malū impellit. Ex hoc vult Aug. ſignificare duos eſſe amores,pariter & timores, filialis videlicet,& ſeruilis. primus eſt quando quiſpiam timet Dei præcepta, non timore pœnæ, ſed paternæ offenſionis, ne .ſ. eius honor minuatur, & in contemptum Deus reddatur, non animaduertens quamcunque ſibi debitam tali offenſæ pœnam. & dicitur timor intrinſecus, & talis eſt perfectior amore: nam præſupponit amorem. non enim timet, eò quod potens ſit Deus: ſed timet, eò quod bonus. & hoc eſt,quod prouerbio dici ſolet. Timent peccare boni, virtutis amore. Alius eſt timor, qui ſeruilis dicitur, quando quis tantū pro fine habet pœnam, vt ſeruus, qui timet dominum offendere, ne ab eo vapulet. & hoc modo amor eſt perfectior timore. Sed, quia authoris intentio alio tendit, ideo nota, quòd per duplices iſtos timores, & amores ſupradictos, duæ intelliguntur dimenſiones, ſiue ſephirot, ghedulah amoris, & ghe-burah timoris: intelliguntur etiam duo populi, Hebræi videlicet, & Chriſtiani. Iudæos enim nulla in parte mandatum decebat diligendi Chriſtianum mediatorem,

nondum humanitus natum, neque ab illis per omnia præcognitum: ſed eis maximè congruebat Dei timor ſeruilis: cuius tantam ſeueritatem, & plagarum terribilia viderunt in Æegypto: qui etiam ingenti terrore, horrendis tonitruis, fulgoribus, flammarum portentis, & horriſono tubę clangore, formidabilique omnipotentis voce decalogi legem acceperunt in deſerti ſolitudine. Et, vbi nonnihil commiſerunt delicti: mox nulla longanimitatis mora, gladio, terræ voragine, flammarum incendio, ſerpentum ictu, & patibuli ſupplicio pœnam luebant culpæ. Timor ergo Iudæorum, ſiue moſaicæ legis extrinſecus erat, & ſeruilis, & conſequenter amore imperfectior, quia ex parte gheburah terroris plena. At Apoſtolos, alioſq; Chriſti aſſeclas, id eſt, Chriſtianos, qui in carne Chriſtum videbant ſaluatorem, maxime decebat mandatum dilectionis, & modis omnibus amicitiæ, & timor intrinſecus ſiue filialis, amoris ghedulah. Et talis timor eſt euangelicus amore ſuperior: quia includit vtrunq; amorem ſcilicet & timorem. & ſignificat, quod dimenſio ghedulah miſericordia, eſt perfectior gheburah iuſtitia: miſericordia nãq; ghedulah ſuperexaltat gheburah iuſtitiam. Et per hoc lex Euangelica dicitur lex amoris, moſaica verò terroris. Chriſtus enim

enim ſaluator noſter nobiſcum amicitia cumulatè, & longè ſublimius omnia amoris incitamenta, cauſasq; continet: ideò eſt diligendus ſummæ dilectionis ſtudio: quia eſt Deus humani generis propagator, vt parens diligendus: eſt homo enim, eſt & primogenitus Dei filius, eſt proximus, & cohæres, frater amandus: quia per eum, & in eo æterna dulcedo, gloria, & gaudium, vt bonum ſummè iucundum, amplectendus: nam vitæ beatæ reſtaurator, deſiderio proſequendus: vrget immenſam dilectionem familiaris conſuetudo, ingens, & inauditus, atq; claro experimento cognitus amor: quo pro fratribus, proximisq;, nobis tot vitæ incommoda, ſputa, flagella, & amarulentæ mortis ſupplicia non horruit. vnde nec mirum, ſi ſanctorum Chriſti fidelium dogmata frequentius dilectionis, quàm timoris mandata commemorare legimus: qua de cauſa Chriſtus Dominus ad ſuos ait. Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos. ad hoc accedit, cùm olim gens Iudæorum vili, & ſordidę Ægyptiorum ſeruituti eſſet adacta, & incultis, barbarisq; illorum moribus coinquinata, opus erat ad eius eruditionem, & veræ pietatis religionem inſtituendam, duro, rigidoq́ue pædagogo, & iugo mandatorum, à gheburah prouenientium: quo illorum ex-

cuteretur ignorantia, & indomita carnis libido, flagellorum potius formidine, quàm amicitiæ fœdere compesceretur. Christi verò sectatores politioribus iam moribus imbutos, atque per Christum optimum magistrum sapientiæ, ac intelligentiæ spiritu edoctos, nullo pędagogo, nullo seruitutis pręcepto, sed libertatis, & amoris lege, à ghedulah prouenіente erudiri, & moderari docuit. non enim accepistis spiritum seruitutis in timore, sed spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus abba pater. Et, Christus. Venite omnes, qui laboratis, & onerati estis, &c. Timor ergo extrinsecus scilicet legis Mosaicæ, est imperfectior amore, id est, quàm lex Euangelica: & timor intrinsecus scilicet filialis euangelicę legis, est superior amore, quem scilicet præsupponit: nam primo amatur: secundo timetur. Alia ratio, quare timor sit superior amore est, quia ait Dominus in Esaia. Ad quem respiciam, nisi ad humilem & mansuetum & trementem sermones meos? Omnium enim dominorum proprium est exquirere reuerentiam & timorem à subiectis siue subditis. Timor etiam secundum Theologos secretiores, pertinet ad primam mensuram Diuinitatis: quæ Ianua est ad intrandum in Regis palatium. Cuius nomen

men pręponitur in omnibus laudibus celebrandis: quando dicitur. Domine labia mea aperies. Vbi non ponitur nomen illud magnum quadriliterum יהוה, ſed hoc primæ menſuræ & Ianuæ. Quod tamen profertur Adonai אדני, ſicut & alterum. Hinc vulgata traductio vnum pro alio confusè ponit. Et quia iſta menſura, plena timoris filialis, eſt introitus ad Deum: Hinc eſt quod dicitur ſuperior, non dignitate, ſed ſeruitute. Cabaliſticè etiam ſignificatur quòd ghedulah miſericordia, excedit gheburah iuſtitiam: quia prima timorem includit intrinſecum & filialem: ſecunda verò tantum timorem & amorem ſeruilem. Et ſic patet concluſio.

Ex præcedenti concluſione intelligitur, cur in Geneſi à timore laudatur Abraham: quem tamen ſcimus per proprietatem pietatis omnia feciſſe ex amore.

F. A. His auditis, quæ in præcedenti concluſione diximus, ad timoris examen aliqua ſuperaddamus. Timor (inquit ſapiens) eſt præſumptionis adiutorium, proditio cogitationis auxiliorum: varia enim timori attribuuntur cognomenta à ſcriptura. Ab ipſo etiam timore vniuerſus pietatis cultus, & omnis mortalium beatitudo pendet: ideò nota, quod affectum, quem Dei timorem nuncupamus, multiplex

tiplex conditio præoccupat: quam in quocunque mortalium experiri licet. cui correſpondent ſeptem dona ſpiritus ſancti ſcilicet ſapientiæ, & intelligentiæ, conſilij, & fortitudinis, ſcientiæ, & timoris. primum nanque cuilibet homini, ex certo naturæ inſtinctu, quem ſapientiam dicimus, innoteſcit vnum dari in rerum ambitu: à quo cuncta dependent: ex hinc animus ad id, quod ſapientia concepit, ſe lumine intelligentiæ conuertit: quo proſpicit ſummum illud ingenitum eſſe, & immortale, ſummè bonum, ſapiens, omnipotens. quo cognito, mox ſuſcitatur: & in idipſum nonnihil deſiderij erigitur: quo inſtigatur animus, vt ſecum reuoluat (quod conſilium appellamus) ſi qua lege illius effuſiua bonitate, & ſapientiæ ſplendore ſui valeat: cunque eius immenſam largitatem, & clementiæ dulcedinem conſultando, inſpectet, continuò facultas ad votum aſſequendum (quam fortitudinem dicimus) exurgit: qua nulla fortitudine ſe voti fieri compotem poſſe præſumit. At, cum deinceps mobilium, & caducarum rerum cognitione (quam ſcientiam dicimus) per circunſpicientiam ſe deorſum conuertit, infœlicemque ſui ipſius ſortem conſiderat: qua cæco, ac teterrimo hoc carcere ipſe exulet, terrenorum ſordibus, fœtoribusque circunſeptus

cunſeptus, & quam longo ab immenſa illius magnitudine, & tremenda maieſtate diſtincta, interuallo, mox in deſidiam, & torporem, ſpe omni deſtitutus, huc atque illuc animus agitatur, & fluctuat, varijs hinc diffidentiæ, illinc præſumptionis, argumentis oblatis, donec ſuperueniat, & medio ſe ponat conſolationis, & pacis author, Dei timor. qui protinus omnem cogitationum pugnam dirimit, & animi turbulentiam ſerenat, præſumptionis ſiquidem audaciam retundit, immenſam illius ſummi boni magnitudinem, & deſpectam, miſeramq́; ſui tenuitatem conſiderans: diffidentiæ quoq; ſocordiam, torporemq́; eliminat: dum indeficientem ſummi boni largitatem, & clementiam proponit: fiduciamq́; auxiliorum aduerſus terrenorum inſultus denunciat, quemadmodum Moſes, poſtquam ſenſuum gregem minaſſet ad interiora deſerti, apparuit ei Deus: tunc faciem ſuam, quicquid in eo humanitus excogitatum fuerat, ſeſe, deſerendo timorem, abſcondit. Vnde viri ſancti Dei, dum propius ad eum, penes quem eſt poteſtas, & terror, accedunt, eiuſq́ue afflatu, ac ſpiritu aguntur, horrenda quidem, & ineffabili concutiuntur formidine, iuxta illud Abraham, Dum ſuper eum Dei horror irruerat, horror magnus, & tenebroſus

nebrosus inuadebat eum. Et illud sanctissimi Iob, inquit. pauor tenuit me, & tremor, & omnia ossa mea perterrita sunt: & cum spiritus me præsente transiret, inhorruerunt pili carnis meæ. Hoc totum operatur ille Diuinæ puritatis splendor: qui velut ignis consumens, nihil sordidum, nihil coinquinatum: quemadmodum nec lux sibi associari patitur. idcirco in illo Diuinitatis contactu omnis prophana cogitatio terrenorum euestigio timore absterretur, & quasi stipula ignis voragine absumitur: vnde (corrupto iam terrenæ sementis grano) anima ipsa Diuinæ puritati conformior facta: ex nouo, & incorruptibili Dei semine noua profertur creatura. Cum igitur Abraham renouatus fuerit, sicut patet per illa Dei verba ad ipsum; Ambula coram me, & esto perfectus. quia addiderat Deus, he ה, nomini eius: & factus fuit potens vir generationis: & huiusmodi renouatio ex Dei timore proueniat: quia (vt ait sapiens) sine timore Dei nemo iustificari potest: ideò cosultè, & scitè protulit conclusio authoris. quod à timore in Genesi laudatur Abraham, non timore extrinseco à gheburah, sed timore intrinseco à ghedulah: & est idem cum pietate ghedulah: quæ pietas est propriè amor cultus Dei. Et in

signum

ſignum huius amoris, voluit proprium filium immolare, pariter & timoris filialis: quod oſtendunt verba Angeli, ipſum alloquentis: ne extendas manum ſuper filium, eò quod timeas Deum, id eſt, amas Deum: amor enim & timor filialis adæquantur. Abraham igitur omnia per pietatis proprietatem. ſ. ghedulah, fecit. ſ. & immolationem filij, &c. Qui amor eſt idem, quod filialis (vt dixi) timor. De hoc loquitur Paulus ad Romanos, dicens. non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore: ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum: in quo clamamus: abba pater. Ipſe enim ſpiritus teſtimonium reddidit ſpiritui noſtro, quòd ſumus filij Dei. Si autem filij & heredes. Heredes quidem Dei: coheredes autem Chriſti. & ſic patet concluſio.

Quotienſcunque ignoramus proprietatem, à qua eſt influxus ſuper petitione, quam petimus, ad domum naris recurrendum eſt.

F. A. Poteſt homo per Muſicam & cantum aliquid operari. Vnde Boetius & Cicero referunt Pythagoram, iuuenem furentem, mutatis modulis cohibuiſſe. ſic Terpander, & Arion Methymnæus Lesbios, & Iones, & Iſmenias Thebanus quàm plurimos indecoris moribus vexatos concentibus curarunt: & Dauid cithara malum ſpiritum

à Saule

à Saule fugabat, non enim harmoniam pati potest ille, qui dissonus penitus est. In casu nanque suo spiritus malus omnem harmoniam perdidit: quam in se ipso, & cum Deo & alijs creaturis habere debebat. Ad sonum etiam alicuius instrumenti choreæ ducuntur: quia illa soni oblectatio animum & vires ad saltandum mouet: tanta enim est virtus concentus proportionati, vt animos & sensus omnes ad motus illi sono correspondentes excitet; sicut tubarum clangore milites & equi ad bellum excitantur. nec enim mouetur quippiam ad amorem & effectum alicuius rei, nisi ex conuenientia, quam habet cum ea. sicut corda citharæ mouetur ad tactum cordæ alterius citharæ sibi proportionatæ. Motus enim est accidens quoddam, à quo motus localis prouenire non potest: secundum motum alteratiuum producit. Mouet igitur hic consonantia, quæ est vis quædam naturalis, sentiens aliquantisper naturam substantiæ: quamuis per accidens quod dam operetur: sicut ignis ardet, vrit, calefacit, & accendit mediante calore: qui quoddam accidens est: attamen eius effectus à substantia procedit. Et hoc mediante calore, qui & si proprium est ignis, extrà tamen emanans accidens est. Et sicut terror in Domino respectu subditorum, est quoddam substantiale à

tiale à Deo inditum: tamen vt emanat à Domino in ſubditum, eſt accidens quoddam: ſic etiam conſonantia in rebus eſt quoddam naturæ inſitum conſubſtantiale rei: In eo verò, quòd in aere vel in medio deueniat vſque ad percipientem, accidens quoddam eſt. Vnde effectus procedit à re illa ſubſtantiali mediante accidente. Illa.n. conſonantia eſt adeò rei conſubſtantialis, vt in eius diffinitione ponatur. Sicut Ariſtoxenus de mente Platonis animam diffiniens, conſonantiam rationalem in ea ponit. Ait enim: Anima eſt numerus ſeipſum mouens. Et talis motus confert in operando. nam omnis operatio fit per motum generatiuum & corruptiuum, alteratiuum vel localem: vt à naturalibus dicitur. Vnde inter cætera ad ſanitatem conferentia, Plato ſuper omnia motum laudat. Quod comprobamus etiam in ætate primæua, nam pro fugando fletu, & pro ſanitate ſeruanda vel reſtauranda, ſolent nutrices mouere infantes in cunis poſitos. Qui motus (vt Plato ait in eo, quem de legibus librum ædidit) formidinem pellit, quæ inuadere ſolet pueros: & debitam tranquillitatem reddit. Vnde motus omni operationi non parum confert: niſi operans is ſit, qui ſola voluntate operetur. Operantes autem in ma-

gia iusta & licita vtuntur characteribus : quod absq; superstitione fieri potest aliqua. Docuit enim Christus opera in eius nomine facienda. Quod nomen exprimi non potest sine literis prolatis aut scriptis. Quæ literæ sunt characteres quidam. Paulus etiam, in cuius pectore resonabat Christus, ait. Quicquid facitis, siue in verbo, siue in opere, in nomine Iesu facite. Crux etiam est character, quos nosmetipsos munire solemus : vt in frequenti vsu habetur. Sacerdos etiam in veteri lege, iussus fuit imponere fronti suæ magnum Dei nomen, suis characteribus sic scriptum יהוה, quando intrabat sancta : vt in Exodo habetur. non igitur damnandi sunt characteres omnes. nam sunt characteres sancti : de quibus dictum est. Et hi sunt velut instrumenta quædam, in opere Diuino : sicut sunt instrumenta naturalia in opere naturali : sunt etiam quidam characteres Dæmoniaci à Diabolo inuenti : vt, veluti simia, per hos characteres adoraretur. Isti verò sunt respuendi : vt sapientes optimè norunt. Et characteres Hebræi sunt cæteris præstantiores : Vnde Orpheus in operando peritissimus, ait. non esse in opere immutanda Hebræa nomina : Et hoc dixit, quia ipsorum characteres, cœlorum figurant imagines. Qui cœli sunt instru-

inſtrumenta, quibus Deus nobiſcum agit. Etiam quia Dei ſedem repreſentant & ſupramundanarum cœlorum proprietates: qui ſunt primi fontes, à quibus omnia proueniunt. In lege etiam ſancta deſcripti, ſunt quodammodo Deo conſecrati. Hinc maioris efficaciæ ſunt, & tanta virtute prædìti ſunt, vt quomodocunque reuoluantur, ſemper habeant ſua ſignificata. Ad quorum vim innuendam mirabili naturæ ordine: aut Dei iuſſu, aliquis illorum imprimitur, in quadam herba, quando virtute plena eſt: vt dicunt viri ſapientiſſimi. Et nunc qui vult operari, oportet quòd numen ſiue nomen operetur, quod eſt ſuper omne nomen: & illud eſt cui flectitur omne genus, cœleſtium, terreſtrium & infernorum. Quod nomen acquiſiuit ſibi Chriſtus virtute crucis: vt teſtatur Paulus. *Sicut* ipſemet Chriſtus proteſtatus fuerat: dicens. Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum: omnia videlicet numina & virtutes rerum, & nominum quorumcunque. Quod & Paulus alibi perhibet, dicens. Quoniam complacuit .ſ. patri in ipſo habitare omnem plenitudinem. Et, iterum. Expolians principatus & poteſtates, palam triumphans, illos traduxit in ſeipſo. Et qui huiuſmodi principis

inuocaturi ſunt, debent eſſe præditi virtute. Vnde Proclus docet, dicens. Qui volunt orationem aſſumere (in qua ſcilicet Diuinum nomen inuocatur) habere debent cognitionem, cognationem, & vnionem. neceſſe eſt enim quòd inuocans, cognoſcat inuocandum, ſi rectè ipſum inuocare velit. Quo ſenſu propheta canit. protegam eum, quoniam cognouit nomen meum: non enim dicitur: quoniam inuocauit, ſed quia cognouit. propter hoc iratus Dominus contra Moyſen & Aaron, dixit: Quia non credidiſtis mihi, vt ſanctificaretis me coram filijs Iſrael: propterea non introduceris populum hunc ad terram, quam dedi eis: altiorem exquirit indaginem hoc negocium. non introduxit ergo Moſes, populum in terram promiſſam: quia miraculum, quod Deo tribuere debebat, ſibiipſi vendicabat, dicens. num de petra hac vobis aquam poterimus eijcere. Etiam quia Deus iuſſerat vt petram alloqueretur: ipſe verò percuſsit. nam magnum diſcrimen eſt inter loqui & percutere. Loqui enim iuſsi fuerunt: vt manſuetè & piè, id eſt, per gratiam impetrarent aquam: quæ à tribunali iuſtitiæ gratiæ procedit. Ipſe verò Moſes percuſsit petram: quaſi in aquam extrahens, & per vim iudicij: per

quod nunquam operatur Deus absque alicũius punitione. Hinc sententia non fuit in populum lata aquam petentem : sed in Mosen in opere errantem. Errantes enim in opere irremissibile, id est, inabsolubile à pœna, peccatum committunt. Hinc Moses, qui omnia à Deo pro populo impetrare solebat, hoc obtinere nequiuit: vt videlicet populum (sicut Deus ei commiserat) in promissam terram introduceret. Errauit etiam Moses, quia percussit petram, quæ (vt inquit Apostolus) erat Christus. nam ipse sponte, & sine percussione aquam offert. nec parua fuit ista transgressio, conducere Dei opus per seueritatem (id .n. percussio innuit) quod Deus per pietatem, vt magis sanctificaretur in populo, perpetrare statuerat iubens: vt pio & dulci sermone, absq; percussione aquam de petra educerent: cum non essent extrahendæ aquæ misericordiæ per asperam iustitię fistulam, vt dixi. postquàm igitur voluerunt in virga ferraa (vt aiunt) agere cum populo, meruerunt sentire diuinam, ferreamq́; sententiam supradictam. Multa hic sunt archana de petra: quæ Hebraicè dicitur Euen אבן, in qua dictione, duæ formantur dictiones, scilicet ab אב, & ben בן : quarum prima filium significat, secunda verò patrem. retexere autem hæc omnia longus nimis esset

ſermo: quare &c. Qui ergo rectè vult operari, neceſſaria eſt illi cognitio nominum effectibus appropriatorum qui deſiderantur. ſecundo oportet quod habeat cognationem & ſymbolum cum inuocato: iuxta illud Apoſtoli, nemo poteſt dicere Dominum Ieſum, niſi in ſpiritu ſancto, id eſt, niſi naturam & ſortem hominis cœleſtis & ſpiritualis ſapiat. poſtremò requiritur, ꝙ ſit cum inuocato vnitus: qui ſcilicet eſt caput, non tantum totius Eccleſiaſtici corporis, ſed etiam mundani: cum ſit vinculum totius creaturę. nec enim poteſt membrum virtute capitis in aliud membrum agere, niſi cum vtroque ſit vnitum. cuiuſque igitur ſanctorum nominum, quæ in lege ſcribuntur, in qua vbicunque inueneris aquas, Diuinorum chariſmatum aquas ſupernas haurire poteris, quas cum ebiberis, noueriſque omni in opere, felicitatis euentum aſſequeris. Fundamentum legis eſt credere in nomine altiſsimi: ubi, ſi in cogitationibus tuis recto tramite ambulaueris, incolumes erunt viæ tuæ, nec pedes tui collidentur in perpetuum. ait enim Eccle. cuſtodi pedem tuum, ingrediens domum Dei. quibus edocuit, vt, qui ad Diuinum auxilium implorandum accedit, ſe antea examinet, aduertat, & cognoſcat nomina Diuina tali petitioni accommodata. Ante

igitur omnia, prænoſcendum eſt ſignificatum nominis: nam alioquin talis erraret in opere: & ab ſuo deſiderio fraudaretur: & non tantum optata non conſequeretur: ſed in contrarium ei contingeret: ſicut accidit Moſi in aquis contradictionis: qui Elohim אלהים in fauorem populi inuocans, perijt (vt ſupra dixi) quia nomen El אל miſericordiæ inuocare debuerat, à ſimili. Filij Zebedei iuſte à Chriſto reprehenſi fuere, dicente illis: neſcitis, quid petatis. quia neſciebant petitionis finem, an ſcilicet eſſet futurus bonus, an malus. ideò in his, quæ bona, & mala eſſe poſſunt, conditionaliter eſt orandum: quia quandoque in noſtri præiudicium, in huiuſmodi orationibus oramus, Dicit ergo concluſio. (Quotieſcunq; ignoramus proprietatem &c.) id eſt (quando ignoramus nomen tali effectui appropriatum, ſiue ſephirah: in tali caſu recurrendum eſt ad domum naris) Domus naris eſt ſpiritus: De hoc habemus in geneſi. Et inſpirauit in nares eius ſpiraculum vitæ. Et iſte ſpiritus hebraicè dicitur neſamah נשמה, id eſt, portio ſuperior, ſecundum Auguſtinum: & eſt radius Diuini ſpiritus: vnde quandoque dicitur ſpiritus vitæ, cum in ſe vitam contineat: corroborat etiam, vim dans operandi, iuxta illud Apoſtoli.

Corroborari per ſpiritum eius. Et de Sanſone legitur in libro Iudicum. Irruit ſpiritus Domini in Sanſon, & lacerauit Leonem. Spiritus enim hominis, qui anima rationalis dicitur, nexus quidam eſt, nectens animam animalem, & craſsiorem, cum intellectiua virtute, quę dicitur portio ſuperior. Et iſte ſpiritus eſt facile vnibilis cum mente ſuperiori, & Diuino illo, quod eſt in nobis. hinc, qui Diuini efficiuntur, communi, & vulgari vocabulo, ſpirituales dicuntur, quia eorum ſtudium eſt deducere corpus in naturam ſpiritus vrgentis ad Diuinum; aut, quia ſtudent per Dei ſpiritum in ipſum Deum reduci. Quando igitur ſuper petitione noſtra ignoramus dimenſionem tali petitioni additam, tunc recurrendum eſt ad iſtum ſpiritum neſamah, qui omnia à Deo impetrabit. Et dicitur naris, quia in Geneſi dicitur quòd eum inſufflauit in nares Adami. Et hic ſpiritus, qui & neſamah, ſiue portio ſuperior dicitur, ſemper deprecatur ad optima, nunquam peccans, ſed peccato, & errori remurmurat. Sine hoc ſpiritu, nec Deum intelligere, nec quicquam mereri poſſumus. Et hoc eſt, quod dicit Paulus: iudicat de omnibus. omnia enim neceſſaria nouit. ideò ad ipſum eſt recurrendum. Quia

eſt

est nesamah ipsa, virtus quædam spiritus san cti omnes purificatos illustrans, quem Ploti nus simpliciter intellectum vocat. De quo Ioannes inquit. vnctionem habetis à sancto, & nostis omnia. Vnctio nanq; spiritus sanctus est, qui etiam docet. Iuxta illud Christi. Ille suggeret vobis omnia, & docebit vos om nia. Quem gradũ spiritus sancti nobis familiarem Hebræi sachma vocant. i. inhabitationem spiritus sancti in nobis. Quem dicendi modum Paulus in huiusmodi instructus prosequitur, dicens. propter inhabitantem in vo bis spiritum sanctũ. Sanctus quippe sanctis: in alijs verò, spiritus intelligentiæ est: lucis radium deferens illius omnes illuminantis. Vnde Ambrosius sapienter ait. Veritas à quocunq; dicatur, à spiritu sancto est. nec aliud existimo esse hunc intellectum vniuersalem agentem & operantem in omnibus, à quo illustratus intellectus noster dicitur intellectus passibilis. i. lumen recipiens, à nesamah portione superiori, quæ à spiritu sancto descendit, tanquam Diuinitatis radius ab eo, qui nos illuminat de omnibus Diuinis: ad quem recurrere habemus, quando iustè operari volumus. Vnde patres primitiuæ Ecclesiæ illi adhærentes tot faciebant portenta: vt Petrus sola vestimentorum vmbra infirmos sanaret: propter cu-

ius carentiam, christicolæ recentiores quacunque dignitate clari, non habent potestatem eandem portenta faciendi. Quod donum de facili recuperari potest. Vnde Deus per Ezechielem inquit. Quacunqne hora peccator reuersus fuerit ad me: omnium iniquitatum eius amplius non recordabor. Verum est, quod huiusmodi verè conuersis restituitur donum & gratia benè operandi: cum id non sit de necessitate salutis: nec statim conuersis detur: sed ijs, qui sibimet ipsis mortui, id est, parti animali Christo & Deo viuunt intellectiua & rationali. Vnde differentia est inter intellectualem, rationalem, & animalem hominem. Dicunt enim theologi & peripatetici quòd vnica est anima in homine, quæ est principium intelligendi, sentiendi, & secundum locum mouendi: sed, si est eadem, quomodo vna facit opus, ad quod alia non aduertit: vt Plotinus inquit: & scriptura sacra testatur; quando videlicet Loth cum filiabus concubuit: nam tunc generauit secundum animalem partem, ratione & intellectu non aduertente: vt habetur in textu. pari modo (sicut omnes fatentur) animalis Christi portio calicem bibere recusabat, rationalis autem volebat: sicut scriptum est. Oblatus est, quia ipse voluit. Immo (vt Apostolus ait) est

est aperta pugna inter animalem & spiritualem hominem. Vnde necesse est, quòd distincti sint affectus & potentiæ. Ait enim, Caro, id est, carnalis anima, concupiscit aduersus spiritum. nam pura caro non concupiscit. Insuper idem Apostolus inquit: quod illud animal in spiritualem naturam conuertetur, spiritu semper eodem manente. Vnde distinctos esse omnino necesse est huiusmodi homines: nisi enim spiritus ab anima distinctus esset, non dixisset ipse Apostolus. Viuus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vsque ad diuisionem animæ ac spiritus. Et hoc virtute intellectualis potentiæ, quæ nesamah dicitur, vt supra & alibi sæpe visum fuit.

Omnis anima bona est anima noua, veniens ab oriente.

F. A. Defecerunt omnes philosophi in diffiniendo quid sit anima. nec mirum, cum notitia de anima (teste Aristotele) penitus sit difficilimorum. Quod à Platone exaratum est, in decimo de legibus, dicente. Qualis anima sit, & quam vim habeat, omnes fermè ignorasse videntur: ideo ipse aperto sermone de eo loqui renuit, sequens secretiores theologos, qui in quibuscunq; arduis negocijs relinquunt legentibus, quorum

rum vestigia & doctrinam , nulli dubium, secutus est. Ab ipso itaq; id de anima veniri possumus: ꝙ ea sit diuina quædam substantia in diuinis fontibus emanans , ducens secum numerum : non quippe illum diuinum, quo opifex omnia disposuit : sed rationalem numerum : quo cum omnibus proportionem habens, omnia intelligere posſit: id asseruit Pithagoras philosophorum pater, dicens in aureis verbis . Confide quia Diuinum genus hominibus inest . Et Paulus in Apostolicis actibus Arati sententiam adducit , & approbat , qua inquit . Ipsius enim genus sumus . Ecce quàm clarè concedit genus summũ diuinum esse. Et hoc ex parte portionis illius superioris , quam semper vt diuinam venerantur Platonici. Est etiam numerus seipsum mouens (secundum Aristoxemum & Senocratem) quia ipsa anima, est principium motus corporis , (vt probat Aristoteles)& etiam sui ipsius . Ex doctrina Augustini, anima, liberum arbitrium , aut voluntas , quæ est vis ipsius animæ, mouet ad quodcunque . nihil est (inquit)tam in potestate voluntatis, quàm ipsa voluntas . Quæ etiam ex communi istorum sententia , præcipere potest intellectui, vt intelligat : & sibi ipsi , vt velit , vel nolit , ferens seipsam in quodcunque . Quæ motio , quamuis non sit secundum diuisionem

nem partibus: est tamen vera mutatio, & motus: de quo loquuntur, qui dicunt eam seipsam mouere. Et hic motus, est etiam Angelorum: de quibus Iob. Ecce qui seruiunt ei, non sunt stabiles: vel non sunt fideles: & in Angelis suis: posuit mutationem: vt habet veritas literæ: pro quo nos habemus, reperit prauitatem. Quæ mutatio, quamuis non fiat per successionem partis, & partis: tamen motus quidam est. Mouetur etiam per accidens ad motionem corporis. tamen est verus motus: cum in se habeat motus principium, & ab alio non moueatur. Habetque anima numerum in se, scilicet rationalem, id est, rerum species in se, quibus eas intelligit, & numeros rerum quibus ipsas numerat. Qui quidem numeri, & species, non sunt tantummodo aduentitij, & de nouo acquisiti: sed congenij ipsi animæ, in esse existentes, meliori quadam nota, q̃ in seipsis, sicut de exemplaribus, vel ideis omnes conueniunt, quòd perfectius esse habent in Deo producente, & intelligente, quàm in genere proprio. dicente Ioanne. Quod factum est, in ipso vita erat. Vita vtrique creatrix & diuina, quia nihil potest esse in Deo, nisi Diuinum. Intellectus, n. non posset percipere, se intelligere veritatem, nisi in se aliquid habeat, cui conformetur quod intelligit. Hæc

autem

autem ſunt ſpecies ibi actu exiſtentes, ſed im
peditæ, vt Platoni & antiquis placet. cui con
ſentit Ariſtoteles quando dicit. Anima eſt
quodammodo omnia, quia omnia continet
in ratione intelligendi, aut habet proportio-
nem cum omnibus. Et illa eſt harmonia ra-
tionalis, de qua, ſimul cum Pythagora &
Platonicis loquimur. Deficit tamen valde
anima à primo, & ſupremo intellectu: qui
omnia ſimul intelligit: non ſic anima no-
ſtra cuncta intelligit acta, & vnica intellectio
ne, veluti primus: ſed multis & ſucceſsiuis
actibus. Eſt igitur anima intellectiuum
quoddam, omnia continens concinnio quo-
dam: vt cuncta intelligenda ab ea, intellige
re poſsit. Dixerunt igitur peripatetici om-
nes, omnes animas productas fuiſſe æquis
gradibus, & produci. horum fundamen-
tum, eſt dictum Ariſtotelis dicentis. Spe-
cies ſe habent ſicut numeri; in quibus vno
variato mutatur ſpecies. nam, ſi ternario
addatur vnitas, mutatur ſpecies, & fit qua-
ternarius: recentiores tamen theologi dicunt
animas differre non tantum accidentibus,
ſed gradibus intrinſecus, in ipſarum eſſen-
tia radicatis, quibus vnaquæq; res eſt hæc
differens ab alia, per illud quod eſt ipſi pro-
prium, quia vnumquodq; diſtinguitur, pri-
mo per naturam ſuam, quæ eſt hæc, ante-
quam

quam distinguatur per principium operandi, aut per opus, siue per aliquod accidens. cui adstipulatur illud sapientię. puer eram ingeniosus, & sortitus sum bonam animam, meliorem videlicet quàm multi alij. Et hoc idem à Christo confirmatur in distributione talentorum: vni quidem dedit quinq;, alij tria, &c. vnicuique secundum propriam virtutem: quæ est naturalis quædam vis, certo gradu determinata, secundum quam est capax sui muneris, & ipsum suscipit. nec obstat fundamentum de numeris: cum non mentiatur infallibile Euangelium, & infallibilis veritas: Deus enim massam animarum omnium creauit totam à principio simul, vt patet Gene. primo vbi dicitur. quod Deus omnia creauit simul ad faciendum: quia nihil de nouo creat, vt dicunt Cabalistæ. Deus igitur de nouo nullam creat animam. Sed de nouo in corpus infundit: & dicitur tunc noua: quia de nouo informat corpus: & dicitur bona, nam sicut auri massa semper aliquid fecis in se continet: ita in illa totali massa animarum est huiusmodi fex, & impuritas, secundum Cabalistas aliquos. Anima igitur, quæ à totali massa ęxcipitur, à parte pura est bona: quæ verò mixta ex parte cum fece est, mala. Et, si objiciatur per illud Genesis. Vidit Deus cuncta quæ

fecerat,

fecerat, & erant valde bona. Regulariter quod omnino cuncta, quæ fecit Deus, sunt bona, non tamen cuncta, quæ creauit: facere enim est circa bonum, creare circa malum. Vnde Esaias. Ego faciens bonum, & creans malum, faciens lucem, & creans tenebras; quod sic intelligitur. cum creare sit ex nihilo, & terminetur ad subiectum, vel materiam, quæ mali rationem habet: ideo dicitur creans malum. & cum facere terminetur ad formam, quæ habet rationem boni: ideo dicitur faciens bonum. itaque quæcunque quatenus declinant ad materiam, habent mali rationem, & quæ magis summæ formæ appropinquant, eo magis boni rationem habent. Anima igitur illa, quæ plus de parte crassiori creatur, dicitur mala, quæ verè à puriori dicitur bona. Et talis anima bona venit ab oriente. statim enim cum fuit à chocmah oriente, creata, & in binah intelligentia locata, ingressa est in Tipheret, non pertransiens per gheburah, quia nihil imperfectionis in se continet, purgandæ à gheburah, malè autem per gheburah iter suum faciunt, vt ab illius igne puræ fiant ab illa fece. Et sic patet conclusio secundum Cabalistas

Ideo Ioseph osibus tantum sepultus est, & non corpore: quia eius ossa erant virtutes, &

militiæ

militiæ arboris superioris, vocati Zadich, influentis ad terram superiorem.

F. A. Præcipitur nobis, vt scripturas scrutemur, eo quod plenæ sint mysterijs & sacramentis. Inter alia, sacramentum vnum est præcipuum: quod nisi à vacantibus sacris literis præcognoscatur minimè proficisci in eis possunt. Quod est. Deus enim ante templi ædificium, & legis dationem, suam Merchauah, siue gloriam: seu spiritum sanctum habitare fecerat super quatuor rotas, quæ currum deferebant gloriæ: & istæ rotę erant quidam pedes, Dei ædificium sustinentes: Qui fuerunt quatuor præcipui patres, scilicet Abraham, Isahac, Iahacob & Ioseph (de quibus in tractatu proprio). Dimissis tribus primis, de quarto tantũmodo loquar qui locum in archetypo sibi asciuit, qui dicitur Iesod, siue fundamentum totius influxus diuini. Ideo scriptura, generationes describens Iahacob, cæpit à Ioseph: quia fuit fundamentum mundi, lapis, & pastor illius familię. pastor, inquam, nedum alimoniæ in Ægypto præstitæ: sed præbens aquam viuam, & spiritus nutrimentum: cuius ille cibus in Ægypto præstitus figura fuit. Inde.n. fuit Ioseph, vbi est aqua vitã præbens. Et Zohar dicit: Ioseph erat primogenitus Iahacob: nam erat primogenitus Rachelis, omnibus

mulieribus prælatæ: pro qua Iahacob seruiuit: & cui prius animum addixerat, quando cum Lia concubuit. Hinc, iuxta intentionem Iahacob, primogenitus Rachelis: erat primogenitus eius. Alia est ratio: quia (vt dicit Zohar) Ioseph fuit vinculum Solis cũ Luna supramundana: vnde veniunt generationes inferiores. propterea & effigies Ioseph (vt ipsemet Zohar ait) Iacob effigiem penitus referebat. Ideò dicitur in textu: quod Iahacob diligebat Ioseph: propter. s. eius effigiem: quia in habentibus symbolũ, facilis est transitus. Etiam quia mores habebat magis patri consimiles, quàm alij filij. Etiam quia sicut pro se & familia Ioseph traxit alimentũ corporeum: ita trahebat alimentum spiritus & vitę melioris. Trahebat etiam influxum generationis & multiplicationis. Et ideo ipse, duos habuit tribus: quarum altera scilicet Ephraim creuit valde. Hinc non sine causa mater vocauit eum Ioseph: quod est argumentum. Quapropter in Genesi, dictus est, filius accrescens, & aspectu decorus: quia auctus est in duas tribus: Manassem videlicet & Ephraim (vt dixi). quarum vna pro tribu Leuitica, in sacrorum administratione occupata, & inter omnes tribus dispersa, supplebat. Etiam quia fuit augumentum familiæ Israeliticæ: in omnibus, in vita acti-

ua acquiſitis. Etiam, quia citò ac valde creuit dignitate & honore in Aegypto. Decorus autem aſpectu fuit: gerens præalijs (vt dixi) effigiem patris, ac matris ſuæ pulcherrimæ Rachelis. Tanta enim pulchritudine præditus fuit: vt ſi qua tranſiret, mulieres aſcenderent domorum tecta, muris (vt in Deuteronomio legimus) vallata: vt inde ipſum iuuenem pulcherrimum, tranſeuntem aſpicerent. Hinc Iacob dixit. Filiæ diſcurrerunt per murum. Veritas literæ dicit. בן פרת ben porat, id eſt, filius pulcher: quia pulcher erat corpore, ſed pulchrior mente: dicebatur etiam porat, id eſt, creſcens vtroque augumento: temporali videlicet ac ſpirituali. Hæc omnia ſibi contigerunt, ex carcere, & venditione æquanimiter toleratis: & conſtantia mulierum, contra mulierem demulcentem oſtenſa: obtinuit ſuper Aegyptum, quæ craterem inferiorem effigiat. Quæ quidem Aegyptus irrigatur tamen à flumine, ab horto voluptatis procedente. Vnde innuitur, quod ipſe Ioſeph de inferioribus omnibus triumphauit, ſuſcipiens quicquid boni crater ille ab alto ſuſcipiebat. Annulus enim ſigillum erat, quo omnia edicta ſua munire poterat. Stola byſſina, Regia veſtis erat. Torques aurea,

in ſignum præſidentiæ. currus, Tribunal imperij denotabat. præco clamans, vt omnes ei genua flecterent, executionis dominij dati ſignum fuit. Vnde ipſe Ioſeph bis venditus fuit. primò enim Iſmaelitis. ſecundo ab Iſmaelitis Phuniphari Pharaonis Eunucho. Et hoc, vt inde magis profiteretur. iuxta regulam à Dauide decantatam. ſecundum multitudinem dolorum meorum, conſolationes tuæ lętificauerunt animam meam. nec enim Deus diu relinquit amicos ſuos in nocte tribulationis. nam de ſpiritu ſancto, ſiue bonitate Dei: quam Hebræi ſachinam vocant, ſcriptum eſt. De nocte ſurrexit; deditque prædam domeſticis ſuis. ſic Ioſeph in nocte & tribulatione Ægyptia exiſtenti: Deus mirabiliter ſubuenit: eique prædam, è manibus Ægyptiorum ereptam; cum nec comedere cum Hebræis Ægyptij conſueuiſſent. Duplici quoque venditioni Ioſeph, reſpondet ipſius duplex præſidentia: alia ſuper Ægyptios: quia venditus in Ægypto: alia ſuper fratres, quia venundatus à fratribus fuit. ſic Chriſtus Iudæis venditus: eorum Rex dictus fuit. nec mirum videtur ſupradicta accidiſſe Ioſeph: cum etiam Sol, Luna, & ſtellæ adorauerunt ipſum. Iuſti enim ſtellæ nominantur: dicente Daniele. Fulgebunt iuſti ſicut ſtellæ: cui adſtipulatur

pulatur Paulus, dicens. Sicut ſtella differt à ſtella in claritate: ſic ſanctus à ſancto in gloria. Tunc enim verificatum fuit illud, quod ſcriptum eſt Sol (id eſt, Iahacob, qui in Sole habet tabernaculum ſuum, vbi & Chriſtus) obſcuratus eſt (quia non nouit hoc) & ſtellæ (id eſt, filij eius) non dederunt lumen (quia huiuſmodi ſomnium non intellexerunt) propter hoc dixit Iahacob. Fiant in capite Ioſeph, & in vertice Nazaræi, fratres eius. quia ſtellæ vndecim debebant adorare Ioſeph (vt dixi). Et hoc nedum propter Ægypti præſidentiam (cum ſcriptura ſemper altiora petat, quàm præ ſe ferens occidens litera) ſed quia chenezet, id eſt, Synagoga Iſrael cum altiſsimo myſterio collecta fuit ex duodecim tribubus: dempto leui iam ſacerdotio addicto, & inter fratres diſperſo. dempto quoq; Ioſeph, alio profundiſsimo ſacramento. Et in horum locum Manaſſes & Ephraim ſuffecti ſunt. Hinc cum tota illa familia haberet ſedem & radicem in loco: quem Hebræi regnum vocant: Chriſtus verò regnum cœlorum appellat: qui etiam alio nomine dicitur mare, vel piſcina, vbi congregantur aquæ ſupramundanæ: Ioſeph radicem habuit in loco ſuperiori, vbi eſt fons vitæ, à quo emanant huiuſmodi aquæ. De quo fonte propheta canit. Quoniam apud

te, est fons vitę. Sicut igitur diuersorum riuu lorum aquæ in fonte: velut in capite, vniuntur: sic Iahacob iubet vniri fratres in Ioseph fonte & capite. Vnde benedictionibus multis donatus fuit Ioseph in Gene. prima enim est cœli desuper: qua benedictus fuit & Iahacob pater eius, in rore cœli. Secunda, abyssi, terræ videlicet, vel rerum inferiorum: vt nihil contra ipsum præualeret. Tertia, vberum & vuluæ, geniture videlicet carnales. Vel vberum, de quibus canitur. Dabo tibi vbera mea, in canticis. Quæ quidem vbera (vt alibi dixi) lac prophetis præbuerunt. Et Rachem רחם, id est, pietatis, & non vuluæ. Vtrunque enim Rachem significat. nec enim est maior pietas & amor, quàm cordis materni erga ea, quæ ex vulua sua prodeunt. Hinc per hanc adiurauit Zacharias, dicens. per viscera misericordiæ, id est, pietatis vel amoris Dei nostri: quibus visitabat nos. Quarta benedictio fuit illa, quam Iahacob habuit ab Isahac. Quinta fuit, quia benedictus fuit benedictionibus patrum eius. s. Isahac & Abrahę qui (vt supra dictum est) factus fuit benedictio ipsa. Hinc dixit Iahacob. Benedictiones patris tui confortatæ sunt, benedictionibus patrum eius. Et (vt cum Zohar concludamus) per illud et את ante sadai שדי nulla constructio-

nis necessitate positum: totus influxus rerũ supernarum innuitur, exoratus à Iahacob super Ioseph: nam ibi est prima & vltima litera alphabeti. Et benedicens Iahacob Ioseph dixit. Donec veniat desyderium collium excelsorum. Montes excelsi sunt illi, de quibus propheta canit. Montes excelsi ceruis. Qui montes in aduentu Messiç (Ioele teste) stillarunt dulcedinem, lac & mel fluxerunt: & (iuxta Abachuch oraculum) incuruati sunt, quando videlicet (vt Ioan. ait) verbũ caro factũ est. Qua quidem incuruatione (vt Dauid canit) ipsi colles exultatione accincti sunt. Desyderium verò huiusmodi collium est perficere hominem, vniendo ipsum cum Deo. Quod erit in patria. Ideò dixit Iahacob. His benedictionibus replearis: donec veniat desyderium collium, id est, virtutum, aut locorum illius, de quo inquit Apostolus. Deus vult omnes homines saluos fieri. propter hoc enim ipse Deus hominem creauit. Et in signum horum pater Iahacob fecit ipsi Ioseph tunicam polymitam, id est, multicolorem in testimonium multarum virtutum, quibus Iahacob ipsum decorauerat præ alijs fratribus. Hinc & ei dedit partem extra fratres suos, quam tulerat de manu Amorrhæi in gladio & arcu suo. Etiam quia ipse hauriebat influxum ex varijs

ſontibus: ſicut & pater, pro ſe videlicet, & pro fratribus, necnon & pro tota familia. Ideò primo ac principaliter: non reliquit ei aliquem agellum (vt dicitur) quo ſolebat potiri pater ſuus: dum ibi moraretur. non enim indiguit Ioſeph, tanto regno præfectus, huiuſmodi prædiolo. Cum ipſe patri ac fratribus regionem & alimenta iam tradidiſſet. prædium igitur illud ſublime fuit: iuxta quod (non ſine myſterio) venit Ieſus cum Samaritana locuturus. Quod quidem prædium Iahacob acquiſiuit arcu & gladio virtutis, ſibi à Deo prçſtitæ. Locus enim ſupramundanus eſt apud Deum: quem homo acquirere poteſt. Iuxta illud. Theſaurizate vobis Theſauros in cœlo. Qui locus etiam hæredibus dari poteſt. Sicut Abraham dedit omnia quæ poſſederat, Iſahac. Chriſtus autem, prædiorum plenitudinem acquiſiuit: de qua (teſte Iohanne) omnes nos accepimus. Et in eodem agello, ſiue prædio, ſepultus fuit Ioſeph, quod tradidit ei pater in ſichem: ſicut .n. patres eius ſibi elegerant in ſepulchrũ ſpeluncam illam, quæ erat in Hebron, rationibus & myſterijs alibi aſsignatis: ſic Ioſeph elegit pro ſepulchro prædium illud in terra ſichem ſitum. Vbi primo gentibus datum fuit pactum circunciſionis: vt in Genç.34. legimus.

gimus. Obseruatio enim ipsius pacti ad eum potissimè pertinebat: cuius origo (vt secretiores Theologi docent) inde est, vnde venit & fœdus ipsum. Hinc non sine mysterio pater spiritu sancto plenus tradidit locum illũ Ioseph, cum tanta celebritate in peculiare donum, quando vnicuiq; filiorũ eius propriam cœlestis influxus portionem assignauit. sicut etiam patres illi elegerant speluncam illam, tanquam locum subiectum illi fonti: ad quem conscendere intendebant (qua ratione & Dauid, elegit arcem Sion, tanquam locum sibi congruum & aptum) sic & Ioseph elegit prædium illud. Conuenientia enim loci, sacrificij, orationis, & verborum, in sacris peragendis summopere confert. De loco patet clarè Deum elegisse aliqua loca: quibus infundit particulares influxus: vt non modo Plato constantissimè asseuerat: sed etiam ex sacris eloquijs clare habemus compertum. Cum enim Iahacob Angelos ascendentes & descendentes vidisset super scalam, euigilans à somno, ait. Verè Dominus est in loco sancto isto: non est hic aliud, nisi domus Dei & porta cœli. Ideo non ab re, Abraham emit à filiis Chet agrum & speluncam duplicem (vt dixi) nec Dauid sine causa emit aream Areunæ Iebusæi: vbi antea fuerat ligatus Isahac: postea ædifica tum

ficatum templum, iubente eodem Dauide, à spiritu sancto mysterium loci edocto. Hinc siquis conuenientiam cognosceret locorum inferiorum cum supernis, vniuscuiusque tribus: & familiæ influxum cognosceret. non enim describitur locus illius terræ Tribubus distributæ: qui non representet aliquem locum figuratæ regionis: aut saltem influxum, quem inde suscipit. nec assignatur terminus hic inferius: qui non representet aliquem terminum supramundanæ domus: De quibus modo non est dicendum per singula. Multa tamen sunt loca, quæ Deus elegit. primum habitaculum est Deus Betel, quod prius dicebatur Luza. secundus locus est, Hebron, & potissimè spelunca illa duplex, ab Abraham empta tam diligenter in sepulturam vxoris & propriam, atque electorum filiorum, Isahac videlicet, Iahacob & Ioseph. Alius locus est Ierusalem, quam Deus elegit ad humani generis salutem afferendam. Quartam cœli portam aliqui volunt in mari esse. Vnde patet Deum elegisse aliqua peculiaria loca: sic & Michael Garganum montem: & gratiarum mater loca quàm plurima, maximè Lauretum. ideò loca conferunt ad opus prosequendum. Vnde Iureconsultorum est sententia, ꝙ locus & tempus pari passu

ti passu ambulant. Sicut igitur confert tempus & hora (vt supra dixi) sic confert & locus. Hinc Christus citauit illud Esaiæ. Domus mea, domus orationis vocabitur. Et nisi prodesset magis aliquis locus quàm alius: non iussisset Deus Abrahæ, vt è terra, & cognatione sua exiret, & ad locum, quem sibi monstraturus erat, iret. nec ab re Isahac induxit Rebeccam vxorem suam in tentorium matris suæ. nec sine causa Plato laudat in fauorem mentis & corporis, mutationem loci: quia (vt sapientes norunt) alibi & alibi habitant alij & alij spiritus: quorum aliqui, aliquibus fauent, aliqui verò contrarium. Vnde adinuenire gentium, & locum accommodatum, vtilissimum est. particularia igitur omnia, quæ scriptura commemorat, sicut est de Mosis sepulchro, & de ossibus Ioseph, magnum ostendunt sacramentum in illis latitare. Moriens igitur Ioseph, suos adiurauit fratres: vt, quando à captiuitate illa Aegyptiaca liberarentur, secum deportarent eius ossa: & ea sepelirent in sepulchro posito in Sichen: quod factum legitur Iosuæ. Et ideo hic mysterium tangitur, vt supra dixi de fauore locorum. Et in eius confirmationem dicunt Hebræi, quod prophetandi donum tantummodo confertur in Ierusalem, & non alibi.

alibi. Et si Daniel in Babilone prophetauit: hoc fuit per fluuium chobar, & Euphratem, qui de voluptatis paradiso egreditur, fertq; secum talem influxum: ideò dicitur, ꝙ propheta stabat iuxta fluuium chobar. à simili. in sichem à superis influebatur influxus conformis Ioseph: & vt Ioseph posset illum assequi, ideò præcepit eius ossa illuc deferri, vt per eum influxum. maiorem apud Deum consequi posset gratiam, sancti enim non sunt in termino (secundum Cabalistas) vsque ad diem nouissimum, vt patet prouerbiorum quarto. Iustorum semitę crescunt vsque ad perfectum diem. istum ergo locum reliquit Iahacob ipsi Ioseph, id est, influxum mensuræ superioris, illi loco correspondenti, quæ dicitur Iesod. i. fundamentũ: & zadich, id est, iustus. Ideò Ioseph habuit radices suas in Iesot fonte vitę. Et ideò ipsi Ioseph in ipso erranti, à uiro, id est, ab Angelo Gabriele inuentus fuit (vt asserunt sapientes) qui Angelus in Daniele etiam dicitur vir, & non sine fundamẽto & mysterio. Est. n. omniũ septem Angelorũ, Tribunali diuino assistentium nobis propinquissimus: & viro magis domesticus. Hinc ad Zachariam & ad Mariam, diuina secreta relaturus, missus est. ad Danielem quoque missus fuit, vt reseraret visiones & somnia Na-
bucho-

buchodonoſor. propterea ad Ioſeph miſſus fuit, vt ipſe, qui robur Dei interpretatur, roboraret ipſum Ioſeph: tot & tanta perpeſſurum ac facturum: ſomniaque Pharaonis, & eorum, qui carceri mancipati erant interpretari doceret: ſicuti oportunum viderat. Interpretari enim ſomnia Gabrielis eſt proprium: qui præeſt Lunę: ſub cuius pręſidentia mortales ſomniant. Et propter talem fauorem Gabrielis ipſi Ioſeph præſtito: tanta dignitate ſublimatus eſt vt vniuerſæ Ægypto præfectus ſit. quia ſic Deus diſpoſuit. iuxta illud prophetæ: Exaltaui electum de plebe mea. cauſa alia fuit, quia pactum Domini ſeruauit, nolens erroribus fratrum conſentire. nam & eos accuſauit patri: requiſitusque ab vxore Phutipharis, adulterio nequaquam conſentire voluit. Hinc non ſine magno myſterio, iuſtus denominatus eſt. Ab eodem enim fonte, pactum & iuſtus procedunt. nam quicquid iuſtitię eſt, id in obſeruatione legalis fœderis in vniuſcuiusque corde (vt ait Apoſtolus) ſcripti reperitur. Ex cuius quidem legalis fœderis obſeruatione: non tantum conſequitur quis nomen iuſti, ſed pacem & vitam, & ſublimationem perfectam, ſicut propheta canit. Nimis honorati ſunt amici tui Deus: nimis confortatus eſt principatus eorum. Cum enim tota familia

Iahacob

Iahacob haberet ſedem & radicem in loco: quem Hebræi vocant Regnum, Cabaliſtę vero Malchut, Chriſtus verò Regnum cœlorum: quod etiam alio nomine dicitur mare, vel piſcina vbi congregantur aquę ſupramundanæ: Ioſeph verò habuit in ſuperiori loco radicem, qui dicitur Ieſod: vbi eſt fons viuus, à quo primo emanant huiuſmodi aquę. ſicut igitur diuerſorum riuulorum aquæ in fonte, velut in capite vniuntur, ſic Iahacob iuſsit vniri fratres in Ioſeph fonte, & capite. ideo Ioſeph elegit ſichem locum influxuum, accipientem ab ipſo fonte Ieſod. Dicit ergo concluſio (ideò Ioſeph oſsibus tantum ſepultus eſt, & non corpore) ſcilicet in ſichem: quia diſſoluta erat forma corporis humani, oſsibus remanentibus, quando deportarunt illum de Ægypto in ſichem (quia eius oſſa erant virtutes) tot enim ſunt oſſa magiſtralia & præcipua in humano corpore, quot ſunt præcepta affirmatiua, videlicet ducenta quadraginta octo, quæ repreſentant tot virtutes melioris hominis, per illa præcepta perficiendas. Vnaquæque enim virtus per præceptum ſibi correſpondens perficitur, vt in ſecretiori theologia docetur. Quibus etiam corporis viribus illa præcepta ſeruantur. Hinc Abrahę (poſtquam datum fuit ei à Deo nomen continens per numeros, ducenta qua

draginta

draginta octo) dictum fuit. Ambula coram me, & esto perfectus, quia scilicet dedi tibi vires, quibus omnia præcepta affirmatiua adimplere poteris. Quemadmodum & feci. Vnde dixit Deus: Custodiuit Abraham præcepta & mandata mea, & statuta mea, totamque legem seruauit. Tradidit etiam Deus trecenta sexaginta quinque præcepta negatiua: quot sunt nerui & ligaturæ in corpore humano: sicut à peritioribus Anatomicis comprobatum est. Et hoc, vt quot ligaturis ligata sunt ossa corporis humani, totidem ligaturis vires melioris hominis colligarentur, ne loca sua exirent; & turbaretur totus homo, & impediretur spiritus Dei, qui non intrat nisi in corpus, in quo accesserint ossa ad ossa: vnunquodque ad iuncturam suam: sicut ab Ezechielis oraculo edocemur, Vt ergo perficeret Deus totum hominem, tam in viribus quàm in ligaturis, dedit præceptum illis coæquatis numeris. Quod prosequens saluator ait: Totum hominem sanum fecit, nihil enim pręceptum fuit in lege vel in Euangélio, nisi in beneficium nostrum. Hęc omnia concessa sunt Ioseph. Et denotatur quod ipse Ioseph obseruauerit supradicta præcepta affirmatiua, & se cauerit à transgresione negatiuorum: propter quod merito dictus est iu-

stus

ſtus, & Ieſod (& militiæ arboris ſuperioris vocati Zadic) id eſt, potentia influendi ſupradictas virtutes, ſignificatas per oſſa humani corporis, & neruos, in loco dicto Ieſod, ſiue Zadic: ſiue iuſti; Et illa menſura dicitur iuſtus iuſtificans. Et eſt iuſtus, qui dicitur fundamentum Mundi: tam archetypi, quàm inferioris. Cum igitur Ioſeph fuerit iuſtus ac timens Deum, vt patet ex ſupradictis: Et ſicut Ieſod influit (ad terram ſuperiorem) id eſt, in Malchut dimenſionem fauentem reliquis omnibus tribubus, ſic Ioſeph fauit omnibus ſuis fratribus: pabulum vitę illis prębens.

Ideo Moſis ſepulchrum nemo nouit: quia exaltatus eſt in iobileo ſuperiore: & ſuper iobileum miſit radices ſuas.

F. A. Exodi vltimo habetur, quod Deus oſtendit Moſi promiſſam terram in monte nebo in ſpiritu prophetico oſtendit ei Deus promiſſam terram. nebo נבא enim nebuah נבואה prophetia interpretatur. Ipſam igitur terram ſpiritu vidit: non corporali viſione cernere poterat tam ingentem regionem: in quam corporaliter intrare nequibat, ſtante irreuocabili ſententia, contra eum lata, ex errore commiſſo in percuſſione petrę. Qui error fuit peccatum irremiſsibile, & in ſpiritum ſanctum. nec ob id tamen ipſe Moſes

reproba-

reprobatus fuit: quamuis error ipsius nulla fuerit expurgatione mulctandus. Hinc veniam in hoc impetrare nequiuit: qui pro se scelere idolatriæ totius populi Deum placauerat. propter quod peccatum est mortuus in vertice montis nebo. vnde intelligitur mortuus corpore, non autem spiritu: nam prophetia eius etiam post mortem viguit. Sepultus autem fuit in valle. Quidam Hebræorum sentiunt, quod Moses seipsum sepelierit ita, vt, ingressus speluncam arctã, ibi spiritum exhalauerit: alij sentiunt, quod ipsum Deus sepelierit: sed per manum Angelorum, sicut habebatur in libris apocryphis: ex quibus Iudas Apostolus in sua Epistola locum citasse videtur: vbi scribit Michaelem Archangelum cum Diabolo certasse de corpore Mosis. qui nimirum illud in propatulo esse nolebat, ne Hebræi aliquando ad idolatriam prouocarentur, eum adorantes, quem propè diuinum cognouissent: Vel quia transmutatum fuit corpus eius in sortem spiritualem: Vnde huiusmodi corpus, ab oculis corporeis videri non potest: nisi pro libito eorum, qui ipso gaudent. Vel forte translatum est corpus suum in cœlũ: sicut corpus Henoch & Heliæ. Quod conueniens fuit: cum de Mose scriptum sit. Et non surrexit propheta vltra in Israel, si-

cut Moses: Alia ratione hoc egit Michael. nam, sicut Michael constitutus est princeps super animas suscipiendas; sic & Diabolus, qu in hoc Hazazel dicitur, super carnem & cadauera habet potestatem. hinc, sicut inter spiritum, & carnem indictum est bellum per petuũ: sic quoq; inter Michaelem, & Diabolum. In hominis igitur morte, communi lege, Michael animam sibi vendicat (vt supra patuit) Diabolus vero corpus: Hinc separata anima à corpore, vallans illud, velut inimicus, terrorem, & horrorem astantibus incutit. Cum itaq; Mosis corpus esset à Deo purificatum (vt gloria Dei reduceret in faciem, & carnem eius) & in sortem spiritualem, transmutatum fuisset; Michael, simul cum anima ipsum corpus sibi vendicans, noluit Diabolo illud cedere; vnde orta est altercatio; sed victoria penes ipsum Michaelem fuit. Alia ratio: Quærit. n. draco pręferre partem sensitiuam sibi domesticam & amicam. Vice verò versa Michael intendit præferre spiritũ, vt caro, & animalis homo in seruitutem redigatur. Quærit etiam Diabolus spiritum carni subijcere: vt vtrunque possideat. Ex aduerso autem Michael conatur corpus in naturam spiritualem siue spiritus transmutare: vt ipsum simul cum anima Deo tandem reddat. Et hæc fuit altercatio, à Mi-

chaele

chaele cum Diabolo de corpore Mosis facta : quam Thadeus refert. Sepultus ergo fuit Moses non in valle (vt habet communis editio) sed in gai גי, cuius verbi duæ sunt literæ: quarum altera. s. iod, decem reddit: altera vero. s. gimel ג tria reddit in numero. Vnde innuitur sepultum fuisse corpus eius in ter denario mensurarum pietatis, ac clementiæ Dei; quas deprompsit ipse Moses, quando existenti in petra illi Deus ostendit gloriam suam, vt omne bonum, quomodo videlicet, omnia bene, & magna cum misericordia faciat: quamuis iudicio humano sæpisimè contrarium videatur. Sepultum fuit illud corpus in eis pietatis mensuris: quibus transmutatum fuit in sortem spiritualem: quam videlicet, in resurrectione suscipere debemus. hinc scriptum est, quòd homo non cognouit sepulchrum eius vsque in hodiernum diem: quia fuit ita pius, vt Moses: ex quo assecutus fuerat tredecim illas clementiæ mensuras. Dicitur enim de illo, quod erat vir mitisimus super omnes. Et nullus alius potuit acquirere supradictas tredecim pietatis mensuras, vt ipse. nam ipse prouenit ad quadragesimam nonam portam intelligentiæ Binah: quod nemini alteri concessum fuit. Iosue autem denuò vna minus scilicet per octo, &

40. legem peruestigauit. post Mosis mortem absconditа sunt Iosue porta vna, & remanserunt quadraginta octo portæ. Et Salomon laborauit super illa porta, ad eam reducendam: Sed non erat potens. Ait Rabbi Akiba, & dicunt Cabalistæ, quod Salomonis sapientia fuit duobus gradibus inferior, quàm sapientia Mosis: ideo Deute. 34. scribitur. non surrexit propheta vltra in Israel, sicut Moses: nemo igitur potuit inuenire sepulchrum eius. i. nemo potuit pertingere vsq; ad quadragesimam nonam portam binah. Et hoc est quod dixit Deus ipsi Mosi. non videbis faciem meam, sed posteriora mea. Est enim multiplex facies Dei; totidemq; posteriora. Est enim facies essentiæ quam nudam (vt antiqui theologi asserunt) nemo uidere potest (iuxta illud Ioannis) Deum nemo vidit vnquam, etiam in patria: cum ipsa sit sua ratione infinita: ad quam finita virtus non potest attingere, posteriora autem ipsius sunt vestes, quas induit se Deus agens cum creatis. Et has videre possunt & vident creaturæ. Et tunc sic apprehenditur Deus: cum pro cuiusque captu proximè acceditur: vt si quis fimbriam vestimenti apprehendat, hominem indutum apprehendisse dicatur. At illud bonum quod Deus nominatur; non planè à nobis poterit ob nostræ con-

ditionis fragilitatem, nisi gradibus atque scalis ascendi: quæ quidem ad modum cathenæ se habent: sed secundum diuina eloquia ad speciem Iahacob scalæ desuper cœlestibus porriguntur in terram, tanquam vestis quædam, aut funis aut ea ad nos directa cœlitus, veluti linea visualis varias penetrans naturas. Deus igitur amictus vestimentis cognitus fuit à Mose: sicut dicit Rab Eliazer: qui cum istam proposuisset quæstionem, vnde creatum sit cœlum: Respondit, de lumine vestimenti sui sumpsit: nam Deus Mundum produxit amictus lumine sicut vestimento: vt esset lumen de lumine: ac inde cum vestimenti sui lumine creauit mundum intelligibilem spirituum separatorum & inuisibilium: quod Cabalistæ vocant cœlum: vsque hic ascendit Moses Dei seruus: vt cognosceret lumen vestimenti eius, & sabbatum sabbatorum, & iobileum superius, & millesimam generationem: quod totum nihil aliud est quàm mundus superior idearum, Angelorum, & fœlicium animarum. Igitur cum indumentum Dei transcendere, ac faciem eius videre nequiuerit, rectè dicetur ex quinquaginta portis intelligentiæ vna caruisse: quam aliqui Cabalistarum putant, viuificationem: Alij putant & verius, Dei essen-

tiam, quam ſymbolum iudicat Tetrag. יהוה, & eſt mundus incomparabilis nulla compręhenſibilis proportione. ideo dixit illi Deus. Faciem meam videre non poteris. ſeu verius ſic. Et facies meæ non videbuntur: ſed vocabo nomen Tetrag. coram te. Quod explanant Cabaliſtæ. Vocabo coram te nomen illud magnum, quod videre non poteris. Quia ſi ſic, eſſes alter Deus. Hoc nempè Meſſiæ reſeruatum eſt. Ideo concluſio dicit, quod (exaltatus eſt iubileo) id eſt, in binah, quæ quinquaginta habet portas, & gradus, ad modum annorum quinquaginta iobilei. Et ibi (miſit radices ſuas) id eſt, ibi quieuit: non enim potuit ingredi chochmah: nam quinquageſima illi ianua binah fuit denegata: fuiſſet enim alter Deus ad modum Meſsiæ.

Cum anima compræhenderit, quicquid poterit compræhendere: & coniungetur animæ superiori: expoliabit indumentum terrenum à ſe: & extirpabitur de loco ſuo: & coniungetur cum diuinitate.

F. A. Omnia ſunt vnum ſecundum Platonem, in ſophiſta, & in Parmenide. In ſophiſta enim intelligit vnum in ſpecie, quæ eſt ſola intelligibilis: & de qua ſola eſt intelligentia & ſcientia: vt Ariſto. ſentit. Quo ſenſu, fortè ipſe dixit. Qui vnum non intelli-

telligit, eo modo quo Porphyrius declarat, dicens. participatione ſpeciei, plures homines ſunt vnus homo. Et hoc antea Moſes innuerat. qui mentionem faciens de animalium ſpecie, ſemper eam vocat numero ſingulari, dicens. Fecit Deus beſtiam, feram, auem, & huiuſmodi. per vnum autem, in Parmenide intelligit eſſe diuinum, in quo omnia radicata ſunt, tanquam rami in trunco, vel radice. Vnde quamuis cætera omnia, in ſe ipſis ſint diuiſa: habent tamen eſſe vnicum in ipſo primo, ſicut radij ſolares habent vnum eſſe in ſua radice, quæ eſt Sol, riuuli in fonte, & variæ virtutes in anima. Hinc omnes creaturæ habent eſſe, non à ſe, ſed à Deo, omnium riuulorum fonte, omnium radiorum principio, omnium viuentium vita. Et quamuis Ariſtoteles dicat, quod anima hominis eſt principium intelligendi, ſentiendi, & ſecundum locum mouendi: cui Ariſtoxenus ex officina Platonis depromens adſtipulatur, dum ait. Anima eſt numerus ſeipſum mouens. Cum igitur anima habeat à ſe principium motus: videtur quoque habere principium eſſendi & vitæ: vt videlicet non indigeat alterius ſuffragio, vt viuat. Malè ſentit Ariſto. nam Paulus noſter, laudat dictum Arati, dicentis. Deus eſt, in quo viuimus,

mouemur, & ſumus. Vel forte Ariſto. intendit excludere omnem ſecundam cauſam, non autem primam: in virtute cuius omnis ſecunda agit: vt Proclus docet. Vel fortaſſis Ariſtote. non vidit aut admittere noluit illud vnum ſupradictum in Parmenide celebratum. Omnes igitur animæ, à principio ſimul creatæ fuerunt: & ſi non diſtinctę, & ſingularizatæ: tamen creatæ ſimul dicuntur fuiſſe: quia maſſa vna, ex qua omnes decerpuntur, & ſingularizantur, à principio creata eſt, hoc eſt æternaliter ideatæ (ſecundum modum Cabaliſtarum). Diſtinguntur tamen per materiam, ſeu per corpora. radicaliter tamen, & originaliter omnes vna ſunt, licet maſſa ideali. Ante diluuium diu viuebant patres, vt in Geneſi legimus: & hoc ex cibis, quos terra tunc temporis producebat: vt vulgus aſſerit. Terra tamen maledicta fuit ab Adam vſq; ad Noe: ſub quo ſublata eſt talis maledictio (vt in Geneſi legitur) meliores fuerunt terræ fructus poſt diluuium, quàm antea fuerint. nam poſt diluuium ſuſcepit Deus, quinimo frugum terræ primitias & munera exquiſiuit, quæ antea ſpreuerat, ſicut de Chain oblatis patet: nemſpe ante diluuium fructus oblatos non legimus. Ex decreto igitur Dei, humanæ vitæ ſpatium erat ſeculum mille annorum:

Quem

Quem terminum tamen nullus attigit: cum multi defectus homini occurrant: propter quos communiter vitæ perhiodus abbreuiatur. Et Deus hominis vitam succidit: ipsam ad terminum centum viginti annorum reducens. Et in textu ratio assignatur, dum dicitur. non innaginabitur spiritus meus in homine לעלם leholam, id est, in seculum. Quod ad plus est spatium mille annorum. pro quo communis æditio habet in æternum. Et subinfertur causa, dum dicitur. Quia caro est. sed sufficiens non videtur hæc ratio. Vult igitur inferre Deus (vt dicunt quidam) quod homo, quia carne circundatus, fragilis est. Vnde quanto diutius viueret, tanto magis peccatis premeretur. Sed quia de bonis idem dici posset: quòd videlicet tantò pluribus meritis ditarentur: alio igitur mysterio Deus vitam abbreuiauit. Cum quicquid faciat, absque dubio, in nostrum operatur beneficium, & si non manifestum, tamen occultum; Et hoc est inter eius arcana reconditum. Cabalistę tamen aliqui dicunt, quòd quando in corpora animę infunduntur, meritum eis statuitur, quod acquirere habent. & tempus illud acquirendi determinatur, iuxta illud Iob. constituisti eis terminos (.s. merendi) qui præteriri non poterunt. Quod, si quis in minori

nori

nori tempore merita sibi præfixa acquisierint, ita quod præueniant tempus illud pręfixum: tunc tales præueniuntur morte: & non dimidiant quandoque dies suos: & hoc est, quod dicit Eccle. consumatus in breui (scilicet explendo mandatum de merito acquirendo) expleuit tempora multa, ad illud scilicet meritum acquirendum. patet de sancto Ludouico, de quo canit Ecclesia illud prophetæ. consumatus in breui, expleuit tempora multa. & de sancto Francisco, & de quampluribus alijs: qui præuenientes tempus acquirendi meritum, à Deo sibi mandatum, à morte in iuuentute præuenti sunt. Aliquibus igitur datur vita longa: aliquibus verò longior, aliquibus longissima, quia Saturnij, aut Iouiales sunt. quia etiam sic decernit suum Hilec, & Alcocodem: vt Astronomi dicunt: etiam quia sic diffinitum est ab illo, in cuius potestate, sunt omnia tempora vel momenta: vt Christus perhibet. Etiam aliquando vitæ spatium prolongatur aliquibus, vt pœnitentiam agerent. Sed heu infelices illi, qui (vt propheta canit) tempore faciendi, dissipauerunt legem Domini. Alijs datur vita breuis: alijs autem breuissima. Quia (vt dixi) eum sortiti sunt influxum: vt vitam in longum protrahere nequeant: cuiusmodi sunt Mercuriales puri:

quorum

quorum vitæ ſpatium ; Aſtronomi decernunt triginta annorum ad plus . Etiam quia ille, qui omnia diſponit, ſicut ante diluuium ſtatuerat pro ſpatio vitæ mille annos , & poſt diluuium centum & viginti (vt dixi) ſic vitæ vniuſcuiusque proprium ſpatium decreuit . nec poſſunt grauari , qui breuiorem vitam ſortiti ſunt . non enim fœliciores ſunt longam vitam ducentes : cum maiori ſpatio ſtent detrus in corpore mortis huius . Hinc optabat Apoſtolus ab hoc corpore diſſolui, & eſſe cum Chriſto . nam mori lucrum eſſe dicebat ſibi . Ideò ſapiens , ſapientiæ . 4. dicebat de ſublato tempeſtiuè . conſumatus in breui , &c. non enim Deus numerat opera , ſed ponderat : nec tantum opera ipſa, ſed voluntatem, & affectum facientis . Quod docemur exemplo pauperculæ duo minuta in Gazophilacium mittentis : de qua dixit Chriſtus . Hæc vidua paupercula , pluſquam omnes miſit : qui ſcilicet mittebant munera magna. Dicit igitur concluſio (cum anima compræhenderit quicquid poterit compræhendere) id eſt, acquiſierit meritum aſsignatum (coniungetur animæ ſuperiori) id eſt , illi maſſæ iam dictæ , ſcilicet ideæ : quamuis nunquam ab ea omnino fuerit ſeparata : ſed in corpus dimiſſa , ad expurgandam peccati rubiginem . In huius rei conſonantiam dicit Plato

in P he

in phedro. nisi anima hominis cognouisset, quæ vera sunt, in corpus hoc non venisset: quia opinabatur quòd animæ redirent in corpus, & quòd eis daretur electio & optio, in quod corpus intrare & ingredi mallent: & vt eum statum sibi vendicarent, quem aptiorem potioremque, suo expiatione, & earum profectu iudicarent. Hinc concludi potest Platonis opinionem & sententiam nunquam fuisse, quòd anima intraret in corpus animalium brutorum. (vt nonnulli asserunt ac sentiunt). cum inde nec expiationem, nec profectum reportare posset. Et hæc iuxta Platonis mentem dicta sint. Elegit igitur anima in sua creatione corpus, vt in corpore ipso purgaretur, tanquam in vase fusorio, & exercitaretur in bello inter ipsam & carnem indicto: vt inde gloriam, & meliorem sortem reportaret. In corpore etiam locata & posita fuit, vt tanquam aurum in fornace, probaretur. Et vt omnigenos rerum gradus contineret. Etiam edicto diuino corpus assumit: sed vt hoc vel illud assumat, ipsi datur electio: vt ipse Plato opinatus est. Catholicè & Christianè loquendo est dicendum, quòd anima ipsa locatur à prima causa in corpore sibi aduersante: & contrariante, vt bellans & vincens,

cens, conſequatur coronam & adipiſcatur gloriam, quæ non datur, niſi legitimè pugnantibus, & certantibus, vt ei detur conſeſſus in throno DEI; vt noſtrum caput Chriſtus perhibet, dicens. Qui vicerit, faciam illum ſedere in throno meo, ſicut & ego vici, & ſedeo in throno patris mei. Et tanta purificatione opus eſt animæ, vt debitum finem ſortiri queat, vt reſtituta ſit priſtinæ munditiæ, cum qua in corpus ingreſſa eſt. Et per corpus venit ad talem munditiam. Et quamuis dicat ſapiens. corpus, quod corrumpitur, coinquinat, vel (vt in litera habetur) aggrauat animam. Quamuis enim veſtimentum videatur inquinari, quando ſaporis acrimonia linitur: nihilominus aqua accedente, quod videbatur inquinare, expurgat. pari modo, & ſi anima videatur à corpore fœdari: interueniente tamen aqua ſapientiæ & gratiæ diuinæ, melius expurgatur anima, quàm ſi defuiſſet huiuſmodi corporis coinquinatio. Quod quidem corpus anima debellans ſit Domina omnium rerum corporearum. Cum omnium corporeorum virtus in humano corpore reperiatur. Sicut omnium ſpirituum vires in anima rationali reperiuntur. Hinc Homo merito paruus mundus dicitur. Cum omnia, quæ in

Mundo

Mundo ſunt; contineat. Iuxta illud ſapientis. Dedit illi virtutem continendi omnia, Quo igitur & purgare relinquit hoc materiale corpus, & ſurſum aſcendit vnà cum ſpirituali corpore, quod quinta dicitur eſſentia. in quo tota materialis corporis virtus, & perfectio conſiſtit; ſicut patet de grano ſeminato, cuius pars materialis, & imperfecta corrumpitur, & in terram reuertitur: altera pars materialis depurata remanet, & plantam conſtituit. Sic in noſtro fit materiali corpore, quod aliam inducit formam. Et hoc eſt, quod Paulus dicit. Cum autem mortale hoc induerit incorruptionem, tunc (ſupple) ſurſum aſcendet ad vniendum ſe cum Deo, fitque vnum cum Deo, ſicut Chriſtus ait in Ioanne ſcilicet, Rogo pater, vt, ſicut ego, & tu vnum ſumus, ita & iſti vnum ſint in te. Et hoc eſt quod dicit concluſio, quod ſcilicet cuniungetur cum Diuinitate. Sequitur (expoliabit indumentum terrenum) id eſt materialem partem corporis impuram, (extirpabitur de loco ſuo) id eſt, pars perfectior corporis ſeparabitur ab impura, vt dixi, ſequendo Pauli doctrinam. (cum autem mortale hoc &c.) Et tunc iucundatur & exultat anima, quia Deus eſt obiectum ei conueniens, & in quod ordinata eſt, iuxta illud Auguſtini, Feciſti Domine cor meum

ad te,

ad te, & inquietum est, donec quiescat in te. Etiam per consonantem amicitiam, quæ est inter Deum & hominem, qui eius gerit imaginem. Id enim omnium amicorum commune est, quorum consuetudo adeò delectabilis est, sicut è conuerso homo sola præsentia inimici tristatur. sicut ouis ad lupi præsentiam. Et etiam quia Deus est mentis obiectum super omnia proportionatum: eo videlicet modo, quo vnicuique communicat, vt potentia & virtus, ipsum capere posset.

Sapientes Israel, post cessationem prophetiæ per spiritum, prophetarunt per filiam vocis.

F. A. Prophetarum visiones, sunt magis certę, quàm rationes naturales. quia naturales habent sua principia ex visis & sensatis comprobata, non enim cognoscuntur eorum principia. Visio verò certior est maximè prophetarum, qui obiectum intuebantur minimè fallax. In supremo itaque gradu celsitudinis est prophetarum visio, in infimo verò deductio ratiocinatiua ex sensatis. Medius autem gradus est correspondentia lucis reuelatę ad intellectum bene initiatum. Hinc ritè Eusebius de Euangelica pręparatione, Vates philosophis pręfert, dicens. Quando philosophos inter se, aut cum alijs comparo, non facile negauerim ipsos claros fuisse viros. Quando vero ipsos Hebręorum Theologis,

qui vide-

qui videlicet à vatibus habuerunt, comparo, & doctrinam doctrinæ confero, caduca & friuola omnia. quæ philoſophi excogitarunt, mihi videntur. nec mirum, illa enim diuinitus ædita ſunt: hæc humanitus. Vnde veritatis comprobatio, non habetur ex ſenſibus corporeis, vt placet peripateticis. nam ſenſus interiores corporeis præferuntur, & melius diſcernunt. Vnde Apoſtolus, Spiritualis homo omnia iudicat. Sed hinc error, quia non cognoſcuntur ſenſus ſpirituales, maximè viſiuus, De quo Plotinus. Quem oculum habent quidem omnes, vtuntur verò per pauci, Illi videlicet, qui habent intellectum adeptum (vt peripatetici dicunt) aut qui adepti ſunt mentem (vt Triſmegiſto placet) aut qui transformatur in eandem imaginem, Dei videlicet, & cum ipſo vniuntur: vt Paulus & Plotinus conſentiunt. Hoc modo fuerunt prophetæ. Et tunc moriebantur, videntes illa ſacramenta: nam ad vnius vitam, alterius ſequitur mors. Et talis mors, dicitur precioſa in conſpectu Domini, quia Deo grata. Eſt enim tunc homo ſemibeatus, quando ad mentem venit, vnito eius intellectu cum diuino, adeò vt videns & viſum unum fiant, ſi Plotinus rectè ſentit, ubi de vno & fœlicitate agit. Sed cum mors illa, idem cenſeatur, quod
raptus

raptus ſit terminus motus violenti, videtur quod in violento non poſsit eſſe fœlicitas. Dicendum, quod hoc non eſt violentum contra naturam: quemadmodum ſi lapis aſcenderet, ſed vltra naturam, vt ſi ignis impulſus aſcenderet, nondum à titione ſolutus. Vadit enim ad locum proprium, ſed ante tempus. Sic mens rapta in Deum, ad ſuum vadit locum, ſed ante tempus, quia quandiu ſumus in hoc corpore (vt ait Apoſtolus) à Domino peregrinamur. Ideò magno habendi ſunt honore Prophetę. nam hi ſunt tanquam Dij latentes in corpore humano. De quibus Propheta canit. Dij fortes terræ vehementer eleuati ſunt. Et plus, minuſve honorandi ſunt, pro ſpiritus gradu & prophetiæ, quo repleti ſunt. Ipſi autem Dei participes effecti cauere debent ab omni maculante ſorde & errore: ne ſi prolapſi fuerint, ſentiant (ſecundum Apoſtolum) impoſsibilitatem releuationis, abſcondereque debent (vt docet propheta) in corde eloquia Dei, ne peccent propalando, niſi vbi & quando opus fuerit. ideò ipſi ſtuduerunt loqui ænigmaticè: occultantes, quæ dixerunt, ne arcana indignis publicarentur. Etiam quia Diuina ea ſunt, quæ verbis humanis explicari nequeunt: nec vocabula habemus, quibus ipſa

explicare poſsimus. Quo ſenſu dixit Paulus, quòd arcana Dei non licet homini loqui. Etiam per ænigmata loquentes demonſtrarent harmonicum concentum: qui eſt inter viſibilia, per quæ loquuntur, & diuina, de quibus loqui intendebant. Vnde non pro libito, ſed cum magna periria concordiæ rerum inferiorum cum ſublimibus oracula interpretanda ſunt. nam veri vates procedere debent; non quidem humana cogitatione, ſed expurgata mente, & mundo corde expectare debent, quæ Deus ſuggerit. nam (vt inquit Baruch) non eſt qui poſsit ſcire viam Dei, neq; qui excogitet ſemitas eius, ſed qui ſcit vniuerſa, nouit eam. cui Petrus adſtipulatur, dicens. non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia, ſed ſpiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines. Conſentit etiam Eſaias dum ait. Annuntiate, quæ ventura ſunt: & dicemus: quia Dij eſtis. nec diſcrepat Ptolomeus, qui ait. Soli numine afflati prædicunt particularia. prophetarum, n. monumenta dicuntur viſiones: nam videbant viſione intuitiua in ſpeculis æternis, rerum veritates referentibus. quæ quidem ſpecula videri ſolent ab ijs: qui ad tertium rapiuntur cœlum: vbi vbera illa degunt excelſa, quæ ſapientiæ lac præbent: & dicuntur nezach, & hod. à qui-

bus

bus vberibus omnes lactarunt prophetæ, & lactant quotquot in voluptatis hortũ binah intrant. Hinc ſcriptum eſt, Veni in hortum meũ, & dabo tibi vbera mea. quibus vberibus multiplex prophetiæ gradus hauritur. primus gradus eſt ſomnium: quod à Moſe, & Iob tardemah תרדמה vocatur: pro quo noſtra traductio habet, ſoporem: tardemah enim eſt medium inter ſomnum, & vigiliam: ſic enim admonitus fuit Ioſeph ab Angelo, vt iret in Aegyptum, & rediret. Iacob etiam ſcalam vidit: & Ioſeph alius ſomnium, quod fratribus narrauit. Et hoc modo Deus agit cum non bene initiatis. Somnium autem bonum comprobamus, quando ſequitur effectus quem expectauit Iahacob in veri ſomnij ſui comprobatione: vt in Geneſi dicitur. Quemadmodum etiam in Deuteronomio à Deo docemur, ſomniũ autem fallax ab hoſte imprimitur antiquo, vt decipiat. Alia verò ſomnia, quę veniunt, aut ex forti imaginatione, aut ex mera illuſione, aut ex crapula, aut ex vi ſantaſtica ludente, ſpernenda ſunt. ſicut cato. Secundus gradus eſt viſio in ſpiritu, quando ſcilicet ſopitis ſenſibus exterioribus homo vacat Soli Deo: à quo ſpiritus eius illuminatur, & edocetur. & tunc habet homo ille ſpiritum cum Diuino coniunctum, à quo docetur. quod

ſit, quando (vt Paulus docet) gladius, aut Diuini verbi virtus, animam ſeparauerit animalem à ſpiritu: adeo, vt nihil niſi Deum concupiſcat, iram abſtulerit, aut deteriori reliquerit: ſolidatusque perfecta charitate nihil timeat, & cæteras fecerit purgationes: quod docet Plotinus. Tunc enim coniunctum habet homo ſpiritum cum diuino, à quo docetur. Iuxta illud. Qui adhæret Deo, vnus ſpiritus efficitur cum eo. Et tunc dicitur repletus ſpiritu ſancto: & loquitur in ſpiritu. Tertius gradus eſt viſio imaginaria. Quę etiam dicitur filia vocis: & eſt viſio per imagines. Qualis fuit illa Zachariæ, & Ioannis, & huiuſmodi: qui viderunt animalia, ædes Templi, aut ciuitatis, & his ſimilia. Sub quibus imaginibus vel imaginationibus latent ſacramenta inde diſcutienda: quod eſt facile per mediũ Cabalæ. Quod oraculum, Echo, aut filia vocis dicitur: quia ſicut Echo eſt vocis reuerberatio prolatę ab homine: ſic imagines iſtę ſunt quędam reuerberationes ex creaturis à Deo productis, veluti verbum ab homine prolatum: iuxta illud. ipſe dixit, & facta ſunt. Idq; etiã, cum quis ſcit intelligere inuiſibilia Dei per eas, quæ factę ſunt, creaturas, cũ quęlibet creatura aliquam gerat imaginem, vel ſaltem opificis veſtigium. Quartus gradus dicitur in-
tuitiua

tuitiua visio, in speculo non creato, sed in opificis speculo: in quo cuncta resplendent. Cuius intuitum Augustinus vocat visionem matutinam. Hebræi verò bespecalariot. i. in speculis: quia vident nezach, & hod: quæ sunt duo specula: vel sunt Tipheret Sol, & Malchut Luna. In lumine Tipheret Solis Moses dedit legẽ. qui locus ab Isaia dicitur Sion, vbi ait. De Sion exibit lex: licet quoad locum materialẽ, data sit in monte Sina. Quintus gradus est vocis plenę: estq;, qñ Deus loquitur alicui voce dearticulata: tuncq; vox semper geminatur. & sic locutus est Abrahæ, dicens Abrahã, Abraham: sic ẽt Mosi, Samueli, & Paulo. Geminatur aũt vox cũ mysterio, vt iudicaretur gradus, ad quẽ assumitur, & in quo carus erat. Sic. n. vocauit Mosen in Sina: & ex pastore fecit ipsum Regem, ac ducem populi sui. Samuelem, ex ministro, fecit eum sacerdotem summum. pari modo Paulum: ex persecutore, fecit ipsum Apostolum. ideò ad altiorem gradum deducere volens Abraham, vocem geminauit. Et hic gradus oraculorũ à sapientibus censetur supra prophetiã. Hinc de Ioanne, qui dixit se esse vocẽ, Christus perhibuit, quod erat plusquã propheta. Sextus gradus dicitur, visio faciei ad faciẽ. de qua Apostolus. Tunc videbimus eum à facie ad faciẽ, sicuti est. Et hanc Dauid petebat vi-

dere, dicens. Ostende faciem tuam, & salui erimus. Ad hanc peruenit Moses :-os.n.ad os loquor ei: vt patet in numeris. nec mirum. cum Angelum haberet sibi à Deo assignatũ: qui (vt secretiores theologi docent) dicitur מטטרון שר הפנים Mittatron sar hapanim. id est, princeps facierum. illius.n.cura est introducendi ad faciem Dei eos, quos ipse Deus iubet. Septimus gradus, est visio imaginaria, quæ etiam dicitur oraculum per speculum in enigmate. Hoc est enim quasi uisio imaginaria. de qua supra. Vnde aliqui non distingunt hunc prophetiæ gradum ab illo: si verò distinguatur. Sicut quando alicui datur lumen tale, vt sciat (secundũ Apostolum) intelligere inuisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, creaturas. Cum quælibet creatura, imaginem gerat aliquam, vel saltem opificis vestigium, non tantũ in essendo, aut actibus primis (vt aiunt) sed etiam in operando. Cuiusmodi fuit illud Eliæ, quando cognouit Dominum. non in spiritu conterente petras, nec in commotione, nec in igne, sed in sibilo auræ tenuis: aut quando in septimo aspectu vidit puer eius nubeculam ascendentem è mari. Vnde Achab pluuiam denuntiauit. Octauus gradus dicitur Echo, siue filia vocis, à superiori distinctus, causata à creaturis, ex eorum

rum imaginibus. Et est cognitio, quæ vocatur Geomantia, Hydromantia, Aerimantia, Pyromantia, & Cyromantia; Nomantia, sanè Hydromantia in extis animalium consistit abluendis, inspiciendisque fibrijs. Et Pyromantia in figura ignis quo consumitur holocaustum, proculdubio idolatriæ speciem non excludunt. In Geomantia verò nihil tale inuenitur, sed confidit in Saturno & Domino horæ: qui ei pro radice ponuntur. gaudentque numeri ratione fulciri: & multi sunt qui ei testimonium perhibent. non sic autem de Ærimantia: friuola est: licet de ratione numeri iactare præsumat. De Cyromantia verò non vult determinationem facere præcipitem Albertus magnus: quia (vt ipse ait) fortè pars est physionomiæ, quæ collecta videtur ex significationibus magisterij astrorum super corpus & super animam, dum mores animi cernuntur exteriori figura corporis, non quia sit vnum causa alterius: sed quia ambo inueniuntur ab eodem causata. Iudæi ergo nostri temporis postquam supradictos modos prophetandi amiserunt, per spiritum sanctum, & reuelationem diuinam, ventura prænuntiant per artes supradictas, humanitus acquisitas, sed sequentes veram Cabalam, multa secreta Di-

uina in lege contextu percipiunt. Quod confirmans Paulus, ait. Inuisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Et hæc cognitio dicitur filia vocis. nam, sicut vox quæ dicitur Echo, causatur à voce: ita ista cognitio Cabalæ causatur à lege scripta. Similiter sequentes artes supradictas, eorũ cognitio causatur ab imagine seu ab linia mentis corporis, &c. Vnde restat videre propter quã causam fiunt somnia: & qui sit eorum & finis. & cui parti animæ conuenit somnium. & quàm difficile sit aliquid tradere de diuinatione. De distinctione visionis & prophetiæ & somnii. De causis somniorum. De somnijs diuinationem habentibus. Quæ omnia super Apocalypsim exaraui, secundum opinionem Aristotelis, Platonis, Socratis, Auicenæ, Auerois, Alpharabij, Isahac, secretiorum theologorum, ac recentiorum: quarẹ vide ibi.

Non ponitur Rex terræ in terra, quin prius humilietur militia cœlestis in cœlo.

F. A. Angelos custodes nos habere certissimum est: custodierunt enim Angeli Abraham, Isahac, Iacob, & Ioseph. pręsunt etiam irrationabilibus, à fortiori rationabilibus. immo multi eorum familiares fuerunt pluribus hominibus. nosq; instruunt, regunt, & impellunt, & semper nobis fauent, inter se dis-

ſe diſsidentes, vt nos tueantur. Eſt nempè liuor & æmulatio aliqua inter beatos, & inter Angelos. Vnde ex Euangelio habemus, quod filius patri ſemper obediens inuidit, & contriſtatus eſt de ijs quæ pater clementiæ impenderat filio, è regione longinqua reuertenti. ſunt etiam altercationes in cœlo, dicente Moſe, quòd manus eſt ſuper ſedem Iah יה, id eſt, Dei, pugnans pro Domino contra Amalech à generatione in generatione, cui ea adſtipulantur, quę theologi ſecretiores docent, quòd videlicet nec bellum, nec pax, nec quippiam aliud in terris fit: quin prius fiat in cœlis & determinetur. Hinc Gabriel Danieli dixit. princeps regni Perſarum, id eſt, intelligentia Perſis præſidens, obſtitit mihi, viginti & vno diebus. Sunt enim illa bella per rationis diſcurſum, cui vnuſquiſque beatorum ſtatim cedit, vel tempus expectat diuina ratione decretum (vt de Gabriele modo dictum eſt) non ſunt ibi altercationes, quæ hoſpites abducant à pace. Alioquin regnum illud non diceretur, nec eſſet regnũ pacis & quietis. pari modo & de fratre contriſtato: licet figuret filiũ in patria exiſtentem, & de conquerentibus, quod nouiſsimi in vineã Domini conducti remunerentur eadẽ mercede, qua ipſi, qui portarũt pódus diei & ęſtus: dicen-

dicendum est. Ita ꝙ, si duo homines inter se prçlientur in duello, alter alterum minimè potest superare, nisi prius alter Angelus, alterum superarit Angelum custodem inimici sui: patet de lucta Iahacob cum Angelo Esau vnde duplicem habemus præcipuum hostem: humanum videlicet & Diabolicum: ideo duplici norma nobis decertandum est. Opinio autem priscorum Theologorum constantissima est: quod hostis humanus debellari nequeat: nisi debellato prius tutore ipsius. Quod clarissimè habemus in causa Iahacob: qui bellum acerrimum cum Esau fratre habebat. Vnde scriptura dicit quod veniens ipse Iahacob de Mesopotamia, congressurus cum Esau fratre: primo luctatus est cum ipsius intelligentia, quç erat Samael: vt asserunt sapientes Cabalistæ. Contra quam intelligentiam: quamuis tactus in femore: cum præualuisset Iahacob: Dixit ipse Samael. Si contra Angelum fortis fuisti: prçualebis etiam contra hominem. si verò hostis sit Diabolus: contra eum prçualere nequimus, nisi in virtute illius, de quo Apostolus inquit. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam, per Iesum Christum Dominum nostrum. Hinc Apostolus in huiusmodi conflictu peritissimus docet nos: vt contra principatus & potestates tenebrarum scutum fidei sumamus, in

Christo

Christo Iesu videlicet, & gladium spiritualem verbi Dei. Quod verbum est illud: in quo facta sunt omnia: & quod postea carne circundatum: debellatis hostibus reparauit omnia. Quod apertissimè ait. sine me nihil potestis facere. nam in ipsa omnis plenitudo conclusa est, vt Paulus ait. Ad propositũ, non luctatus est Iahacob cum Deo, & ipsum superarit: nam hoc asserere ridiculum esset. Et in hunc errorem prolapsi sunt, qui non aduertunt, quod nomen Elohim tam Angelos, quam Deum significat, vt hic interpretari necesse est. Sed fuit Angelus Esau custos: qui, dolens de primogenitura, & benedictione ab ipso Esau sublata, procurabat eas eripere à Iahacob, vt, Esau sibi credito redderet. Et hoc fuit certamẽ eorum: verum, cum huiusmodi primogenitura, & benedictio ad ipsum Iahacob iure deuenissent: in certamine triumphauit Iahacob. Et hinc ab eo benedictionem petijt, ne videlicet, illas, iam sibi æquo iure concessas, amplius eripere satageret. pugnauit etiam Iahacob cum Angelo illo virtute intellectiua. non quippè ipse Iahacob cum Angelo materialibus armis pugnauit (vt dixi) sed mente intellectu atque voluntate (vt dixi) dum Deo firmiter adhæreret, vlli suggestioni, aut oblationi præferre partem animalem in Esau figu-

ſau figuratum Deo inuiſo, & à nobis odio habendo. Et ſi pugna ſpiritualis fuit: ſcriptura tamen remanet vera, quæ dicit, quòd plagatus fuerit femur Iahacob, carneum videlicet: vnde claudicabat. plagatus quippè fuit in femore, principio videlicet genituræ: non autem in manibus, quibus operabatur: aut in pedibus affectuum: vt indicaretur, quòd plagam ipſe Iahacob à Samaele non ſuſcepit, vt male operaretur: ſuſceperunt autem illi: qui è femore eius egreſsi ſunt, Filij Iſrael videlicet: qui pluries claudicauerunt à ſemitis ſuis: vt canit Dauid. Fortis igitur fuit Iahacob contra Angelum Eſau: quo ſuperato, proculdubio præualere debebat contra illum: quem ipſe Angelus tuebatur, iuxta regulam, ab antiquis theologis datam: quæ hinc inde ex ſcriptura elicitur: quod nemo ſuperari poteſt, niſi prius deuicta, & amota ipſius intelligentia. Hinc Ezech. habetur, quòd Deus, volens deſtruere Tyrum, vrbem opulentiſsimam, primo Angelum eius cuſtodem amouit, potentiam ab illo mouendo: ideò Deus alloquens ciuitatem, dixit Cherub inde traham à te: & ponam te de ſede. Si enim Deus primo Cherub non amouiſſet ab ea, ipſe iudicio Dei obſiſtere conatus fuiſſet: propterea Moſes colliſit Am-

lisit Ammomino, intelligentiam Ægypti, antequam Ægyptios prosterneret. Et Dauid, antequam Goliam deuinceret, amouit ab eo custodem ipsius, virtute Diuini nominis: propterea dixit: Ego venio ad te in nomine Domini. Sic Christus volens subiugare mundum, prius foras eius principem eiecit. Dicit ergo conclusio (non ponitur Rex terræ) id est victor non euadit (quin prius humilietur) id est, superetur, (militia in cœlo) id est, Angelus custos. Hinc ab Angelis custodientibus Babylonem: vel quancunque ciuitatem, vel mentem confusam, in Ieremia dicitur. Curauimus Babylonem, & non est sanata: derelinquamus eam. Et de Bozra & Edom, dicitur. Omnis militia eorum defluet: sicut defluit folium de ficu, & de vinea: quia inebriatus est in cœlo gladius meus. Defluent autem huiusmodi custodes: aut quia amouebuntur à custodia: aut quia punientur, de mala custodia habita, vt quibusdam placet.

Per dictionem & את, quæ bis ponitur in illo textu. in principio creauit Deus cœlum & terram, ego credo significari a Mose creationem naturæ intellectualis, & naturæ animalis, quæ naturali ordine præcessit creationem cœli & terræ.

F. A. Duo Mundi à Cabaliſtis ſunt recepti, corporeus & incorporeus, viſibilis & inuiſibilis, ſenſibilis & mortalis, materialis & idealis. Inferior Mundus, & ſuperior: cum legunt. In principio creauit Deus cœlum & terram. & ita ſymbolicè cœlum ſumma: terram infima deſignare putant. Hoc modo interpretantes, Initio creauit Deus ſumma & infima, quo arbitrantur ſimplicem & immaterialem Mundum ſumma continere: compactum verò & commentarium hunc, infima, vnde & legem diuinam Bereſith promulgatam de creatione cœpiſſe ab ipſa litera Beth ב, quæ in arte Arithmetica inter numeros duo ſignificat. perinde atque ſic notari inſinuaret, duo principaliter creauit Deus, totum Mundum ſupremum cum omnibus in eo degentibus, & totum Mundum infimum, omniaque ad illum pertinentia. nam ſin alter, fuiſſet ſatis Moſen ita ſcripſiſſe. Reſit bara Elohim ſamaim vearez. id eſt, Initio creauit Deus cœlum & terram. potuit enim ſummarium illud creationis non incipere à Beth ב litera, quæ ſignificat, in, & abſque vlla præpoſitione ponitur principij dictio. cæterum præter conſuetudinem duobus iſtis creatis adiunxit, duos articulos, id eſt, bis Et את & ſunt ſigna omnimodæ comprehenſionis, quod Et את coſtituitur ex aleph

ex aleph א primo elemento alphabeti, & thau ת, & eſt id quod Græci aiunt Alpha α & omega ω, & Latini prora & puppis: vbi viſum eſt per cœlum, omnia excellenter ſimplicia ſpiritualia complecti, ab aleph ad thau, id eſt, à primo ad vltimum, & per terram ſimiliter, à capite ad calcem, omnia excellenter corporalia, & ijs contenta, nihilo tamen minus ſingula in ipſo vno principio tanquam vnicum creatum. Sicut Ezechielis rota in rota, cum ſuis quibuſcunque inuolutis viſa eſt vna eſſe ſimilitudo gloriæ Domini, vt ipſius Rabbi Saadiæ in libro Amunot, id eſt, credulitatum, ait. Sicut vitellus in medio oui, ſeu inſtar alboris oui vnius, teſtaceo firmamento contenti, inglomerantis vitellum ipſum: Ita primus Mundus ille intelligibilis, implicat ſecundum, vt tota virtus eius inde gubernetur, quo fit vt conſtringantur vtrique vinculis concordiæ, adeò vt ſæpe tam ſuas, quàm comprehenſorum naturas, & appellationes mutua ſibi libertate condonent. In ſecundo nanque, hoc eſt, ſenſibili mundo ſphæræ nouem mouentur ab Empyreo immobili, cui Mettraton aſsiduo præeſt, at in primo nouem Angelorum chori mouentur ab immobili Deo. Sicut etiam in immobili ſilentio cunctorum creator primo

ſimul

ſimul omnia creauit, poſtea nouenario ſermone (id eſt nouies fiat) ad proprias diſtinctiones ſingula quæque loquendo commouit. Statuunt quoque duos paradiſos, alterum cœleſtem, & alterum terreſtrem (quæ ſignificantur per duo illa. Et את) in quibus præmia virtutum conſequantur vtrique, tam homo terrenus quàm homo cœleſtis, vt in huius orbis terra quandiu in corpore fuerit hoſpitatus, tanquam in aliquo corruptibili horto voluptatis, gloriam & honorem, gaudium & lætitiam, omneque deſyderium dilectionis ſuæ ab alicuius heroicæ ac præeminentiæ, & à filijs huius ſæculi laudatæ virtutis cauſam lucretur, quæ tamen vmbræ ſunt & res caducæ fumo ſimiles. In cœleſti verò terra viuentium ſupercœleſti vbi exta amænitatis æternæ immarceſsibilis paradiſus, animę hominis in vita mortali olim ſecundum virtutem rectè operari, nunc exutę, clementiſsimus ille maximus & optimus Deus oſtendit omne bonum, quod ne videre quidem antea potuiſſet tam graui, & tam denſo cadauere obſcuri corporis onerata. illud in Cabala nominatur, & in Thalmud ſpeculatio illuminans, hoc eſt viuificans, quæ apud noſtros Theologos, cognitio Dei intuitiua appellatur, quę animę contingit ſeparatę per lumen glorię.

& hęc

& hæc ſola eſt beatifica. nam alia fit per ſpecies connaturales quæ non eſt beatifica: ideò dicitur contemplatio non illuminans: clara verò viſio Dei & perpetua ſummæ Diuinitatis fruitio, pro ſuprema hominis parte, intellectu & voluntate beatis donantur; idcirco iure optimo ea niſi in ſupremo mundo contingunt nemini. Quare mortali homini, ſi quando Deus videri dicitur, id per Angelum fieri putatur, vt ſcribit Rabban Gerundenſis in Exodo. Quamobrem pro duplici hominis conditione ſpirituali & corporali, ac pro duplicis mercedis retributione, duplicem, vt dixi, aſſerunt Cabaliſtæ. Ad propoſitum igitur concluſionis dico (per dictionem Et את quæ bis ponitur in illo textu) ſcilicet Gene. 1. cap. In principio creauit Deus & cœlum & terram, ſic manet textus Hebræus. (ego credo ſignificari à Moſe creationem naturæ intellectualis) ſcilicet in eſſe ideali: quia per cœlum vt ſupra dixi, intelliguntur ſimplicia ſpiritualia (& naturæ animalis) etiam in eſſe ideali, & ſignificantur per terram, id eſt, compactum & cementarium hunc Et את. Hæ duæ creationes (naturali ordine præceſſerunt creationem & cœli & terræ) ſcilicet in eſſe phiſico & materiali, per duos

illos ergo articulos & את : intelliguntur duę propositiones copulatiuæ scilicet cœlum & terra ideales : cœlum & terra phisicales & materiales : Alioquin non opus erat duorum signorum copulatiuorum Et את : si tantummodo intellexisset Moses de vna tantum creatione, scilicet ideali tantum, aut phisicali tantum. per primum ergo Et, productio significatur idealis : per secundum verò realis & materialis intelligitur productio in esse phisico. primam descriptionem considerant Cabalistę modo prædicto. secundam verò considerant Thalmudistæ, dicentes: In principio creauit Deus cœlum & terram : per cœlum intelligunt omnia visibilis Mundi quæ supra Lunam sunt, & quæ subter eam appellant terram. Deinde cœlum quoque interpretantur formam, & terram volunt esse materiam : quare in principio aiunt. Creauit Deus formam & materiam, quarum denuo compositionem in singulis quibusque opifice oraculo fabrefecit, & omnia non tam manu tornauit, quàm nouies verbo dolauit. Legitur enim. Dixit Deus, Fiat lux. Et dixit Deus, Fiat firmamentum. Et dixit Deus, Congregentur aquæ. Et dixit Deus, Germinet terra. Et dixit Deus, Fiant luminaria. Et dixit Deus, Faciamus hominem. Et dixit Deus, Ecce dedi vobis

omnem

omnem herbam. Igitur perfecti sunt cœli & terra cum omni attinentia & tota supellectili eorum, vt sunt quatuor elementa: quæ tenebræ dicuntur primo nominatæ spiritus Domini, aquæ sub firmamento, & arida. Sequuntur pariter & cætera mixta, quæ vulgo elementata vocant, vt aues & volatilia, bestiæ ac reptilia, pisces & cetæ grandia: & eorum omnium dominator homo, cui ex vniuersis corporeis vni concessum est liberum arbitrium, quove male vteretur finguntur ei leges, promulgantur constitutiones, comminantur transgressionis pœnæ: & quam plura alia dicuntur à Thalmudistis, quæ breuitatis causa dimitto.

Quod dicitur à Cabalistis, quòd linea viridis girat vniuersum, conuenientissimè dicitur ad conclusionem vltimam, quam diximus ex mente Porphirij.

F. A. Hæc positio valde est difficilis intellectu, quapropter longo indiget discursu. nam quidam dicunt, hanc lineam viridem, Mundi animam significare: ponunt enim isti Mundum esse animatum, ac corpora cęlestia. Et hoc ad fidem nostram nihil refert orthodoxam. Vnde Augustinus in Encheridion xliii. ait. nec certum illud habeo: vtrum ad ciuitatem supernam pertineat

Sol, & Luna, & animata sydera: quamuis non nulla corpora lucentia, non tamen intelligentia videntur: Si sunt animata cœlestia corpora, pertinent ad societatem Angelorum illorum animæ. Idem super Gene. 2. Rursus retractationum 11. Sed animal (inquit) esse istum mundũ sicut Plato sentit, & alij philosophi plurimi, nec ratione certa indagare potui, nec diuinarum scripturarum auctoritate persuaderi posse cognoui: vnde tale aliquid à me dictum, quo id accipi possit, etiam in libro de immortalitate animæ temere dictum notaui: non quia hoc falsum esse confirmo, sed quia nec verum esse comprehendo, quòd sit animal Mundus. Hæc ille. Sic & Diuus Thomas contra Gentiles, ait. Hoc autem quod dictum est de anima cœli: non diximus quasi asserendo secundum fidei doctrinam, ad quam nihil pertinet, siue sic, siue aliter dicatur. Similiter Scotus Theologorum facile princeps in 2. sen. ait: Quantum ad animationem scilicet corporis cœlestis videtur esse dubium: si cœli sunt animati, hoc est creditum & non ratione conclusum, quia nulla est conditio in corpore illo, ita perfecte, manifeste apparens repugnare animationi corporis. Hæc ille. Sanctus Bernardus in canticis, ait. Cæterum Angelica corpora, vtrum verè ipsis spiritibus naturalia

ſint: ſicut hominibus ſua, & ſint animalia ſicut homines, immortalia tamen nolo vt à me inquiratis: videntur enim patres diuerſa ſentire, nec mihi perſpicuum eſt, quid alterutrum doceam, & me neſcire fateor: ſed noſtris profectibus non multum conferre arbitror harum rerum notitiam. Hęc ille. patet igitur quòd pro nullo habet inconuenienti Angelos naturaliter vniri corporibus, eiſq; inſiſtere. Si ergo intellectualis ſubſtantia apta nata eſt corporis conſortium expetere: magis prona erit ad corpus ſublime, & ſempiternum, quàm ad terrenum, & corruptioni obnoxium: magis enim adhęres ſimile ſimili, quàm diſconuenienti. Quibus palàm accipimus, quòd in parte nulla, nec rationi, nec credulitati repugnat cęlum animatum admittere. Amplius dico, ſi inanimatum eſſet corpus cœleſte, propheta id ſilentio dediſſet cauſam idolatrandi. nam nautę abſentia eſt cauſa ſubmerſionis, cuius pręſentia eſt cauſa ſalutis: Sic in propoſito: nam ſilendo Propheta huiuſmodi inanimationem, cauſam dediſſet ſupradictam, quòd minimè attribui debetur talis defectus. Quod tamen illud ſiluerit propheta patet ſcrutanti loca ſcripturę, quę huius rei expreſſionem depoſcunt, ſcilicet vbi enixius ſtel-

larum cœlorumq; incuſat & prohibet cultũ : nuſquam enim audies prophetam ſuæ increpationis rationem dicere, quòd non videant, non audiant, nec intelligant cœleſtia ſydera: quemadmodum redarguit ſtatuarum cultum: vt Deu. 4. Seruietis dijs, qui hominum manu fabricati ſunt ligno & lapide, qui non vident, nec audiunt, nec comedunt, nec odorant. Et illud pſalmi. Os habent & non loquuntur, &c. Hæc & multa id genus in ſimulachrorum, ſtatuarumq́ue exprobratione Prophetam exclamauiſſe legimus. De Sole autem & Luna, cæteriſq́ue cœli ſyderibus minimè. Sed quando Propheta aſtrorum cultum redarguit, cauſam aſsignat (non quòd non audiant, &c.) ſed quòd populus Iſrael non eſt illis attributus, vt cæteri gentium, cum ſit populus in hæreditatem electus altiſsimi: Vnde Deut. 4. dicitur. ne forte eleuatis oculis ad cœlum, videas Solem & Lunam, & omnia aſtra cœli, & auerſus adores ea, & colas: quibus attributi ſunt omnes populi: qui ſub vniuerſo cęlo ſunt: vos autem tulit & eduxit de fornace ferrea Ægypti, vt haberet populum hæreditarium. Hæc ibi. Et quibus attributi ſunt: Latina æditio habet; quæ creauerit in miniſterium: Hebraica tamen

men

men veritas habet eadem quæ interpretatus sum, enunciat. Redarguit igitur Propheta Israel potiori causa, de cultu siderum: quia scilicet populus Dei electus, non est attributus seu obnoxius (vt sunt quoquo modo cæteræ gentes) alicui cęlesti numini: sed Regi dumtaxat sæculorum, inuisibili & immortali Deo. Quod si essent inanimata sydera, propheta tunc dixisset, cum ad hunc cultum reuocandum: nullum argumentum magis efficax fuisset. Cuius silentium, causam dedisset huic cultui permanendi: quod absurdum est hoc Prophetæ attribuere. Propheta tamen plane aut secundum verisimile, cælestia corpora enunciant. Vnde Ecclesiastes, animæ naturam explicat: Lustrans (inquit) vniuersa in circuitu pergit spiritus: vbi nil aliud spiritum vocare potuit, quàm aut ipsum cęli corpus, aut eam virtutem, qua assidue cęleste corpus circunuoluitur. Hic non loquitur Salomon de motu locali corporis, sed de spirituali animæ cursu loquitur: quo anima lustrat uniuersa exemplaria quæ Diuinę menti insunt. Spiritualem autem circulationem animæ, cum cęlesti corpore, sequitur localis latio cęli. nam sicut in nobis ex ipso animæ nostræ, cum organico corpore ligamine animæ passiones sensibilem promunt effectum in corpore, tristitia exem

pli causa & vehemens animæ solicitudo ignauum, & ferme immobile : gaudium verò agile, ad motumq; promptissimum corpus suum aptant : sic & animæ cœli conceptus, in ipsum cœleste corpus perpetuo redundant. Lustrat igitur vniuersa motu suo spirituali. Ideò per præsentem conclusionem: dicitur linea viridis, quæ circundat totum ædificium : Ideò cœlum est animatum. Hoc clarius probatur, per modum sequelæ. nam propheta ponit corpora cœlestia, esse homine nobiliora, ergo erunt animata. Vnde Iob. 25. ait. nunquid iustificari potest homo comparatus Deo, aut apparere mundus natus de muliere? Ecce luna etiam non splendet, & stellę non sunt mundæ in conspectu eius: quanto magis homo putredo, & filius hominis vermis. sic est nuncius salutis Dauid: quando video (inquit) cœlos tuos, opera manuũ tuarum, Lunam & stellas quæ tu fundasti. Quid est homo ꝙ memor es eius, & filius hominis quoniam visitas eum. præstantius igitur cũ sit cœlum homine, nihil verò inanimatum homine præstantius esse potuit. Cœlum ergo animatum firmiter censendum videtur. Dari cœli animam Ieremias apertè innuit, cap. 7. dicens. Filij colligunt ligna, & patres succedunt ignem, & mulieres conspergunt adipem, vt faciant placentas Reginæ cœli.

cœli. Et hanc appellationem ſæpius idem propheta repetit cap.44.Si enim in Hebraico exemplari, hæc Ieremiæ verba attendas: inuenies quòd dictio Regina vno modo in contextu literæ ſcribitur, alio modo in poſtilla marginea (quam vocant maſſàra) legitur. ſcribitur enim malcha מלכה, quod Reginã ſonat. In margine autem legitur Melachah מלאכה, ꝙ opificiũ ſeu attendit, oſtendit. At quoties huiuſmodi diſſonantia textus à margine in ſacro canone reperitur, certum eſt (ſecundum Hebræos) quòd ibi aliquid archani latitat. Quemadmodum Zachariæ Prophetæ, magnum illud paſsionis innuens ſacramentum: & aſpicient (inquit) ad me quem confixerunt. Ibi enim in exemplari contextu ſcribitur Elai אלי, id eſt, ad me: in margine autem legitur Elau אליו quod ſonat ad ipſum: quo Propheta inſinuare voluit, quòd licet Deus qui Prophetæ ore loquitur, ſe confixum enuntiet: non tamen ſecundum quòd Deus, ſed quatenus homo: idcirco in margine legitur, ad ipſum ſcilicet hominem ut homo. Eadem lege iudicandum eſt hic: licet enim corpora opificiaq; cœleſtia adorent, non tamen ſecundum quòd corpora, ſed quatenus eis inhęreat anima cœlique regina alma, nec huius

regi-

reginæ cultus prohibetur duliæ, sed latriæ tantum: at duliæ quoque euitanda est adoratio, ne longo temporis progressu, in latriam transeat dulia. Aliorum autem sanctorum sapientumque permulta constant testimonia: in primis Diui Hieronymi Ecclesiastis primo dicentis. Girans girando vadit spiritus, & in circulos suos reuertitur, siue ipsum solem spiritum nominauit, quòd animal sit & spirat, & vigeat, & annuos orbes suos cursu explet: qui palam designat cœlestia sydera animata existere, quemadmodum Albertus, Thomas, cęteriq; horum asseclæ hanc Hieronymo sententiam adscribendam non dubitant. Thomas de spiritualibus creaturis loquens: Animam cęli affirmat orbi coniunctam, & reipsa distinctam ab intelligentijs non coniunctis mouentibus vt finem: inquit enim. sic igitur erit duplex ordo substantiarum spiritualium, quædam vnitæ corporibus cęlestibus, vt motores, quædam verò erunt fines horum motuum omnino abstractæ. hæc ille. nec propterea quod dixerit animas orbi esse coniunctas, vt motores tollit, quin aliquam dent cœlo perfectionem inhærentem per modum formę: quemadmodum ipse eo in loco sese explanat. Corpora cęlestia tamen non sunt animata, eo modo,
quo

quo plantę & animalia, ſed ęquiuoce ſcilicet tali æquiuocatione, quali corpus prædicatur de cęleſtibus atque terrenis, tantum enim diſtat conditio informandi ipſius animę cęleſtis, à conditione informandi animę caducorum, quantum & anima ſuperna & cęlum ipſum ab anima terreſtri & corporibus terrenis. Idem confirmat Petrus Aureolus theologus doctiſsimus. Eccleſia etiam huic opinioni fauere videtur, dum cantat. per quem maieſtatem tuam laudant Angeli, adorant dominationes, tremunt poteſtates, cęli cęlorumque virtutes, &c. Vbi per virtutes cęlorum animas voluiſſe videtur. Thoma teſte, & quoli. teſte. Hoc idem multis alijs rationibus probari poſſet. primo. Cœlum exercet actum, ſeu vitæ operationem, ergo eſt animatum ſimpliciter. Secundo ſic. Anima eſt cœleſtis corporis primum viuendi principium: ergo anima eſt cęleſtis corporis forma, vel actus. Tertio ſic. perfectius corpus eſt cęlum: ideo & eius perfectior eſt forma, ſcilicet anima. Quarto ſic. Animatum eſt denominatiua pręedicatio: prædicatio denominatiua eſt à re inhærente per modum formæ: ergo anima inhæret cœleſti corpori, vt forma. Quinto, dari oportet medium nectens extrema, ſcilicet intellectum & corpus:

Medium

Medium dicitur, quod particeps eſt extremorum, tale eſt anima cœli. Ideo dicitur in concluſione iſta, anima linea viridis, maximè anima primi mobilis, cuius ecclipticà girat vniuerſum: cum ſecundum philoſophos, ſit vltimum cœlum cuncta ambiens. ſupradicta quinque argumenta nolui declarare ad euitandam nimiam prolixitatem. Sicut ergo admittuntur corpora cœleſtia animata: ita admitti poteſt Mundum eſſe animatum ſeu animal. Vnum enim poteſt eſſe multiplex aut plura. Eſt nanque ſol vnicus in ſe, multiplex in radijs: vnicus in eſſentia, virtute tamen omnigenus. Eſt etiam anima vnica in ſe, ſed in operatione multiplex: Audit enim in auribus: videt in oculis, &c. Ex quibus facile dignoſcetur, quomodo vita illa vnica multiplex eſſet in membris: ſi admitteretur Mundum eſſe animal, vt multi ſapientes conueniunt: ſicut Auguſtinus, & Origenes qui hanc opinionem, teſtimonio ſacræ ſcripturæ probare nititur, in ſuo de principijs. maximè per illud Ieremiæ. nonne cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus. Et per Eſaiam. Cœlum mihi ſedes eſt, & terra ſcabellum pedum meorum. Quod ſaluator confirmat dum ait. nolite iurare, neque per cœlum, quia ſedes Dei eſt, & terra ſcabellum pe-

lum pedum eius eſt. Sed & illud, quod Apoſtolus, cum apud Athenienſes concionaretur Arati approbans ſententiam, dixit. Quoniam in ipſo viuimus, mouemur & ſumus. Et quomodo id eſt, niſi quia Deus virtute ſua vniuerſum conſtringit, continet, & viuificat Mundum. Quomodo etiam cœlum ſedes Dei eſt, & terra ſcabellum pedum eius; niſi quia in cœlo, & in terra replet vniuerſa. Hucuſque Origenes. cum quo Euſebius Pamphilus in ſolutionibus Theologicis, idem confirmat. Cardinalis etiam Cuſanus, ait, Vita illa Mundi, qua ſeipſam, & omnia mouet, perpetua eſt: quia motus rotundus & circularis omnem continens motum; ſicut circularis omnem in ſe complicat figuram. Ad quam animam totus corporeus Mundus ſe habet: ſicut corpus hominis ad propriam animam. Eſt inſuper anima in Mundo, veluti Rex in regno, cuius regimine reguntur incolæ: à quo aſsignantur diuerſi principes, & duces, quorum ducatu regantur particulares populi: non tamen ſecluſi à totius dominij rege. Sic vnaquæquæ creatura, quę primo in vita illa vniuerſi præexiſtebat, determinato ipſi ducatu, ſpecie, & forma viuit, Angelus, Homo, Leo, Aquila, vel planta: non tamen ſecluditur ab illa vnigena vi-

na vita: ſed decedente illa particulari vita, aut ſublato illo particulari ducatu, reuertitur corpus ad regnum magis vniuerſale, ſcilicet elementum terræ: anima autem ad vniuerſi regnum vitæ: Reuertitur (inquit ſapiens) ſpiritus ad Deum, qui fecit illum. ſi qui vero detruduntur tartareis carceribus: illic violenter vincuntur. Idem confirmat Ariſtoteles, cum Theophraſto eius auditore, atque Auerroe. Democritus mundi animam dicit eſſe Deum: Stoici (Euſebio & Plutar. referentibus) dicunt Deum eſſe ſpiritum, per vniuerſum mundum penetrantem, diuerſis nominibus appellatum ſecundum rerum, per quas tranſit, diuerſitatem. Indi mundum eſſe animal dixerunt, & hoc Androginum: quia patris & matris vicem ſupplet in animalium generatione, educatione, & amore. Zona probat mundum animatum, ſuſcipientemque eſſe ex eo, qui ex ſe generat animantia. Et Triſmegiſtus, in libro, quòd Deus latens ſimul ac patens eſt, inquit. nihil eſt etiam in corporibus, quod non ſit ipſe Deus: omnia enim ſolus exiſtit, quę ſunt in lucem deducens: & quæ non ſunt occludens in ſeipſo. Hic oculus, hic omnium patentiſsimus: Hic menti conſpicuus: hic præſens oculis. Hic incorporeus, hic

hic (ita dixerim) multicorporeus. Et in libro de communi, ait. nec quicquam est in omni, quod non sit ipse Deus: qui est omniũ vita. Et Ioannes ait. Quod factum est, in ipso vita erat, & vita erat lux, omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Quod possumus in duplici sensu intelligere: aut q̃ nihil factum est sine ipso, aut quòd illud quod factum est sine ipso conseruante, replente, & viuificante, nihil est. Cum his Orpheus in sua Theologia longo progressu decantat Deum esse, & conspici in omnibus mundanis membris; Platonici vero omnes, istud idem vna voce affirmant. Eorum enim hoc est peculiare dogma. Et si mundus sit animal, non tamen alteratur, nec infirmatur, aut deficit, sicut cętera animantia. Vnde Chalcidius in Timæum, ait. Quod à Deo instituitur, ab immutatione ætatis, morbis, senectute, & occasu immune est, vt omnes Academici consentiunt. Et hoc comprobatur, si bene perpenduntur ea, quę à Deo immediate, & quę per secundas causas producta enarrantur à sapientissimo philosopho Mose. Est mundus totum corpus, vt nihil extra se, quod effluat, dimittat, & minuatur, aut detrimentum suscipiat, quod ex perditione partium, quæ in aliud quid resoluuntur, procedit. Intra mundum enim deguṇt

omnia

omnia, vnde fluunt partes & non fluunt: cum nihil extra suos terminos eius sit, in quo fluant. partes igitur ipsius, quæ aliquando fatigatæ fluunt, ad naturam vniuersi tandem recurrunt recreatæ. Igitur anima istius Mundi, dicitur linea viridis, quæ circundat vniuersum, eo quod anima sit in toto, & in qualibet parte: quod conuenientissimè dicitur ad conclusionem vltimam ex mente Porphirij, quæ sic se habet. Deus vbique est, quia nullibi est, intellectus vbique est, quia nullibi est, anima ubique est, quia nullibi est. Sed Deus ubique est & nullibi respectu omnium quæ post ipsum. Anima in intellectu & Deo, vbique autem & nullibi respectu corporis. Hæc ibi. Deus igitur vbique est, quia cuncta pro captu suo vitam suscipiant ab authore vitæ, qui nunc fons, nunc fluuius vitæ dicitur, qui fluuius sese diffundit in totum mundanum corpus, sicut anima particularis in omnia corporis membra sui, vt omnes operationes, quæ fiunt per aliquod membrum ipsius corporis, ab anima viuificante & mouente proueniant: ideo dicitur, quòd anima vbiq; est: sic Deus Mundi vita, in sole illustrat, in syderibus varijs, diuersa influit: in nubibus pluit: in aera spirat: in terra germinat: & sic in omnibus operatur, vt Paulus ait. Est

nempe

nempe Deus, natura communis operans, qui in omnia diffusus, omnibus dat, vt operentur. Et sic Deus est vbiq;, & nullibi. Vnde locus considerari potest dupliciter secundum Theologos: vno modo prout est quædam res creata: Et sic Deus est in omnibus locis, sicut est in omnibus rebus. Alio modo considerari pot secundũ quod est contentiuus locati. Et sic Deus secundum se, nusquam est, quia à nullo continetur, sed potius continet omnia, & conseruat: secundum autem effectus suos est vbiq;, quia omnem locum replet effectibus suis: & secundum hunc modum proprium Dei est esse vbique: nihil enim replet omnem locum bonitatibus, & effectibus suis nisi Deus. nullibi tamen est, scilicet contentiuè, nec circunscriptiuè, quia solum cõpetit corporibus; nec diffinitiuè quia hoc conuenit spiritibus creatis. Ratio est: quia vterq; modum dicit limitationem: primus dicit limitationem quantitatis corporeæ. Secundus arguit limitationem essentiæ & virtutis. Et secundum nullum istorum duorum modorum, potest aliquid esse in pluribus locis simul, & multo minus vbique. Esse vero in loco repletiuè conuenit Deo, non secundum se, sed secundum suos effectus (vt dixi) & sic

eſt proprium Dei eſſe vbiq; : quia ſola virtus Diuina ſe extendit ad producendum omnes res exiſtentes, vel poſsibiles eſſe in loco, & hoc eſt (ſcilicet) replere locum ſuis effectibus. Et ſic eſſe vbiq; conuenit ei non ab æterno, ſed ex tempore, ſicut & producere res, quibus omnis locus repletur. Et ſic anima mundi, quæ eſt Deus mundum viuificans, dicitur linea viridis : quia omnigenum influxum, influit in creata omnia, ſicut color viridis eſt capax cuiuſcunq; alterius coloris. Et iſta linea circundat vniuerſum: quia vbique eſt Deus mundum viuificans. Cabaliſtæ verò vocant hanc lineam viridem, vltimam midah ſeu proprietatem, quæ omnes influxus totius ſphiriſtici ordinis includit. qui ordo, dicitur mundus archetypus : qui multigenos influxus miſericordiæ & iuſtitiæ in ſe concludit. Alij Cabaliſtę appellant hanc lineam, cheter Elion, id eſt, coronam ſupremam, à qua, tam à dextris, quàm à ſiniſtris decidunt, primo omnes influxus Diuini : Alij verò aliter ſentiunt, dicentes hanc lineam eſſe nomen Tetrag. יהוה, à quo deſcendunt duodecim reuolutiones, quæ duodecim ſigna archetypa dicuntur, & pręſunt duodecim ſignis cœleſtibus : cuius Tetrag. linea ecclyptica eſt ipſum

nomen,

nomen, quod præest primo cœlo archetypo, quod omnes reliquos alios diuinos circundat, & in illo influit.

Per dictionem Amen, ordo habetur expressus quomodo numerationum procedat influxus.

F. A. Amen Latinè, dicitur Græcè Amin ἀμήν, Hebraicè vero Amen אמן, & Latine significat fideliter secundum Aquilam, ductum aduerbium ex nomine fidei, quæ Hebraicè dicitur Emunah אמונה, inde venit Beemuna באמונה, id est, fideliter, & Amen quod est idem. Secundum verò septuaginta interpretes idem est ac si, fiat, diceremus. Vnde in fine librorum (quia siquidem psalterium apud Hebræos diuisum est in quinque partes) dicitur fiat fiat, transtulerunt, quod in Hebræo legitur Amen Amen. Vnde Apostolus asserit: non posse aliquem respondere Amen, ad ea quæ dicta sunt, nisi intellexerit præcedentia. Quidam volunt (vt lyra) quòd ly etiam, sit aduerbium affirmandi in Latino, similiter & Amen in Hebræo. Et per hanc duplicem affirmationem insinuatur quòd est irretractabililis veritas: & tunc ly Amen, idem est quòd verè: vt dicitur à nomine Emet אמת quod veritatẽ significat. In hac dictione, prima litera alphabeti Hebraici comprehenditur, media, & vltima. Quibus literis iudicatur rerum

textura : egressus uidelicet à principio in rem ipsam, atque in finem reuersio. & hæc est proprie ueritas, & rectitudo, quæ ad ueritatem spectat, & firmitatem. Vnde in Geometria, siue in Arithmetica, illę literæ significant numerum quaternarium solidum, & essentiam omnium numerorum. Aleph א enim vnum significat, & mille: Vnum est principium solidum, & essentia omnium numerorum. Mille quoque est cubus denarij numeri completi: mem מ autem significat quadraginta, qui est numerus deductus per denarium numerum completum simplicem: & per quaternarium numerum radicalem, & solidum firmamentum omnium numerorum, id est, denarij numeri, qui est vltimus numerus simplex. (vt dixi) vltra quem fieri non potest processus: quem denarium continet ipse quaternarius, hoc modo 1.2.3.4. isti omnes aggregati denarium constituunt. Thau ת verò significat quadringenta 400. numerum deductum per denarium & quadragenarium: siue per quaternarium & centenarium: qui est quadratus denarij: Decies enim quadraginta, aut quater centum constituunt numerum 400. sicque numeri, qui continentur in dictione veritatis, solidi sunt: Quinimo etiam literarum figuræ solidę sunt & firmæ. sunt nempe il-

pe illæ literæ bifariè quadratæ. Figura nanque illarum literarum ea eſt, quæ firmos habeat pedes, & baſes, quibus ſtet quælibet earum ſeorſum, & fortius omnes ſimul. ſicut è contrario, nomen mendacium ſignificans ſcribitur eis literis, quæ nullam habent firmitatem, nec ſeorſum ſtare poſſunt, neque ſimul iunctæ: vt verum ſit adagium illud: Mendacium breue habet pedes, immo claudos & debiles. Hebraicè nanque mendacium ſic notatur ſecher שקר: In numeris etiam, omnes iſtę literę cētenarios important: numeros quippe rebus addictos inferioribus & craſsioribus, vbi viget mendacium, & falſitas, nam litera koph ק dat centum: res ר ducentum: ſcin ש trecentum. literæ verò veritatis, ſignificant res diuinas: aleph א ſignificat vnitatem & millenarium: mem מ quatuordenarios: Thau ת verò, quatuor centenarios. Hæc patent ſcientibus mathematicam. Amen igitur, idem eſt, quod verum eſt. Hoc verbo vtitur Dominus in Euangelio: ſed & nos, cum aliquid affirmare volumus, reſpondere ſolemus, etiam, vel Amen. Hoc tamen diſtat, quia Deus in principio, nos aūt in fine orationis vti conſueuimus verbo iſto: vt ipſum eſſe authorem veri, nos autem veritatis diſcipulos: dum ei & in eum credimus eſſe monſtremus. Sicut ergo Emet אמת primam

mam includit alphabeti literam, mediam & vltimam (vt supra dixi) sic ostendit ordinem expressum influxuum sephirot. Vnde Aleph א, coronæ supremæ ascribitur, tanquam omnium principio charismatum diuinarum. Mem מ verò Tipheret datur, tanquam diuinarum dimensionum cordi, in se conglomerans omnem diuinum liquorem: Qui locus dicitur Iahacob Archetypus. In quo regnat Messias Christus. & significatur per mem מ literam: qui Messias est principium, medium & finis omnium creaturarum. Et consequenter, est principium medium & finis Diuinorum influxuum creatis communicatorum: nam de eius plenitudine omnes accepimus: vt Ioannes ait. propter hoc ipse de se ait. Ego principium, qui loquor. & ostendit se esse medium in ortu suo, inter animalia nascens, moriens inter latrones, resurgens inter discipulos stans. Finem quoque ostendit se esse, dicens. Ego sum alpha α & omega ω. Et hoc ostenditur per literam vltimam emet Thau ת dictam, quæ plene notata תאב, significat detestatus est, scilicet mala. omnia, quod maximè ostendet in die iudicij. Vide in alijs conclusionibus, quid plenius velit Amen.

FINIS.

